

1590, 1591

A  
37-336





148

19 to 8-5

~~24.8.18~~

4  
4-469

GRANADA	
Edic	A
Edic	37
Tabla	336

LIBRARY  
GRANADA  
1875

7



Handwritten text, possibly a signature or name, in blue ink, appearing as "S. J. ...".



121915866

LITTERAE R. 12994  
SOCIETATIS  
IESV  
DVORVM ANNORVM  
M D X C ET M D X C I.

AD. PATRES. ET. FRATRES  
*eiusdem Societatis.*



ROMAE In Collegio eiusdem Societatis.  
M D X C I V.

*Cum facultate superiorum.*

*del coll. della Comp. di S. di Gran. Lib.*





L I T T E R A E  
S O C I E T A T I S . I E S U  
D V O R V M A N N O R V M  
M. D. X C . & M. D. X C I .

P A T R I B V S F R A T R I B V S Q V E  
*Societatis IESV, gratia & pax Christi Domini.*



NTEQVAM ad rem ipsam aggredior, Patres, fratresque summa obseruatiâ colendi, tacitâ occurrâ interrogationi multorum exponenda breuiter causâ dilationis, & ratione scriptio nis meâ. Admoueram dudum his<sup>l</sup> litteris manum: verû vix executus Prouincias tres Neapolitanam Siciliam Mediolanensem, atrocitate morbi, de medicorum cõsilio mittor Neapolim: eamque expertus salutarem reuertor ad scholasticas curas: nec quiui repetere inceptum, nisi cum illis intermittentibus, & expeditis alijs quibusdâ negotijs, fui liberior Maio mense superiore. tum vëro, sarcindâ iacturâ; cõiunxi, vt olim, res duorum annorum: et properaui vt absoluerem Nouëbri: deñ; dum describuntur, recognoscuntur a Patribus, mandantur typis, effluxit Ianuarius. Hæc causa dilationis. Nunc, quæ afferam de ratione scribendi, magnoperè vellem ita candidè peruenirent ad aures vestras, vt a meo pectore profiscuntur. Nam si quisquam est,

† 2 nēminem

L I T T E R A E

neminem vestrum laedere, in his ego profiteor  
nomen meum. ergo, æquum me omnibus præ-  
bui, ijs reddendis fideliter, quæcumque acce-  
pissim. Quod si qua interim omissa, valentior  
manus accessit. Breuitatem secutum esse me,  
dum fugio longitudinem ac fatietatem, non  
nego: etsi neutram effugi, obuia tot rerum simi-  
litudine, & prouocante materia: cum e vigin-  
ti duabus Prouincijs, quod haud scio an vn-  
quam antea acciderit, desiderata sit nulla. Vti-  
nam in tumultuario opere adhibita fuisset dili-  
gentia, tranquilliore animo essem. Nunc illud  
tantum superest solatium, fides: quam sic præ-  
stiti, cū vestra manu ducor per vniuersam So-  
cietatē, narraturus ex ore vestro quæ audiui,  
vt cum in singulis domicilijs constituissem me  
tamquam vnū e sodalibus, vniuscuiusque ani-  
mum spectarem ex meo, et quod vellem mihi  
fieri, facerē alteri. Ceterum, aspersi in loco sen-  
tentiarum cōdimenta, more historiarū, magis vt  
alleuentur fessi animi eadem audiendo, & eo-  
dem modo sæpius dicta, quam ut oratio assur-  
gat. quamquam vereor vt satis apte: & fortas-  
se in lente vnguentum. Sed quicquid sit, cum  
hæc semel tātum audiantur, idque super men-  
sam, quandoquidē improbum erat sperare, vt  
re ipsa omnibus satisfacerem, faciendum pu-  
tari, vt saltem quam vitæ reprehensionem,  
quemadmodum quidem volui, nemini vestrum  
esset ignotum. Habetis rationem scriptionis.  
Nūc singulas Prouincias suo ordine collocabo.



PROVINCIA  
ROMANA.



VINGENTORVM nu-  
merum, supergressi, anno  
prioré, octodecim: poste-  
riore, viginti quattuor. Ro-  
mæ in professorum Domo  
fere utroque anno octoge-  
ni. In Collegio plus minus  
ducceni: ut ei numero, tres, deessent anno su-  
periore, altero superessent. In Collegio Ger-  
manico tredecim, mox quindecim. In Semi-  
nario, minimum viceni terni. In Collegio An-  
glicano septem, postea decem. In Maronita-  
no bini, ternique. In Penitentiariorum, vigin-  
ti quinque, deinde tres & viginti. In Probatio-  
nis Domo ad Sancti Andree quadraginta, tum  
aucto numero, quinquaginta sex. In Collegio  
Græcorum, quod anno posteriore ad nostros  
labores accessit, octo. Atque hi in vrbe: ex-  
tra urbem, Laureti, in Collegio triceni seni.  
In Illyrico quaterni. In Collegio Recinetensi  
quattuordecim, aut quindecim. In Macera-  
tensi seni deni. Duodeuigenti in Perusino, Se-  
nensique: et si in hoc, anno secundo, pluri-  
mum viginti. In Florentino viceni terni. In  
Tiburtino & Montis Sancti utrobique septeni.  
Duodeuiginti aggregatorum numerus, a vi-

A ginti

PROVINCIA

ginti duum functorum vita superatus est prio-  
re anno: posteriore, æquatis rationibus, vnde  
quadrageni fuere.

COLLEGIVM ROMANVM.

**D**ISCIPLORVM, doctrinæ, & exer-  
citationis ( ij sunt amplius mille quin-  
genti ) siue multiplici positionum tuendarum  
celebritate, siue anniuersaria distributione  
præmiorum, egregium specimen datur: ho-  
nestatur vtraque a meliore parte non solum  
urbis, sed humani etiam generis, id est a Car-  
dinalibus illustrissimis: quorum erga nos ani-  
mus non verbis tantum, & benevolentia, sed  
rebus quoque, ac beneficentia sæpissime de-  
claratur. Grauis certe ac splendida Sanctæ  
Symphorosa & filiorum tragœdia, qua illustra-  
ta sunt præmia anni posterioris, seu dignita-  
tem argumenti consideres, siue granditatem  
carminis a poeta singulari artificio exculti,  
sic placuit illis, & viris eruditis, quibus ma-  
gistra urbium Roma abundat, vt eo magis sit  
probata omnibus, quo plus piarum lacrima-  
rum profusum: cum femina sanctissimæ, &  
adolescentium, puerorumque, in flore ætatis,  
atque ipso in vitæ limine, in oppetenda mor-  
te, incredibilis fortitudo afficeret commise-  
ratione animos, non sine iucunda voluptate.  
Sunt etiam sua pietatis signa, & incrementa.

Tertia



Tertia Sodalitas ad veteres duas accessit: ita plures Virginis alumni filio crescunt: ex ijs enim, tam multi dant se varijs familijs religioforum, vt quod fit in rebus quotidianis, numerum inire piguerit. Anno priore octo adsciti in cœtum nostrum. Vni, quiddam accidit his litteris inserendum. Religiosam vitam expetebat: cum studiorum spatio decurso, subit animum proficisci in patriam, (an vt vale diceret?) quibus mens melior erat, dissuadentibus. Inde, cum concedit in villam, iumentum, quo vehabatur, decedit in fossam, ex cuius altera parte, vallis præceps, & formidolosa altitudinis, simulque crus equitis, tota mole corporis oppressit: periculum omnino sæuum, & anceps, siue propter onus incumbens, e quo expedire neque ipse se poterat, neque extrahi a comitibus, alijsque qui accurrerant, audito casu: siue, quod si se commouisset iumentum, pronus ipse voluendus erat in caput, atque illicet per præruptam rupem atque asperam faxis, interitus certus. cum circumfisterent omnes anxij, & incerti quid agerent, ipseque iaceret non minus consternato animo, quam corpore, admonent, vt re desperata, Deiparæ opem impleret, nec mora, vix suis credens oculis, non vllis hominum auxilijs, non suo ipsius nisu, liberatum crus aspicit, & periculo exemptum: inclamat socios: vix in tuto erat repositus, cum equus

\* P R O V I N C I A

frustra cluctatus, in imam vallem precipitans ad exitum ruit: nimirum ex eo nouit adolefcens, vitam, quam Dei genitricis beneficio retinuit, diuino obsequio deberi. Nec minus studium eorum pietatis, quibus, vt ad Sodalitia admittantur, non locus, aut animus: itaque videas octauo quoque die communicantes minimum ducenos. Iam de nostris fratribus vt aliquid dicamus. Conciones de more habitæ ad plurima mulierum cœnobia: publicæ custodiæ pijs adiutæ sermonibus, & consilijs opportunis. Nosocomia persape adita: quamquam, hoc postremum officium superiore anno conspectius fuit. Cum enim omnem prope Italiam fatigaret annona, multique ex vicinis circum oppidis, atque adeo e remotis, inopia subacti, confluerent ad urbem, & ipsam penuria laborantem, plenæque essent interdum viæ, quaritantium panem, & quia rarus dabatur, quiritantium: iamque refertis stipatisque omnibus hospitalibus tectis, magna multitudo pernoctaret in porticibus, ac desertis locis: patres, qui sunt in Domo Professa, rem arduam & necessariam, maiore animo quam viribus aggrediuntur: sed Deus erat spei auctor, cuius res agi videbatur: ipse excitauit liberalitatem priorum, operi promouendo. Igitur Xenodochium instituitur: conducitur domus pers ampla, & patens, in regione salubri: huc se-

suisil      c      A

minu-

mi  
cie  
ce  
em  
ruc  
con  
mi  
tat  
inc  
ced  
con  
ten  
Erg  
fe  
pro  
pau  
dic  
ctu  
bon  
re:  
sti  
  
E  
ac  
mi  
Pas  
pra



minuda cogitur turba virilis sexus, & defici-  
 cientibus viribus, pæne fame enecta: plus  
 centum fuere. his præbitus cibus, lectusque,  
 empta vestis noua, simul exposita Christiana  
 rudimenta: pastique persape, purgati prius  
 confessione animi, epulo cælesti, vt toti ho-  
 mini bene esset. præbuere ipsi interim ciui-  
 tati spectaculum, cum bini sub crucis vexillo  
 incederent, præeuntibus natu minimis, suc-  
 cedentibus grandioribus, pulchro ordine,  
 concinendis litanijs, vel, mane, ac vesperi,  
 templo aliquo, religionis causa, inuisendo.  
 Ergo ex Collegio ad eos iuuandos nostri pro-  
 fecti: & nonnulli tanto ardore animi corpora  
 procurarunt ægrorum (nam & ex illis non  
 pauci ægrotabant) vt, si fidem habemus me-  
 dicis, morbum contraxerint, nocente conta-  
 ctu. Sed caritatis munus est, vt in proximos  
 bona conferas, malum aliquod in te transferi-  
 re: quibus, & vita ipsa, si res exigat, vel Chri-  
 sti exemplo, debetur.

MISSIO EPIDAVRIA.

**E**PIDAVRVM (vrbs est Dalmatiæ prin-  
 cept in ora Hadriatici maris, emporio,  
 ac republica nobilis, Ragusia hodie dicitur)  
 missus sacerdos, vt diebus, qui natalitias &  
 Paschales Domini ferias, anniuersario ritu,  
 præcurrunt, populum illum, quibus posset

## P R O V I N C I A

rebus, inuaret, ex instituto Societatis. igitur  
 conciones vtilis & frequentes: peccatorum  
 expiationes generales multæ: introducta fre-  
 quentatio sacrarum mysteriorum: stipis quo-  
 tidianæ magna collectio in pauperum vsu:  
 multi ex ijs die ipso Paschatis donati vestitu  
 nouo: nec minus carcer, & valetudinarium  
 obita: institutæ colloctiones piæ diebus  
 Dominicis vespertinis in templo, quibus ip-  
 se sacrarum Antistes intererat, & principes  
 viri complures: pater plurimum verba facie-  
 bat: quin etiam Archiepiscopus Clericorum  
 Seminario initium dedit, quos omnes octauo  
 quoque die noster audiebat, & ad pietatem  
 formabat. Actum & de fundando Societatis  
 Collegio, eodem Archiepiscopo postulante,  
 mirifico Senatus, populi que consensu. res ad-  
 huc feruet. Arguebat sacerdos pro suggestu  
 inter cetera, cauponariam fraudem, in vino  
 vendendo: sublata statim publico edicto. Ali-  
 qua in Iudæos iaciebantur: conata est gens  
 lucro dedita in os concionantis impingere ar-  
 gentum, vt taceret: sed ipsum repulsum, &  
 improbi magis coerciti: Hæc cum ita pro-  
 cederent, fuit sacerdos alter subsidio mitten-  
 dus: cuius socius, cum in itinere crus fregis-  
 set, diligenter curatus est. Hic porro sacer-  
 dos subsidiarius, Ragusina lingua, magno no-  
 bilium concursu feminarum, concionabatur,  
 diebus festis. Virginum cœnobium compo-



fuit Archiepiscopo parere recusantum: omnium fere totius vitæ labes confessione detersæ. Explicata pueris, ac rudioribus, summa euangelicæ legis. Discendenti concionatori in Senatum accito gratiæ actæ, quod se non immiscuerit rebus publicis, neque audierit quosdam, qui accusabant magistratus. Spreta grandis pecunia, donaque, quæ dabantur, admirationi fuere: deductus ad nauem est in discessu, fere tota vrbe prosequente: amplius sexcenti in portu erant, qui vt aspicere hominem, sic etiam conspici gaudebant: communis mæror omnium fuit. insitum nempe natura hominibus, vt quæ habent bona, magis intelligant, cum carere incipiunt.

DOMVS PROBATIONIS.

**T**ENTATI morbo fere omnes, aliquot absorpti: in queis Pater Gaspar Gonzalius Lusitanus, modestiæ, prudentiæ, doctrinæ laudibus insignis. is, cum imminentem sibi inspiceret diem supremum, etsi nulla adhuc dederat morbus indicia, magno ardore animi prætiniri voluit Christi corpore, & fratribus coram collacrimantibus, testatus est, se in Catholica fide decedere, miro sensu pietatis. Obijt altero anno Antonius Sancta Martha, vir prouectæ iam ætatis, & maturæ virtutis, qui cognomen suum rebus approbauit;

certe huic domui, vel viginti annos, sedulo in-  
 seruijt. Ceterum, his angustijs temporum,  
 domus hæc, alioqui egens, piorum elemofy-  
 nis adiuta, centenis primo, dein trecenis pau-  
 peribus alimenta quotidie suppeditauit: per-  
 inde admurmurante, vt admirante vrbe, au-  
 laque Pontificis, qui tum fere in Quirinali ver-  
 fabatur, non procul. quin et ipse Pontifex  
 Gregorius Decimusquartus, rer in hoc spe-  
 ctaculum, seu venit consilio, siue incidit ca-  
 su: semel etiam ingressus nostras ædes, Noui-  
 tiorum aspectu magnopere lætatus, eorum se-  
 precibus commendauit. Spectata similiter ty-  
 ronum industria in nosocomio, de quo dixi-  
 mus supra, in Collegio Romano: quattuor ex  
 ijs in tam pio ac laborioso opere assidui e-  
 rant. exercitijs spiritualibus viri primarij plu-  
 res exculsi. ex ijs vnus, hac mente a Deo in-  
 iecta, Ecclesiasticos fructus ante perceptos  
 (summa erat quinque millium) indigentibus  
 erogare cepit, vt ex illis ne teruncium  
 quidem apud se esse velit: dein quingentos au-  
 reos distribuit, & pauperibus dedit: tum man-  
 dauit sibi afferri descriptas honestas aliquot  
 familias, quarum egestatem pudor augebat,  
 vt earum necessitatibus subueniret: consti-  
 tuit postremo trientem redditum Ecclesiasti-  
 eorum, quoad vixerit, conferre in pios vsus.  
 Adolescentes duo, relicis parentibus, patria-  
 que Romanam veniebant in nostram Societa-



tem nomen daturi : cum in hospitio vesperi  
seorsum agerent, alius quidam liberioris lin-  
guæ, sic commotus est modestiæ ipsorum, vt  
tertium se illis socium adiungere cuperet: dis-  
suadentibus illis tam calidum, consilium, man-  
sit tamen iuueni eadem mens: quin nunc Ro-  
mam profectus, hoc vnum habet in votis, vt  
eorum boni particeps fiat. tantum, virorum  
bonorum, etiam tacitum, valet exemplum.  
Alius vocatus ad Societatem, quattuor equo-  
rum, qui sæua horrentes flamma, totam va-  
starent urbem, & obuium quemque prosterne-  
rent, per quietem, aspectu: admonitum se  
somnia credidit, vt opportuno effugio in tur-  
rim fortissimam, quod est nomen Domini, vi-  
taret horribilem quadrigam.

COLLEGIUM POENITENTIA-  
riorum, & Seminarium Romanum.

**S**ERVANDAE tantum consuetudinis, de  
Pœnitentiariorum Collegio aliquid appin-  
gam, atque hoc ipsum ex anno posteriore:  
quod quæ de eo tradi possunt, tacite asti-  
mari potius, quam curiose perscribi decet:  
et quædam sunt, quæ nesciendo melius feri-  
untur. Sed hæc tamen veluti in fronte, vt  
intelligatur, quid sit in recessu. Confessio-  
nes omnium, vel multorum annorum, quam  
plurimæ. Apostatæ quattuor vel quinque ad

suas

suas familias : tres quattuorve a secundis nuptijs inconcessis, ad priores: totidem a Maurerana superstitione, ad orthodoxam Christianam fidem rediere. Dispensationes non nullæ, tum his, qui præter ius fasque beneficia Ecclesiastica retinebant, tum his, quos uotorum nuncupatio non patiebatur tuta esse conscientia, impetrata. Ut alij a contrahendis illicitis abstinere, alij a sacerdotijs quærendis ratione non legitima, effectum. Quidam hæresi absoluti, plures vacillantes in religione firmati. Duo Græcorum de schismate Romanæ Ecclesiæ restituti. Coniuges aliquot inter se dissidentes reconciliati. Diurnæ simultates consopitæ. Non nemo a voluntaria morte prohibitus. Multæ non levis momenti restitutiones factæ, in quibus una auriæorum circiter mille. Mulier a dæmonum præstigijs liberata. Cathicismus Heluetijs, qui sunt Pontifici ad custodiam corporis, explicari ceptus. Sed satis sit has veluti summas attigisse.

DE SEMINARIO Romano breue etiam faciam: quando res prioris anni non peruenerunt ad manus. E Clericis vnus, alter e Conuictoribus, in Societatem accepti: ad eundem modum totidem pie ac religiose vita functi: paucis antequam agrotarent diebus, totius vitæ crimina generali confessione patefecerant. omnium caritas enituit: hoc  
nempe



nempe anno, qui in summa caritate fuit, non pecunia tantum tribuenda pauperibus, sed priuando etiam se ientaculo, quod mendicantibus conferrent: quamquam et multi interim expoliti commentationibus pijs. Numerus alumnorum non sane magnus, sed delectus: nimirum cum præmia darentur in Gymnasio victoribus, magnamque partem ipsi promerentur, suos quisque victoriae titulos Seminario rettulerunt.

### COLLEGIUM ANGLICANVM.

**V**T GREGORIUS Quartus decimus ad Tertij decimi exemplum adiuuare liberaliter hoc Collegium cœpit, creuit numerus collegarum: ita, aduenientibus pluribus, præter expectationem, sub mortem Sixti Quinti, iam quinquaginta numerantur. Superiore anno, duobus absolutis Theologiæ studijs, posteriore unus, Societatem nostram, alter Cartusianam ingressi. Misit tunc decem Sacerdotes, dein quattuor in Angliam: quattuor item Remos, quod diutius terre non possent cælum Romanum, iniuriandi sacris: ut, quod maxime habent in uotis, suorum salutem ciuitem, vel sanguinis effusione, & mercede vitæ, redimere possint: ex ijs, qui profecti sunt prior e anno, Edmundus Ducas, cum socijs

focijs tribus Dorobernij martyrio affectus est: tanta constantia, & alacritate animi, vt multorum impulsæ mentes ad vnam religionem incumberent: & auctum esset Domini horreum, ni, quæ legerent messem, operæ defuissent. Tantus autem alumnorum ardor in Angliam eundi, ad lucrum animarum, id est ad damnum corporis, vt pigri anni effluere, & longum tempus videatur, quo se operij accingunt. ita cupiunt plerique compendiarium inire studiorum viam, quo expediti citius peruolent ad laborem, exitio sibi, alijs commodo futurum. ante iter, aut potius certamen, uaticum sibi, & arma comparant, ab exercitationibus nostri Patris Ignatij, bono consilio: eunt nempe præmeditato animo, vt nulla laborum facies noua occurrat, & parati quamuis certæ morti occurrere, vt aliorum vita representetur. idem præstatur ab ijs, quos recentes ab Anglia ad hoc Collegium preparari decet: immo et ab Anglis fere omnibus, etsi non eo animo uenerunt, vt litteras discant. Ex his vnus vir illustis, magno acumine ingenij, tantos cepit animo fructus, vt fere omnia sit expertus spirituum genera, quorum exempla ponuntur: tanto deinde delibutus est gaudio, vt dictitaret, numquam in omni vita sibi melius fuisse: cum loqueretur de diuinis rebus, extra se positus videbatur. tales sunt sacrarum





rum, commentationum boni successus. Ceterum alumnorum in peregrinos, qui ex Anglia huc aduentant, maxima cura est. a pedum ablutione aggressi, omnia persequuntur munera caritatis. Ex eorum numero, uir simplex ac pius, cui Georgio nomen, narrauit se multos annos in obsequio martyrum durauisse: donec tam assidua opera ipsum prodidit: ergo in pistrinum detrusus, laboreque atque inedia affectus, tandem, ut nulli rei utilis, modica pecunia a Catholicis redemptus est. inter alia, quæ huic viro contigere, scitu illud incundum, quod cum quotidie circumageret trusatilem molam, in rota & ipse insistens, diebus festis, beatæque Virgini sacris, nec minis, nec precibus adigi potuit ad opus: quibus cessantibus, ventum est ad verbera, & detractionem omnis cibi: sed pia cogitatio animum occuparat, ut iniuriam corporis in leni haberet, pluribus diebus hoc tenore tractatis, ubi hæretici viderunt nihil agi, uicti constantia ipsius, quam amentiam vocabant, a pertinacia destiterunt. Ceterum (mitto enim alia quæ uisitata alijs annis) quanta sit huius Collegij in hac vrbe existimatio, vel illud argumentum fuit, quod peremnis uinciam aquæ (Virginem appellant) Romani gratis concesserunt, super ea re Senatus consulto facto: additumque ad indicandam omnium voluntatem, gratam fuisse occasionem de hoc Collegio



gio benemerendi : vt non datum videretur beneficium, sed acceptum.

COLLEGIUM GERMANICVM,  
et Maronitarum.

**I**N GERMANICO alumni centum ferme ac triginta : ex ijs, anno posteriore (nam de priore nihil datum) viginti in diuersas Germania partes dimissi. In hac tanta penuria victus, panis quotidie suppeditatus fere ducenis, intromissi in atrium docebantur etiam elementa Christiana : nudi tegebantur : viribus defecti in Collegium comportabantur, curabanturque, donec robur corpori accessisset. interim sustentati non pauci, quorum pudor cum paupertate certabat. Cultus Ecclesiasticus, quod saepe est scriptum, in huius Collegij aede, pollet vigetque, magna nobilitum frequentia : mittuntur quin etiam e remotis terris, qui obseruandos ritus hoc exemplo perdiscant : eamque ob causam tres Episcopi sollempni carimonia consecrati, tanto magis ad pietatem instruuntur alumni, praesidio olim & ornamento suis in terris futuri Catholicae religioni,

**E** MARONITIS, anno priore (de posteriore scilicet nihil accepi) remissus unus in Syriam, curriculum confecerat Philosophiae, ac Theologiae magna ex parte. vt in patriam





etiam venit, fatigatus a propinquis, ut ante, quam fieret sacerdos, uxorem duceret, more gentis, constanter recusauit, ita nunc solutus alijs curis, diuino tantum negotio uacat. Ceterum primus huius Collegij parens ac patronus Antonius Carafa Cardinalis, quos uti filios habuerat in vita, non paruorum opum heredes fecit in morte: ut propagaretur Collegium, cuius ipse instituendi post Gregorium Tertiumdecimum auctor fuit. adeo, si rem recte cogites, quoniam gentis alienigenæ potius, quam sui generis, rationem habendam duxit, non humani operis, sed diuini cuiusdam beneficij fuisse arbitrere:

## COLLEGIUM GRAECORVM,

**H**IC LABOR nobis, in Romana urbe, accessit, die quarto ante Calendas Octobres anni posterioris: imposuit is, a cuius voluntate nefas erat discedere, Gregorius Quartusdecimus Pontifex Maximus. Suspensio animo erant alumni, secularium imperio sueti, ut regi cœpere a nostris: erat nempe infixæ opinio regentum seueritatis, verum, re ipsa redarguente, ut consistit eorum beneuolentia, facilitas, moderatio, qui uideri mallent inuenisse bonos, quam fecisse, haud facile dictu est, quam libenter pareant: bona & constans imperandi ratio, qua gaudent obe-

dien-

dientes. itaque, qui fugam antea meditabantur, nunc mente mutata, aut fratres, aut fratrum filios per litteras accersunt. Sed & quidam, qui antequam nostri præessent, diffugerat, per uimque fuerat retractus, eaque de re admonuerat parentem, nunc ab eo feuo-  
 uocatus, iterum recusauit, obtendens mutatum regimen rationem mutata uoluntatis, magna eorum spes, atque indoles pietatis, ad quam omnes matutinis, uespertinisque pre-  
 cationibus, colloctionibus pijs, & ex præscripto nostri Patris Ignarij plerique exercentur. obij. vhus iam concepto voto Societatis. Cerimonie Ecclesiasticae, & Græcorum ritus in eorum templo ita seruantur, ut populus conferens præsens cum præterito tempus, grates agat. Sodalitas, beatæ Virginis in Cælum assumpta patrocini-  
 o gaudens, & nomine, a Patre Generali instituta, in dies efflorescit, plerique alumnorum in eam adscripti, quidam cum se vocari intelligerent, interiore animi motu, diu restitit: tandem uim maiore impulsus dedit manus, & accedens ad Præfati pedes, multis cum lacrimis eam obtinuit: qua obtenta letatus est perinde, ut si voluptatem auxisset serior ingressus.



COLLEGIUM LAURETANVM  
& Montis Sancti.

CONCIONES habitæ a duobus prioribus anno, posteriore ab vno, Aduentu, Quadragesimæque in templo maximo Laurentano non vulgari fructu. diebus festis explicata rudioribus doctrina Christiana, Episcopo postulante: idem auctor fuit, vt sacrarum cœnobium virginum in oppido quodam adiretur incitandæ pietati, & cunctarum excipiendæ confessioni totius vitæ. Aegris & morientibus, tum in priuatis domibus, tum in publica hospitali, opera sedulo impensa. Principes viri cum sacram ædem accedunt, quæ ad pietatem pertinent omnia fere exequuntur arbitrio Patris Rectoris. in his fuit, superiore anno, Dux Vrbinas, qui huc venerat cum lectissimo comitatu. Illustrissimus Galus Cardinalis, cuius interest procuratio almæ Domus, cum Legatus in Flaminiam properaret, ad nos diuertit: tum Prætori mandauit, curaret nobis certum frumentî numerum, æri alieno dissoluendo: simul inchoata quædam cubilia, quæ nobis essent vsui, iussit absolui. quamquam ea est humanitas Cardinalis, vt quotiescumque Lauretum venit (venit anno sæpius) apud nos humaniter diuersetur. Sed & viri feminæque illustres ma-

gnam de nobis opinionem habent, vt quam pecuniam, quæque dona offerri Deiparæ velint suo nomine, ad nos mittant. in hoc genere non tacendum illud. Vir illustrissimus de nostra Societate optime meritus, clam aureos trecentos misit, vt ne eius nomen proderetur, tribuendos pauperibus, siue retinendos Rectoris arbitrato. visum est alienum a sordibus, si manibus nostris non adhærescerent: itaque in quæstoriam sanctæ ædis arcam omnes conditi. non latuit factum: & tanto magis admirationi fuit Prætori, ceterisque, quanto magis omnibus nostrorum angustiarum rei familiaris non ignotæ erant. Posterior annus, vt ceteræ Italiæ, ita huic vrbi, & Collegio fuit grauis, funestusque. itaque nostri ferendo potius, quam agendo exerciti. plures consiliati morbo: quattuor absumpti. Sacerdos laborans quartana, rite sumpto sancti Nicolai pane, vno dierum febris condito, illam depulit, & amplius non redeunte conualuit. Scholæ, vt his locis, discipulis florent: ex ijs qui excellunt ingenio, Academia & Congregatio Parthenia instituta. In audiendis peregrinorum confessionibus rarus hoc anno labor, neque, vt olim, frequens. fames in causa, & itinera latronibus infesta. igitur solitudo in templo, præcipue hieme. Sed cum in vrbe vigeret morbus, in ciuium corpora, animosque cura conuersa est: quin etiam

extra



extra urbem se caritas porrexit: circum regionem ierunt sacerdotes lacunosa via, & lubrica, superueniente interim imbre, ad multa milliaria, onusti cibarijs, quæ agris quotidie afferrent. auxit hoc factum apud omnes existimationem, ac reuerentiam nostrorum. Nec tamen cessatum cetero anno. Plurimi annorum omnium noxis expiati: multi ad concordiam reducti: reducti fere innumeri ad sanitatem mentis, & probitatem vitæ. Sanctissimum enim est templum, iuxtaque religione celebre, & miraculis illustre. recentissima tria proferentur. Quidam contractis totius corporis nervis, subalarium ope adminiculorum, ad natalem Beatæ Mariæ domum fiduciæ plenus perrepsit. ibi sacram effigiem pie veneratus, eiusque implorans auxilium, rei diuinæ intererat, quæ tum forte fiebat. Cum litat sacerdos, venerandumque Christi corpus supra verticem attollit, agro primum sudor, dein frigus per artus ijt: nec ita multo post, sibi visus recalescere: tum in pristina redeuntibus integris nervis cum aliquo strepitu, valens surgit: dein per sacerdotem nostrum, cui rem totam exposuit, suspensis fulcris, quibus in veniendo vsus sustentando corpori, vt monumento essent recipere valetudinis, suis pedibus saluus reuertit. Alius vir honestus, ac pius, cum ipso Virginis natali Lauretum attigisset, Deiparam ve-



hementer orauit, vt ex coniuge multos iam annos infecunda, prolem impetrare dignaretur: auditum fuisse ostendit partus vertente anno: nempe eodem natali Virginis die, eademque hora, qua effuderat preces ad matrem Dei, pater est factus, vxore puerpera: vt intelligeret se voti damnatum. Audite postremum, quod propter magnitudinem, est in plures vulgatum. Ioannes Antonius Iaffredus, ex Veneta ditione, miserabili morbo, acerbissimo cruciату membrorum, dies noctesque misere vexabatur: auxerat dolores corporis, horrenda per quietem species menti obiecta. Viderat se ad Dei tribunal adductum, eoque ferente sententiam, iam mortis exactori datum: nec propterea animum despondit: orat numen, ad delictorum expiationem, prorogari uitam: inde velut emerfus somno, ad Iudicis matrem confugit, eius patrocinium enixe inuocans: vouetque peregrinationem Lauretanam, si suppetat vita. vix votum nuncuparat, cum in medijs doloribus, Dei genitrix regali cum corona, parique vestis habitu, ei se spectandam offert: mox procumbentem in genua bonum animum habere iubet: productam sibi uitam, neque eo morbo moriturum. Statimque, homine appellante domesticos, hortanteque, vt vna secum supplices Deiparam venerentur, abijt sublimis, vniuersis, qui iam accurrerant, in-

genti

genti stupore defixis. non ludibrium oculorum fuisse probavit euentus. exemplo enim expeditus morbo Lauretum contendit, vt se voto exoluat. Ceterum, vt contemplatus est simulacrum Virginis, quod numquam antea viderat, nec fando audierat quale esset, affirmavit esse imaginem eius, quam conspexerat domi: vt facile agnosceret acceptum beneficium Lauretanæ sedi esse referendum.

DE COLLEGIO Montis Sancti, rebusque anni posterioris (ita hic quoque utile fuit coniungere duos annos) hæc pauca. Domus ædificatio promotæ, in audiendis ægrorum confessionibus, iuuantisque morientibus egregie positus labor, peste grassante, pro viribus subleuati egentes ex Patris nostri Generalis rescripto. Trecenti ad nos quotidie confluebant: quibus cum ad binas horas exposita essent elementa Christianæ religionis, tribuebantur postea corporis alimenta.

### COLLEGIUM MACERATENSE.

**HIC QVOQVE** grauisimum malum, fames, posteriore præcipue anno, plurimos afflixit, & subsecuta (vt sæpe fit) lue, extinxit non paucos. iacebant in domibus destituta corpora: pallentia ora in vijs ambulabant: umbræ non homines videbantur.



rogabant, flagitabant, prouoluebantur ad  
 genua transeuntium: aut, quod magis mise-  
 rabile erat, ipso habitu, ipsa tristitia, ipso  
 silentio miserationem mouebant. assequi ora-  
 tio rei imaginem non potest. agunt nostri  
 cum moderatoribus vrbs. Sed dum consu-  
 lendo teritur tempus, miseria interim do-  
 minantur. itaque Sodalitium Deiparae se ro-  
 gari non passum: delecti ex eo uiri nobiles,  
 inuito pauperum numero, quos domo egre-  
 di pudor non sineret, aut infirmitas uirium,  
 ad eos victui necessaria quotidie afferebant.  
 Sed superabat egenorum multiitudo, & mors  
 dira saeuiebat: gliscenti malo maius reme-  
 dium opponi debuit. actum iterum publice  
 cum Senatu: nec minus priuatim cum pluri-  
 bus: & auctoritate illustrissimi Iustiniani Car-  
 dinalis Legati, triceni quotidie aurci ad hoc  
 opus collecti: eos diuidi placuit per ma-  
 nus nostrorum: haud dubie hoc officio su-  
 stinuere conplures vltimum spiritum, quem  
 uix retinebant. quin & nos quoque domi no-  
 strae octogenis centenisve quotidiana stipe-  
 uitam protraximus. Cum ueniebant ad Col-  
 legium, pascebantur, & erudiebantur simul  
 Christianis praecipis. quam ad rem utram-  
 que ministros se & adiutores Parthenij pra-  
 buerunt. Crudescere interea morbi, ut quin-  
 deni, vicenique expirarent per singulos dies,  
 misero spectaculo. hoc tempore sacerdoti-  
 bus



bus nostris, cum expeterentur, accerferen-  
 turque certatim a multis, nullum, ne quie-  
 tis quidem necessariæ, spatium fuit: neque  
 hoc caruit diuinâ prouidentia, quod eorum  
 nemo tentatus morbo est: nisi quod unus,  
 cum mitiora iam tempora essent, periculo-  
 se laborauit, ægrotarunt tamen quinque fra-  
 tres, aut sex: ex quibus unus, non ita pridem  
 huc aliunde profectus, dum locum, cui addi-  
 catur expectat, inijt extremam uiam. At duo  
 adiunxere se in nostram Societatem. Priore  
 anno, huius vrbis Episcopo, cuius magna er-  
 ga nos beneuolentiâ est, diœcesim obituro,  
 sacerdos unus e nostris concessus, a quo &  
 adiutus ipse, & diœcesis instructa multis lo-  
 cis. Nec minor in nobis amandis, fouendis-  
 que humanitas Archiepiscopi Auenionensis,  
 cuius potestati commissa erat Picentium o-  
 ra, ne quid detrimenti pateretur. Ceterum,  
 & de rebus alijs, e quibus propria, anima-  
 rum utilitas, hæc dici possunt. Quæstuarix  
 aliquot mulierculæ ad pudicitiam traductæ.  
 Vxor cum uiro reconciliata. familia quædam,  
 quam pudor paupertatis, & fuga, exercitâ  
 misere habebant ( in qua nobiles quattuor  
 puellæ aduersum improbos sollicitatores ex-  
 pertæ pudicitix ) ut uitam toleraret, adiuta.  
 Quidam acceptæ tenax iniuriæ, & surdus ad  
 monita nostrorum, cum iter faciens equo de-  
 lapso in fluuium, proxime abfuit a morte: si-

gnum illud esse arbitratus Dei irascentis , cum inimico redijt in gratiam , placari se passus . Reponam nunc aliqua de adolescentibus , qui nobis dant operam , & de Sodali- tio minore . ac primum quiddam , quod non caruit risu . Duo ex illis , cum extra urbem forte ambulant animi causa , incidunt in hominem rusticanum , qui fascem abiecerat , quem ferebat , defatigatus , aut uiribus impar- accedunt , pollicentur leuatu- ros eum onere , vsque ad portam vr- bis : ille suspicari fraudem , derisumue : neque enim de nihilo adolescen- tes nobiles fascem in via publica gerant : cum instarent nihilominus , ac viderent suspi- cem animum rustici , eorum alter , Prædes hos libros accipe ( sub læuo lacerto erant ) quod nisi fascem restituero , diuendito . ita iam li- bros admirabundus rusticus , fascem delica- tus iuuenis , mutatis partibus , ferebant : do- nec in ipsa porta vterque ab altero suum re- cepit . Alius , qui lasciuiam iuuenili , viso pau- pere , non tenuerat risum , vt reprehensus est a magistro , irrisum adiens , veniam petijt , sti- pemque obtulit , quam tum dederat ipse , tum ab æqualibus corrogarat . Sequuntur alia duo robustioris probitatis , Vrebat- ur vnus in se- creto domus æstu libidinis , ne vinceretur , im- plorabat Deiparæ opem , eaque se muniebat contra hostiles assultus : formosam interea conspicatur mulierem , numquam alias visam ,  
quam



quam cum admiratus, siue consuetudine, seu magis pio metu, crucem imprimit fronti, terret, fugatque. agnouit iuuenis auctorem tentationis, & monstrum: statimque ad Collegium accessit, facti seriem sacerdoti narraturus, nondum horrore discusso. Alteri, non species mulieris, sed nota mulier impudenter se obiecit, eodem euentu: beneficio Virginis, quæ monstrata olim ardente rubo, nec tamen ambusto, clientes suos vel in medijs flammis facit intactos. Ceterum e Congregatione quidam moriens mille aureos sodalibus legauit.

## COLLEGIUM RECINETENSE

**R**ECINETI etiam duplex Sodalitas Virginis. Maiorum, in qua quadraginta: minorum, in qua triginta censentur. Exercuerunt se (his temporibus maxime) in operibus pietatis. E maiore Sodalitio vnus mira æquitas animi. Mulier asseruabatur in carcere, quæ confessa erat in quæstione inter epulas misuisse venenum, quo eum, quem dixi, uxorem, liberos, vniuersam familiam tolleret, suasu vicinæ mulieris, quam nominabat. quod si hic ageret lege, magna imminabat confusio rerum, ac perturbatio vrbi, propter principes familias litigantes: at ipse, hortatu nostrorum, cum scelus non agnouisset, neque sibi persuaderi diceret de tanto odio cuiusquam,

præci-



præcidit ansam litis, magnam affecutus apud  
 omnes clementiæ famam. Ex eodem numero  
 alius, a religiosæ cuiusdam familiæ viro con-  
 tumelijs oneratus, multis præsentibus, in tem-  
 plo, quod propter religionem loci eum defend-  
 dere poterat, non modo iræ, ac voci pepercit,  
 sed vltro se, veniam petens, ad pedes eius ab-  
 iecit, qui affecerat iniuria: vt admirantibus  
 ceteris, ei pudorem incusserit. Diem sancti  
 Viti, quem tutelarem vrbs habet, ipsiusque  
 peruigilium celebrarunt, ciues sollempni suppli-  
 catione ad nostrum templum: discipuli ora-  
 tione Latine dicta, & versibus: præbens Epi-  
 scopus inter sacra Dominicum corpus popu-  
 lo circumfuso. Habita & disputatio ab ado-  
 lescentibus de diei celebritate more dialogi:  
 mox præmia distributa. hoc anno priore. Nam  
 posteriore, de doctrina Christiana dialogi ha-  
 biti duo auixerunt discipulorum numerum,  
 & Collegij existimationem. Cetera, de con-  
 cionibus, & confessionibus recte valen-  
 tium, morientiumque, communia. Germa-  
 norum fratrum duorum, quæ dissiluerat gra-  
 tia, per nostros iterum conflata. adductus  
 vnus, vt restitueret alteri non paruam pe-  
 cuniam, cui etiam vitam eripere cogitabat.  
 Ceterum nobis legati a diuersis aurei plus  
 mille: & domus aliquot ad Collegij exadifica-  
 tionem coemptæ. Mortua priore anno virgo,  
 quæ templum nostrum frequentabat rarissi-  
 mi exem-

mi exempli. virum semper contempsit, ac nuptias, amore Christi: quo sic erat incensa, vt cum decem ante annis, tantum diebus festis, proximis quattuor, quotidie, eius corpore reficeretur: vel sanctis precationibus, & castigationibus corporis, vel proximorum utilitati semper intenta: ad extremum moriens mille quingentos aureos reliquit, vt virgines aliquot in cœnobio collocarentur. eam viuentem ciuitas ita reuerita est, vt mortuam, claraque (sic enim rogarat) in nostrum templum, tamquam sanctitate præditam suspexerit. Confluxerunt omnes ad vestem, manufque exosculandas: tamquam maior quidam illi honos, quam prinata mulieri deberetur.

### ALIQVOT MISSIONES.

MISSI EX Recinetensi Collegio Anconam sacerdotes duo, totidem ad alias vrbes, oppidaque: percepti non exigui fructus. confessiones frequentes, conciones frugifera: puerorum rudiumque institutio ad doctrinam Christianam, sic populis accepta, vt eius prope causa a muliebri sexu domestica officia defererentur. Paces compositæ per multas: placatus qui vitam animamque abijcere dicebat malle, quam odium deponere. restitutiones non pauca: et quoniam illis locis insolita, admirabiles fuere. Vnus, vt alteri satisfaceret,

ret,



ret, cuius famam læferat, multa milliaria confecit. Duo, qui viuente vxore, alteram superdlexerant, noſtrorum ſuaſu ad legitimas nuptias rediere, adulterio relicto.

MISSI etiam ſacerdotes duo Camerinum: & in luſtranda præcipue diœceſi, poſuere quattuor meſes. Quodcumque oppidum ingreſſi eſſent, prima ad populum concione, inuitabantur omnes ad communicandum die indicto. Confefſiones fere omnium, vel a prima pueritia, repetitæ. Aleæ luſoriæ quibuſdam diſcerptæ, & pecunia, quæ in medio erat propoſita vincentibus, ex colluſorum voluntate in pauperes diuiſa. Graſſantibus morbis viſitati ægri, nec animorum modo præſidijs, ſed & ſubſidijs corporum inſtructi. effectum quodam in oppido, vt quaterni ex optimatibus bis hebdomada colligerent ſtipem a ditioribus, quæ tenuioribus daretur. Perſuaſum pro ſuggeſtu, ijs, qui abundabant frumento, venderent, vel mutuum darent. Auſtor fuit concionator magiſtratibus duorum oppidorum, vt trecentis nummis empto tritico panes mutui de publico darentur: cautumque, vt nullo communi detrimento priuatorum inopiæ ſubueniretur. Domicilium virginum Deo dicatarum, cum commendaretur pro concione, quinquaginta aureis publice donatum. Inueterata cuiuſdam oppidi conſuetudo, vt paucis comitibus Parochus ad ægrotos ſacrosan-

trofanctam Eucharistiam deferret, mox so-  
 lus, si vellet, reuerteretur domum, abolita, &  
 noua melior inducta: ducitur curio, reduci-  
 turque magno comitatu. Curatum vt discipu-  
 li quot mensibus peccata fateantur: Iudi ma-  
 gister quot hebdomadis explicet Catechismũ.  
 Adolescens matrem male accipiens, eiusque  
 mortem expetens, aut moliens fortasse, quò  
 liberior esset suo arbitrato viuendi potestas,  
 impetrata ab ea suppliciter venia, meliorem  
 mentem & vitam colere incepit: Alicubi ve-  
 tus mos inualuerat, vt inter adolescentes,  
 puellasque, amare & amari concessum esset:  
 ea erat ansa & esca multorum malorum: in-  
 uectus noster, & in concionibus publice, &  
 priuatim in sermonibus, contra hanc frau-  
 dem diaboli: et tandem, Deo iuuante, res ex  
 animi sententiã confecta est. Tota hac in per-  
 cursatione oppidorum (pedites ibant, ex quò  
 illis maior ad persuadendum auctoritas) re-  
 conciliationes multæ, ac restitutiones rei fa-  
 mæque non mediocres factæ. inter cetera, hoc  
 ad memoriã in signe. Iuuenis erat militari  
 vitæ addictus (signiferum egerat in aliqua cò-  
 horte) ceterum ferox, opulentus, & impo-  
 tens contumeliæ: is cum periculosa olim ac-  
 cepisset vulnera, a quo minime debebat, ita  
 implacabili in eum odio ferebatur: vt etiam  
 ijs irasceretur, qui de pace agerent: quin &  
 eum interficere illis ipsis diebus, vt dixit po-  
 stea,



stea, meditabatur: hunc noster semel precibus oppugnauit: sed valentior machina ad-mouenda erat ad expugnationem pectoris, quod vtrionis cupido, & audacia seferant. igitur die quodam, eius patrem & sororis virum magna auctoritate præditum, cum conuocasset, iuberetque in interiore esse cubiculo obseratis foribus, iuuenem ipsum bono dolo accersit; & inuitum licet, perducit domum, clauditque, vt exire non liceat: tum agit cum eo solus de pace: cum verba iacerentur, auxilium inuocat, eorum nempe qui in cubiculo latebant: cum sic quoque nihil procederet, flexit genua, dein alij, & furentem circumfistunt, vt negaret se flecti posse: eorum enim preces & lacrimas, quæ fundebantur ad leniendam iram, irritas voluit. perstabat ipse obstinatus: at surrecturos se illi non antea affirmabant, quam extorquerent assensum: cum tam diuersum esset certamen animorum, & nihil diu remitteretur: nutare iuuenis cepit, & quasi dubitare: ad extremum cessit: simulque absterfis, quas & ipse profuderat, lacrimis ex inuitis luminibus, victum se esse confessus est, & ignoscere inimico, non minus efficacia precum quam auctoritate rogantium: ergo antequam illinc exiret, pax consignata est, & publicis litteris ac testibus firmata. Ceterum, alio in oppido Canonici Ecclesiæ sic inter se dissidebant, vt nostri ab

Epi-

Episcopo eam vnam ob causam missi essent; cum diceret plus sibi negotij ab illis Canonicis, quam ab vniuersa diœcesi, facepsi. Deus nostris adfuit adlaborantibus, eorumque conatibus fauit, vt ad optatum exitum peruenirent. At Camerini, vt alia præmittantur, celebris quædam Sodalitas senescens, reffloruit, vel potius ab interitu vindicata est.

### COLLEGIUM FLORENTINVM.

**I**N TEMPL O maximo per Aduentum concionatus vnus rogatu Archiepiscopi Cardinalis, anno superiore, maximo fructu. Cum in vijs puellæ inuenirentur expositæ, vt anno aduerso frugibus, quas parentes alere non possent, vt quæque erat præstanti forma, tollebantur a meretricibus, formandæ olim in eandem disciplinam. ægre id vsus concionatori, persuasitque pro suggestu, vt ab honestis potius matronis acciperentur domi, & Christianis moribus imbuerentur. Adolescentes ab illecebra voluptatum ad frequentem vsus Eucharistiæ perducti multi: in his vnus, cum satis non haberet se Christo obtulisse, audaci æque & felici ausu, impuram etiam feminam, cui insueerat, adduxit: eamque postea donauit dote, vt in conuersarum cœnobia, non solum a scelere, sed etiam a periculo abesset. quamquam data postea  
opéra



opera est, vt istiusmodi mulierculæ, quæ pudicitiam in propatulo habent, per Quadragessimam paratæ veniant in templum, ea die, qua de Magdalena pœnitentia concio habetur: vt quam fortasse sunt secutæ errantem, pœnitentem sequantur. Et duæ quidem ipso die, post paulo totidem recepere se ad conuersas, piorum liberalitate, rebus necessarijs ad viuendum instructæ. Nonnullis puellis, quarum pudor periclitabatur propter inopiam, dos per nostros curata. In summa annonæ caritate, magna vi pecuniæ collecta, effectum est, vt a Sodalitate quadam innumeri panes quotidie pauperibus vsque ad nouam messem tribuerentur. Ceterum iussu magni Ducis constituta domo uirorum mulierumque mendicabilis excipiendis, data a nostris opera est, vt omnes abstergerent animorum sordes: tum vero, vt ciuium, matronarumque humanitate nihil deesset ad vestitum, aut corporum procurationem. Captum quoque consilium, suggerentibus ijsdem, conducendarum ad triennium ampliarum ædium, vbi educentur puellæ inopes, aut orbæ parentibus, donec illis sit commode prospectum. Magna hinc seges bonorum, & malorum fruges oppressæ. Præter hæc, cum multa sint Florentiæ loca, vbi, vetere instituto, nocturni celebrantur piorum conuentus, ad voluntarias corporum castigationes, aliquorum iam la-

xior disciplina, eorum, qui apud nos confitebantur, exemplo astricta est, et reuocata ad veterem seueritatem, Opificum, et idiotarum cœtus, quem cogi in Collegio scripsimus olim, suum antiquum obtinet. Quantus ex his fructus percipiatur, planum fiet, vno aut altero exemplo. Propter impudicos mores, mulier quædam male accepta a germanis fratribus, & per iram domo eiecta, clamitabat de via ad ciendam misericordiam. cum eam exaudisset unus de eo cœtu, quem dicimus, quid rei esset ignarus, accurrit, mulcatam & accisam verberibus perducit domum. nec mora, interueniunt fratres furore accensi, sororem dimitti postulant minacibus verbis: quibus cum ille moderate responderet ac pie, placuit eam certis condicionibus relinqui: ab eoque sancte habitata est: nam curato primum corpore, procurata etiam per sacrosancta mysteria animæ salus, et cum propinquis paulatim in gratiam reducta est. Ex eodem opificum numero alter, cum ægrotos in nosodochio inuisit de more, in senem incidit moribus, ætate, morbo, intractabilem: difficile erat rixam, aut conuicium effugere, tanto magis illi inferuendi cupiditate accensus. cibum in os inserit, respuit æger cum iracundia: fomenta parat, sinit se iungi, & ringitur: res salubres accipit, nec parcit molestis verbis. ad extremum catinum poscit ad vo-



mitum: qui cum celeriter offertur, ante expectatum ore irriguo oculos eius ac faciem proluit, spurco imbre. sed non uicta propterea, aut abiecta est patientia, misericordiae mater. Publicae interim custodiae aditae, & hospitales domus: magno aequae uisorum bono, & uidentium exemplo. Audita confessiones capitis damnatorum: qui & ipsi, dum extremum spiritum adimit carnifex, a nostris adiuti. in hac urbe adscripti ad Societatem, posteriore anno, quinque. Templum celebratur non solum a populo, sed & a nobilitate, ac uiris principibus, urbanis, externisque, interdum etiam a Duce ipso. At Episcopi, qui hic saepe plures, apud nos plurimum sacris operantur. Magni Ducis erga nos beneuolentia, sic etiam perspecta. Nam cum adificationis nostrae ratio tres postularet fenestras, quae prospicerent impluuium regiae domus: eamque ob causam idati essent Principi libelli supplices: Archiepiscopo Pisano interprete, cuius magna auctoritas, res nobis integra permessa est: hoc tantum addito, ut quam minimum obessemus aulae Principis: quod & factum, ea moderatione, ut fenestrae essent accipiendis luminibus, non ad prospectum. Iam de ciuium erga nos liberalitate superfluum sit dicere: quacumque re indigemus ad uictum, suppeditant vitro, complures grandem pecuniam

fine

sine ulla cautione et chirographo commoda-  
 runt ad ædificationem nouam: quæ, et tem-  
 plo addita testudine pulchris imaginibus pi-  
 cta, et tribus contignationibus superiectis sa-  
 crario, belle procedit. Scholarum fama ac  
 species aucta discipulorum exercitationibus  
 publicis in celebri eruditorum conuentu.  
 Primas doctrinæ ac pietatis ferunt Parthe-  
 niani sodales. Quidam ex eo cœtu, quod  
 adolefcentes denios in illo lubrico ætatis, in  
 rectam viam reducere conatur, magnum adijt  
 periculum vitæ. sub noctem repetens do-  
 mum, a nescioquo graue vulnus in capite  
 accepit, sed, Deo protegente innocentiam,  
 ictus innoxius fuit: agnouit deinde sicarium,  
 sed Christianæ mansuetudinis memor igno-  
 uit offensam. Longior sequitur narratio ad-  
 miratione digna. Nobilis iuuenis solutioris  
 antea vitæ, eam vt corrigeret, frequentare  
 cœpit salutaria sacramenta, mox etiam, vt  
 cooptaretur in Sodalitium Virginis, summis  
 precibus impetrauit: tum uero (quod ij fa-  
 ciunt, quos non communis tangit cupiditas  
 penitentia) clam cœpit ad nudas carnes funem  
 apprimere, cilicio corpus domare, ieiunio  
 & abstinentia uires frangere: parens uterque,  
 ceterique domestici iuuenem obiurgare, mi-  
 scere precibus minas, lacrimas adhibere: sed  
 animus cælum affectans humana omnia con-  
 temnebat. diebus quinetiam festis in no-



focomia se conferens agris præbebat cibos, & dolorem verbis mulcebat. hieme, cum grauior iam populum ureret annona, manticis ex humero pendentibus emendicabat quotidie panem pauperibus alendis. hæc cum indigna viderentur nobilitate generis, percubuit fama exisse de potestate mentis. igitur iratus parens manticem prohibet: at sacerdos, qui ei erat a confessionibus, cum egisset cum patre, iterum ei facultas ostiatim queritandi eleemosynas ad aliorum utilitatem concessa est. cum die quodam domi esset, excitus vociferationibus mendici famem deplorantis, cum cibarijs exit: quæ cum defectis ab homine viribus transmitti non possent, clam recipit domum, vt aptiores præparet cibos defectioni reuocandæ. reuertitur durus pater, filium sollicitum videt, vt pauperem expleat, reditque ad solita iurgia: mox eo recedente, magni animi iuuenis sublatum ægrum in humeros, deportat in valetudinarium publicum, & accuratum diligenter magistro commendat. neque hunc vnum, sed extra urbem, vel ad mille passus quoscumque reperiebat lassitudine exanimatos, et exhaustis viribus, eodem officio ad Xenodochium ferebat, admirantibus quibusdam, alijs imputantibus amentia. non raro morbidorum vlcera manibus lauit, superiecta plerumque interula, quam sibi detraxit: neque

hoc

hoc  
pudi  
qua  
ta p  
Ioan  
peru  
voci  
fuit  
mor

C  
Sen  
duc  
qua  
Ado  
vt c  
cum  
nos  
men  
doc  
cto  
mo  
Col  
pul  
nos  
stat

hoc satis. septemdecim uirgines, ne earum pudicitia tenderentur insidiae, meretrices quattuor resipiscentes, in cœnobiorum tutela perduxit. Hac piorum constantia operum, Ioannes Baptista (hoc erat iuueni nomen) in peruigilio cognominis Sancti, ad mercedem vocatus summa religione decessit. tum nemo fuit, ex ijs etiam, qui uitam irridebant, quin morti inuideret.

### COLLEGIUM SENENSE,

Perusinum, Tiburtinum.

**C**ARPTIM breuiterque aliqua, prætermissis communibus, de more, attingentur. Senis, mulier a pellicatu ad matrimonium reducta. adducta puella ad sacram synaxim, a qua, impulsu mali dæmonis, abhorrebat. Adolescenti exemptus periculosus scrupulus, ut quicquid ageret, diceretue, existimaret cum hæresi coniunctum, Nobilis mulier apud nos sacramenta obire solita, in graui decem mensium morbo, tam multa dedit patientiæ documenta, ut parentem magnæ virum auctoritatis nobis conciliarit, a quibus erat animo antea alienato: itaque post filia mortem Collegium frequens inuisit. E nostris discipulis vnus priore anno, posteriore quinque, in nostrum ordinem adlecti. Quidam, dum æstate rusticatur, agrestes homines ad discen-



dam summam Christianæ legis, non solum oratione, sed (quæ plus valuit ad persuadendum) pecuniola allexit. Collegij tenuitas, hæc difficultate temporum, piorum ciuium humanitate subleuata est. Concionator ita acceptus, vt concio e nostra æde in principem, rogante Archiepiscopo Senatuque, approbante populo, fuerit transferenda. Sexcenti fere communicant diebus festis in nostro templo. si rem perpendas, maior, quam pro opinione numerus: ipsum porro templum laxari cupiunt omnes, in sumptus etiam faciendos pecunia oblata. Cum vis magna morborum in urbe esset, in ægrotis adeundis, audiendis, firmandis, multum operæ, ac temporis positum: agnoscentibus beneficium ijs, qui moriebantur, viuis admirantibus. Insignis mors matronæ nobilis, cuius in omni morbo sermones non nisi de diuinis rebus fuere: ea constantia, in perferendis corporis doloribus acerbissimis, quos interim comparabat cum cruciatibus Christi, vt miraculo esset. Ad uisendam mortuam vniuersa ciuitas effusa, dispersa iam dudum ipsius fama sanctitatis. Ceterum, diebus addictis ieiunio maximo, Pientiam, de qua alias scriptum, et Monticellum: anno posteriore Collem (nomina sunt oppidorum) alia item ad oppida itum causa concionum: etiam æstate. Et (ne minime necessaria reptantur) cum viris, mulieribus pueris, egisse  
de

de rebus salutaribus pretium fuit. Ex his Missionibus, ut redijt Pater Hieronymus Rodaldus, prudenti vir simplicitate, & laborum assiduitate ad demerendos homines natus, morbo oppressus finiuit. Eius finis nobis fuit iniucundus, inutilis externis, qui amissum flebiliter dolere.

DE LVCTV ad luctum, de mortuo ad mortuos vocor. Eodem quippe anno (nam de priore fere nihil traditum est) obiit Perusinae tres, Pater Marius Floridus, Alexander Possuinus, Iosephus Danzetta. Senex ille, & laboribus, vel ab ipsa adolescentia, in Societate valde exercitus. is publice diuisor stipis delectus, sic impleuit omnes numeros caritatis, ut diceretur pauperum pater. eos quippe reficiebat cibo, instruebat doctrina, solabatur oratione, peccatis absoluebat: et certarunt quidem illi votis ac precationibus retinere hominem: sed ita ordinauerat Deus, ut iam tandem caperet fructum laborum. Maior aliquanto iactura facta in Alexandro, adolescente, magna spe animi, atque ingenij, parique indole pietatis. Professor erat Humanitatis, tanta morum facilitate, atque elegantia, tanta benigne omnibus faciendi voluntate, & cura, ut vix eo videretur quicquam esse amabilius. Declaratum id in morbo, morteque: ut enim ille sollicitam habuit iuventutem, ita haec maerore afflixit: quam-



quam etiam omnes, quibus cognitus erat: vix certe nobilis septuaginta annos natus, tantum lacrimarum profudit, vt negaret se in filiorum interitu adeo doluisse. Testantur eum nostri, sibi, Patrique Mario prædixisse discessum: in familiari enim sermone admonuit, colligeret sarcinas, quod vterque eo anno essent migraturi. Igitur paucis diebus post Patris Marij mortem, decubuit, mira que semper fuit constantia animi, orationis, vultus. cum dictitaret medicus sudore plurimo leuatum iri, morbum, cum elicere moliebantur iniectione multæ vestis. at Alexander, submissa voce, sic tamen vt exaudiretur, onerate asellum inquit, eum Deus cito soluet. in molestijs, quæ consequuntur ægrotationes corporis, dicebat sacerdoti nostro, quem a confessionibus habebat, cogitare se de Patre Edmundo Campiano, alijsque de Societate martyribus, quos videre sibi videbatur quasi addentes animum ad supremum certamen. Ei, cum appropinquasset, sublatis oculis ad cælum, lætus, et Deo gratias agens, Græca lingua, cuius erat sciens, ter dixit, Deo: & ad eum, vt confidimus, euolauit. Plerique arbitrantur contraxisse morbum, quod assedisset sæpe, ac ministrasset ægrotis, quibus erat egregie carus. grauis enim ille annus corporibus fuit: ex quo sacerdotibus nostris magna materia, et causa laborandi. conciliauit hic labor beneuo-

lentiam multorum: hinc maior ad templum frequentia, & celebritas in scholis. auxit, nostrorum consilio, & opera nobilium, instituta Sodalitas ad inopes subleuandos, ad puellas orbas in tuto locandas, ad pietatis munia exequenda. etsi nos etiam in Collegium, non paucis pauperibus præbuimus alimenta quotidie, quoad fieri poterat, ad quinque menses. Interea quiddam accidit; fortasse non reticendum. Mulier alioqui honesta, filias habebat formæ, atque ætate integra: cum se illasque sustentare non posset, et si reppulerat primum iuuenes duos pretium pollicentes, tamen quoniam videbat esse moriendum fame, eosdem conuenire constituit: cum transit forte præter nostrum templum, magna se quadam ui sensit intro compelli: ad aram accedit, ubi Christus cruci affixus; eum orat supplex non sine lacrimis: animaduertit sacerdos, qui & ipse, Deo ducente, oratum uenerat: itaque aliquid suspicatus, blandeque eam appellans, elicit causam fletus; atque opportunam porrigens opem a cogitato flagitio deterruit.

AT TIBVRE nostrorum hostatu Sancti Getulij Sodalitas, de qua proxime perscriptum, in Oratorio mendicis mensam instruxit: pascebantur quotidie plurimi, et instruebantur salutaribus præceptis. munus cogendæ stipis, auxilio egenorum, multi ex ea vi-



ri nobiles non erubuerunt, caritate cogente, eadem præterea, quaternos aureos, singulis hebdomadis, in familias pudibundas, toto anno distribuit. Paruum hoc alibi fortasse, sed si locum respicis, dices rem esse non solum laude, sed etiam admiratione dignam.

Mitto adiutos aliquos, qui ducebantur ad mortem: et mille circiter aureos vni restitutos. Fuisse in hoc, superioribusque Collegijs alia multa memoranda, non ambigo: sed

occupatis plurimum agendo, notandi quæ essent acta, aut defuit otium, aut absuit voluntas.

PROVIN.

P



fest  
ter  
qua  
Co  
rie  
no  
Co  
o  
m  
gin  
M  
ta  
cle  
fur

PROVINCIA  
NEAPOLITANA.



VICTA Collegijs duobus; Salernitano, & Consentino, numerat iam Domicilia decem: in his militarunt socij, vt secundum annum complectar, trecenti amplius & quinquaginta. Neapoli, in Domo Professorum sexaginta nouem: in Collegio circiter centum: in Domo Probationis ad quinquaginta: Nola saepe triginta: in Catacenſi Collegio viginti: vno plus in Aletino: in Barienſi quattuordecim: vndecim in Cirinola: in Salernitano duodeviginti: sedecim in Consentino. Explerunt stipendia priore anno octo, posteriore sex: dederunt nomina, vt simul coniugam annum vtrumque, quadraginta septem.

DOMVS PROFESSA.

MILLENAE quingenae confessiohes audita diebus festis: torius vitæ septuaginta septem: in his, hæretici vnus, cum Ecclesia reconciliati. adolescentulæ duæ a profundo gurgite mercenariæ libidinis, in mulie-

rum



rum portum pœnitentium se recepere. muliercula, quam paupertas cum matre liberifque ex patria exegerat, multarum vt esset illecebra & pernicies animarum, ad meliorem mentem reducta, magna admiratione & lætitia ciuitatis. lætum etiam fuit, perinde & admirabile, Ethnicos duos ab idolorum cultu ad veram fidem conuersos. Iuuenis, qui ita insaniebat amica, vt ad eam noctu ventitaret quindecim milliarium itinere, nec sine periculo, ab errore mentis, & viæ, liberatus. Maritus, qui præconio paupertatis, vxoris pudicitiam venalem habebat, honestatem edoctus. Frater, qui vxorem fratris in eius absentia sibi commendatam plus iusto dilexerat, cum offenso, & vltionem parante, redijt in gratiam, nostris deprecantibus. Violentæ etiam aliorum mortes nostrorum opera repressæ: viri, quem vxor veneno, fratris quem frater ferro tollere constituerat. Ad nobiliorum Sodalitatem sub patrocinio Virginis accessere principes viri duodecim: eorum tyrocinium præcipue ponitur in subleuandis collecta stipe familijs claro genere ad inopiam lapsis: quo genere officij defensa virginitas duarum, quas egens opum & consilij pater mercatoribus addixerat. Oratoria duo a ducentis frequentantur: magna omnium pietas. Ceterum, in vno apparuit præsens auxilium Deiparæ Virginis, cui se quotidie certa præce com-

ce commendabat: eum enim cum aliquando  
 egressum domo circumuenissent hostes insi-  
 dijs, & displosu scloporum, omnis illorum im-  
 petus intra cutem stetit, parte solum vestitus  
 ambusta. Interim, missi e nostris aliquot, non  
 tantum ad custodias publicas, ad nosocomia,  
 ad naualia, ex consuetudine, sed in propin-  
 quos etiam pagos, tanta cum virorum mulie-  
 rumque ad concionem, confessionem, expli-  
 cationem Christianæ doctrinæ, confluentium  
 voluptate, ac fructu, vt eorum discessum ini-  
 quisime ferrent. bonum videlicet, quod ad  
 paucos dies apud se habuissent, carendo ma-  
 gis, quam fruendo intellectu. Nec minor  
 fuit fructus posterioris anni ex adolescentulis  
 duabus, quas forma & inopia non semper fidæ  
 comites pudicitia in hanc urbem compule-  
 rant, viris relictis: per nostros altera consti-  
 tuta in tuto est: restituta altera marito. cap-  
 tus quidam a Turcis, postque annos plures  
 postliminio reuersus, cum auctam domum alie-  
 nis liberis repperisset, quominus vxoris adul-  
 terium cæde vlcisceretur, est a nostris prohi-  
 bitus. Alterius truculentioris vxor, optione  
 data veneni, aut ferri, cum illud obduxisset,  
 imploratæ Dei matris patrociniū sensit, sine  
 vlla offensa. Multorum vir homicidiorum,  
 cum ad alia grassaretur, quæ fuit Dei prou-  
 dentia, opportuno nostrorum occursum consi-  
 lioque repressus. Alij, qui proximorum, non-  
 nulli,



nulli, qui suam necem nefarie moliebantur, ad meliorem mentem reducti. Familix nobiles pacificatae, euulsis irarum fibris, feminibus odiorum. Abeamus a tristibus. Mulier claris natalibus, desperatae valetudinis, vir vnus peræque nobilis, afflictæ, remedium acceperat a sacrosancto viatico, suasu nostri sacerdotis. Nec minus, & virgo, diuinæ Eucharistix cum primis cupida exorauit sacerdotem, postridie caeleste epulum permetteret afferri: fore enim repente, vt conualesceret: non frustratus euentus: surrexit electo gratantibus domesticis, medicis admirantibus. elapsis deinde mensibus aliquot, decumbens iterum, flagransque desiderio panis angelorum, obsecrauit eorum reginam, liceret hanc ob causam se conferre ad templum, prece efficaci. Hoc mirum magis. Matrona nostri ordinis studiosa, cum longe ægrotaret ab vrbe, & consumptis viribus non longius a morte, cupiebat extremum spiritum effundere in aspectu nostrorum. tum conuersa ad imaginem Dei genitricis, ei consimilem quæ colitur nostro in templo, o Iesuitarum, inquit, Virgo, impetra mihi a filio tantulum vitæ, vt te reuisam: moriar libens. correpta dein somno: & videre visa expetitam effigiem, quam in mente habebat: quare cum admirabilem cepisset voluptatem animi, corporis quoque valetudinem recepit. Primoribus vrbis, qui in Sodalitio

Virgi-

Virginis nascentis, de quo supra attigimus aliquid, difficultas temporum seges fuit piorum operum. adeunt nosocomia, opeque atque opera sunt præsto laborantibus: nec desunt, qui certas egenorum familias delegere sibi proprio ære subleuandas. extra urbem vnus implitus morbo, qui ei fuit supremus, octauo ante obitum die Virginem vidit sanctissimam ea effigie, qua cernitur in sodalium facello, audiuitque præcipientem generalem peccatorum confessionem, iam instante morte: non vanum fuisse visum obtemperantis exitus ostendit. Dux Hipponis in Bruttijs (Montem Leonem appellant) iuuenis, vt claritudine generis, sic virtutum præstantia excellens, præfectus erat cœtui, cum aduersa valetudine correptus est, ac deploratus a medicis: sed cum placuit diuinæ bonitati retinere in vita, vt esset exemplo omnibus, vtilitati multorum: secuta est gratulatio ciuitatis, qualis ab insperato solet: damnata voti Congregatio, & Dei matri nascenti propter rediuuium Hæctora (hoc est illi nomen) grates actæ. Instituta in templo schola doctrinæ Christianæ, diebus festis, ante preces vespertinas ad populum erudiendum. Ab Quadragesima deinde ad Pentecosten, bis hebdomada, anno reliquo, singulis diebus Sabbati, traditus modus sacrarum commentationum, certis propositis locis: post modum litanæ recitatæ permagno fructu. Die  
bus



bus quadraginta sollempnis ieiunij tres missi, tres ad vrbes celeberrimas, sic eas inflammaverunt facibus diuini verbi, vt harum vna, ne resideat ardor, exoptet Collegium: & missis etiam Romam litteris, oblato templo, area commodoque vestigali annuo, deposcat. Ceterum vexante plebem annona, quotidie domi nostræ, tributa eleemosyna fere ducentis laborantibus fame. et adiuuuit Deus rem domesticam: ad vsuram annuam, & ad particulam sortis dissoluendam, pecunia collata. legata a tribus testamento aureorum duo milia quadringenta. Conchensis Princeps dedit mille, cognita parentis voluntate, qui totidem nobis reliquerat, præpropera morte, sine vlla stipulatione. aucta supellex sacra ornatu reliquiarum beati Cornelij Papæ, & pari candelabrorum esolido argento magni pretij. Mortui sacerdotes duo, qui aliunde huc venerant, Vincentius Rumena, & Felix Vecceus, magnæ vir patientiæ, & tranquillitatis animi, in corpore quamuis fluctuante. ex adiutoribus denique domesticis vnus, multorum annorum religionis, & vitæ: qui cum diu & periculose ægrotrans concupisset decedere ipso die assumptæ Virginis in cælum, hoc saltem assecutus est, vt intra octauas ipsius ferias moreretur. si hominis virtutem spectes, dignum dixeris, cuius ceteri qui sunt eruntue in eodem gradu, perinde ament mortem, quam vitam imitentur.

## COLLEGIUM NEAPOLITANVM.

**F**ORVM, quæ de hoc Collegio mitti pos-  
sunt, magna pars vtrique Congregationi,  
de quibus alias scriptum, debetur, ex vna  
octodecim transiere ad nostros, nouem ad al-  
ias, familias religiosorum: ex altera, acce-  
ptis quattuor, vigintis in varia cœnobia  
ingressi: in his, vnus Capuccinos ada-  
mauit, quibus cum domicilium extruxisset  
suo sumptu, ipse etiam additus, decem au-  
reorum millibus fratri relictis, reguli cuius-  
dam auertere eum conantis a proposito, elu-  
sit blanditias, & verba contempsit, non ab-  
rupta contumacia, sed causa meliore. Tum  
ad sodales scripsit gratias agens beatissimæ  
Dei matri: illi enim se, & nouæ institutio-  
nem vitæ, & in ea constantiam referre acce-  
ptam, vtriusque porro sodales, vt in perferen-  
dis laboribus, Christi causa, & aliorum salu-  
tis, sic etiam in perpetiendis iniurijs, iniurijs  
cum exigeret vnus a propinquo ducentos au-  
reos sibi debitos, irrisum primo, dein contu-  
melias, ad postremum verbera, æquo animo  
tulit. Alter percussus alapa, etsi percussoris  
nomen detulerat, vt eum reduceret ab amen-  
tia, nostrorum admonitu, remittens offensam  
desistit ab incepto: et ostendit Virgo esse si-  
bi curæ eorum religionem, id adeo patebit



his paucis exemplis. Nocte vnus Sabbati inter dormiendum pugione petitus ab inimico est, sed aberrante manu, an suspensa, Deiparæ nutu, obliquum vulnus in viscera non descendit: hoc facilius ipse ad ignoscendum. Alter, cum inter nauigandum (Melitam contendeat) graui oppressus tempestate, vt incrementibus ventis, concidissent animi nauarum, nec restaret aliud, nisi decimus fluctus merfurus nauem, in vltimo discrimine, vt maris stellam inclamauit, salutarem agnouit, tempestate sedata: eiusdem auxilio, Turcarum manus se persequentium effugit, non minus mirum illud, quod sequitur, vehebatur alius rheda, is, nescio quo casu, an succussantibus rotis, cum e latere decidisset, (factum non caperet fidem, nisi auctorem haberet Iesum, & Mariam, quos ille in periculo nominauit) post earum transitum incolumis surrexit. Ita, in suis defendendis terra marique, Virginis sospitatrix illustre præsidium fuit. Fuit etiam suus honor & fructus scholarum, ad quas ventitantium auctus numerus, sub ferias Autumnales, distributis publice præmijs, in magno consessu nobilium, sollemni apparatus. Dimissi interdum nostri circum fora & compita, viasque latiores, erudiendo excitandoque populo ad pietatem, vt nonnumquam, (vt in frequenti ciuitate) audirentur a quinque millibus: nec defuit fructus. mit-

to pro-

to procubuisse mortales in genua, cum peccatorum detestatione & lacrimis, misericordiam diuinam implorantes, & veneratos crucem ostensam. condonauit vnus iniuriam inimico, qui oculum pugione effoderat, graue alius crimen, quod multis annis habebat tacitum, aperte & palam multis audientibus indicauit. extremum illud sit, Vesuuianum (villa est suburbana) ædificatum nobis piorum liberalitate, æquum esse existimantium, vt quos laborantes intelligerent ipsorum causa, ijs extruerent sedem amœnitati dicatam, vbi requiescerent a continuatione laborum. Christianæ doctrinæ Oratoria, quattuor numero, constant hominibus fere quadraginta, supra quingentos, idiotis illis quidem, & victum labore quærentibus, sed iuxta pijs, & probis. mutuam caritatem, & amore in viuos, & auxilio in ægros, & supremo officio in defunctos, quos suis exportant humeris, prosequente cœtu reliquo, ostendunt. mira cuiusdam religionis iam prouecta ætate: processerat ad annum septuagesimum secundum, duos postremos exegerat ex legibus Oratorij, atque hos tantum dicitabat se vixisse, amisisse reliquos nullo fructu. moriens mandauit suis, vt schedulas menstruas Sanctorum tutelarium adalligatas filo ad collum secum conderent in sepulcrum. testimonium pietatis. liberiores ludos nec exercent ipsi, nec, quantum possunt, patiun-



tur. Vnus ex ijs, cum suis in ædibus offendisset mercatores duos pecuniosos, ludentes alea, etiamsi perutilis erat ei familiaritas vtriusque, magno tamen animo conscidit lusorias pagellas, præ Dei gloria, quantavis utilitate neglecta. Hoc admirabile, quod vnus retulit sibi accidisse: occultabat iamdiu, in magna existimatione pietatis, admissum scelus, seu patefacere differebat: nec licebat rem facere, quodlibet lucrum domestica impensa deuorante. die quodam operanti intentius interuenit homo ignotus, habitu peregrino: ab inuisenda Lauretana Virgine, cuius & imaginem insuerat in vestem, videbatur regressus, tum arrepto instrumento artificij dat ansam mutui colloquij: eo procedente. Iamdiu, inquit, animi angeris, & tectum quoddam facinus, quod premis, accendit intus dolorem tuum. Quin promis illud confessione, vt omnia tibi optata contingant? quod si facere omitteris, ne tibi, tuisque rebus haud paulo deterius erit, quam prunis istis, caderant vt mos est opificibus in foculo prunæ, & ardentibus concepto igne. Tum artifex pudore suffusus, negare tale quicquam sibi esse. Noli culpam augere, inquit alter, apud scientem. Hæc me ad te misit: simulque imaginem Lauretanæ Virginis ostendit, nec moratus plura, discedit, & relinquit hominem attonitum, omniconstantione differendi consilij exempta. Hæc

fere

fere de externis: sequuntur domestica. Missi  
 e nostris in Indias octo: reliqui desiderium  
 vix ferre queunt. Adolefcens vnus incredibili  
 firmitate animi diuturna tabe consumptus.  
 Iam quid dicam de Patre Ioanne Baptista Pi-  
 scatore, qui Rector huius Collegij decessit?  
 Et plurima quidem possemus, sed modus ad-  
 hibendus est. Romæ diu cognitus, & carus:  
 præfuit enim moderationi Novitiorum, quam  
 & Neapoli suscepit: ab hac translatus ad regi-  
 men Collegij: sed plusquam humanæ virtutes  
 deberi cælo duntius non potuere. talis fuit  
 perpetua æquabilitas hominis in omni vita, &  
 frons semper eadem: vultus vero cum seren-  
 nus ipse per se, tum etiam serenans aspicien-  
 tium animi nubes. moderatio animi profus  
 inuicta. contemnere honores, exuere cupidi-  
 tatem, se denique ac corpus suum uilia habe-  
 re: in regendis socijs, comitas non sine seue-  
 ritate: neque grauitas sine facilitate erat: vt  
 difficile esset existimare, vtrum eum nostri ma-  
 gis amarent, an vererentur: tanta vero in sin-  
 gulos cura ac diligentia, vt eundem omnes  
 tam supra se esse scirent, quam pro se esse: ne-  
 que arbitraretur quisquam se non vnice dili-  
 gi, aut suspicaretur præferri sibi alium in amo-  
 re. atque hæc omnia, sine vilo artificio. in ex-  
 ternos pauperes, præcipue verecundos, adeo  
 liberalis, vt detraxerit sibi interdum de inte-  
 riore vestitu, ad illos contegendos. Iam de



studio excutiendæ conscientiæ, intentæque  
 precationis (vt affirmet viri magni visum  
 duarum altitudine ulnarum subiectum e  
 terra) sicut de confidente flamma ignis ad  
 eius aspectum, quam multorum opera extin-  
 guere non potuerat, deque alijs quibusdam,  
 quæ speciem habuere miraculi, quoniam non  
 vitam eius teximus, præteribo. de obitu ali-  
 quid collocabo. Grauis morbus hominem ce-  
 pit, quem & medicamina grauiorem facie-  
 bant: alterum scilicet malum crescebat ex al-  
 tero. Ipse eo statu corporis, vt indicaret ani-  
 mi quietem, & non dolere, aut non sentire ui-  
 deretur. Quærentibus, an afficeretur dolore  
 ullo. Nec mediocri respondit. Cur igitur illum,  
 ne gemitu quidem, testaris? Quia quoad fie-  
 ri potest, suppressendus est: & nihil proficitur.  
 Sacro instructus viatico, cum conuenissent  
 domestici omnes suprema exposcentes man-  
 data, in hunc ferme modum exorsus est. E  
 mortali carcere ad æternum migrare re-  
 gnum, in religiosis pectoribus est summa vo-  
 torum. Sed non cuius statim contingit.  
 Quem enim illum tanta confidentia esse, vt  
 absolutionem spe innocentiz præsumat, apud  
 iudicem non factorum modo dictorumque  
 omnium, sed minimæ etiam litterulæ, ex ore  
 temere prolapsæ rationem exquisitissimam  
 deposcentem? Quam vellem ego me, non in-  
 cogitantem huius temporis, ad exactam nor-  
 mam

nam ex præscripto Societatis, vitam direxisset? Quo ardentius nunc vestram pietatem requiro. Necui imponat aliqua fortasse existimatio, seu species externa. Nam & comminutam calcem farinam dixeris, si oculis credas. Deum autem nihil fallit. Sed timorem tamen rectissimi iudicis solatur spes amantissimi parentis, ad eius me pedes abijciam supplex: propriam ipsius singularem misericordiam cum lacrimis implorabo: & ego quoque inter exempla diuinæ clementiæ numerabor. Coniungite vos quæso vestras preces: ut gratiam faciat nocenti, quandoquidem poenitet delicti. Quanto tegebat pater optimus sanctimoniam, modestia illustrior emergebat: dum se tandem relictis in terra non leuibus vestigijs, in cælesti luce collocavit.

## DOMVS PROBATIONIS.

**A**ESTIMANDI potius Tyrones virtute, quam numero censendi. vix enim fere vigintiquinque: sed feruor singulorum tantus, ut æquarint facta multitudinis. vnus eorum ita tenuit propositum per tres ipsos annos, quibus fuit domi, ut a sede potius paterna, quam ab illo se exturbari sit passus: quod etsi primo dolori parenti, postea tamen admirationi fuit: idque declarauit, cum ad eum egrotum filius accessisset: perhumaniter vi-



76 PROVINCIA

delicet accepit, & exporrecta fronte: addidit deinde, superuacuum esse inspicere constantiam filij nouis experimentis, quam ipse per totum triennium, huic vni curæ intentus assidua probatione perspexisset. Ceterum, hæc domus omnino constabilita: nam Societatis parens, illustrissima Dux Matalunensium, Roberta Carafa, quasi cumulum adderet innumerabilibus in Societatem beneficijs, sex aureorum millia post suam mortem assignauit, quo plures accipi possint: quod consilium femine sapientissimæ, ne frustra sit, mens expectandæ Societatis permultis iuuenibus, a Deo immissa. Hæc anno priore, posteriore enim auctus Tyronum numerus, & derivata ad nostros vsus aqua ex publico ductu, subterraneo meatu, ipsius Proregis impensa.

COLLEGIVM NOLANVM.

**O**MNES commoda vsi valetudine, præter vnum, qui recens a probatione huc missus, decubnit, occubuitque: nobilis quidem domo, sed nobilior pietate adolescens, quam cum toto biennio, tum maxime extremis diebus, & sermonibus, in morbi longinguitate ostendit. Ex hoc Collegio, vbi e nostris aliquot ad Rhetoricam instituuntur, missi Neapolim ad Domum Professam, qui recitandis suis scriptionibus darent specimen profectus: nec fuit paruum argumentum placuisse

tuisse patribus, virtute eloquentia ac fa-  
 piens notis. E templo utilitas, & ad eius  
 instructum cultumque propensa multorum  
 benevolentia, quae solet: haec fortasse ma-  
 ior, propter conuictos parietes peri-  
 strömatis, ornatum vnum e sacellis tabu-  
 la magni operis, aliaque instrumenta, quae  
 enumerare longum esset. Piorum Sodalitas  
 coniunxit se cum ea quae est Neapoli in  
 Domo Professa: sic, ut cum hi illuc profici-  
 cuntur, aut illi huc commeant, in eodem ni-  
 mero habeantur. et omnino similis erat illi,  
 nisi amplior foret Neapolitana. ceterum, ut  
 omnia eius munia exequeretur, ultimis die-  
 bus Bacchanaliorum lasciuam multorum li-  
 centiam obita in templo nostro ad quadragin-  
 ta horas compreeatione cohibuit: feria quin-  
 ta in cœna Domini duodecim mendiculorum  
 pedes lauit: quos opiparo exceptos epulo a  
 Sodalitij praefecto, donatosque argento, ipso  
 praesertim administrante, frequens multitu-  
 do suspexit. Natum praeterea & Oratorium  
 ex opificibus rusticisque, quo conueniunt a  
 prandio diebus festis, ediscenda doctrinae  
 Christianae. paruum hoc quidem, ut alia om-  
 nia, in ipsis incunabulis: sed spes est, Deo ad-  
 iuuante, ut ipsum quoque opportunis nutri-  
 mentis progressionem temporis adolescat. Po-  
 steriore anno, vir quidam non obscuro gene-  
 re iactatus morbo, cum deuouisset se nostrae



Societati, sanatus est non sine admiratione multorum. Restituta clericorum Sodalitas aliquot ante annis sic intermissa, vt pro dissoluta esset: additumque, vt singulis hebdomadis sermonum vicissitudine disputationes serant de rebus pertinentibus ad officia vitæ. re ipsa cognitum est, hanc quoque singulorum utilitatem non paruum esse vinculum communis societatis.

### COLLEGIVM CATACENSE.

**A**D VITAM multi, suspendiarius vnus ad mortem Christiano homine dignam confessione, & nostrorum oratione firmati. singulis diebus festis treceni, quingeni, celebrioribus bis milleni, cælesti pane se reficiunt. Quadruplex uirorū cœtus qui pietatem exercent: optimatum præsertim, amplior factus. annua supplicatio quadragenarum horarum, quam alijs annis illustrior. eorum, qui nobis dant operam, industria publicis declamationibus (gaudent enim luce præclara adolescentium ingenia) persæpe excitata. Sed hæc leuia memoratu: grauiora illa. Vir non ignobilis, accepta iniuria ab homine infimæ fortis, ad ultionem excanduit, solatium doloris: ei cum immineret toto animo, mitigatus est a Deo meliore mente iniecta: igitur adit ad nostros, rem totam aperit, per eos placatur inimico, ut honestiorem clemen-

tix laudem, quam uindictæ arbitraretur. Eſa  
 go reſpreſſum hoc malum de noſtrorum conſi-  
 lio: alterum item non minus, eadem ratio-  
 ne. Adoleſcens effuſus in amorem uirginis,  
 pudicitiam eius expugnauit, data fide futuri  
 matrimonij: clam id erat omnibus, ſed cum  
 tumefceret uterus editurus eadem multo-  
 rum, et proderet flagitium curioſius inſpicien-  
 ti, furtum matri filia aperit: id erat eiufmo-  
 di, ut etſi conſilium requireret, recuſaret con-  
 ſultationem: itur ad unum e noſtris ſacerdo-  
 tem, qui, Deo auctore, ſem ita prudenter e-  
 git, ut omne periculum diſcutteretur celebra-  
 tione nuptiarum: et utraq; coniungeretur  
 familia inſolubili uinculo affinitatis: Inſe-  
 quentis anni hæc capita accepi. Vnus ex ijs,  
 qui Sodalitia in Collegio frequentant, depre-  
 henſum impurum hominem, qui, nocte con-  
 ſcia, hortante libidine, in eius domum irre-  
 pſerat, cum poſſet occidere, liberum dimit-  
 tit, hæc pœna irrogata, vt poſtridie apud no-  
 ſtros totius vitæ peccata confeſſione abole-  
 ret, ac nouam vitæ rationem iniret. Vtrum-  
 que factum: Chriſtiana ultionis genus, ſerua-  
 te animam eius, cuius corpus poſſis perdere:  
 Alter impudicæ mulieris petulantiam fregit:  
 ex adoleſcentibus non pauci varios religioſo-  
 rum ordines: duo, noſtrum ingreſſi, fuimus  
 etiam, vt prædiximus, auxilio morientibus,  
 atque, vt vnum ponam alterumque de mul-  
 tis,



ris, Bellicastrensi Episcopo, qui & funebri oratione laudatus est ab uno e nostris rogata propinquorum. Adolescenti deinde, qui cum in valetudine prospera minus bene erga nos esset animatus, in aduersa, vt se patefecit sacerdoti, quem accersijt, clare, vt exaudiretur ab omnibus, exclamauit, Visus sum videre hodie ad me angelum Dei e caelo delapsum. Itaque libenter migrabo. nec multo post, placido veluti somno, est morte consopitus. foris etiam non nihil actum. Tabernis (hoc oppidi nomen est) habendis Quadragesima concionibus, explicandis capitibus fidei, & conscientiae casibus, audiendis hominibus omnium annorum malefacta aperientibus, accendendis mentibus ad celebrationem sacrorum mysteriorum, is extitit fructus, qui etiam me tacente intelligi potest. Sodalitia duo instituta: virorum nobilium, ij iam octoginta: et adolescentium deditorum studio litterarum: hi fere sexaginta numerantur. reconciliati diffidentes: ex ijs vnus non iniuriam solum remisit, cum esset laesus, sed compensationem etiam damni, quae offerebatur. Post confessionem alter, cum prospectaret e fenestra illum, a quo fuerat offensus, contenta uoce hominem appellans, Cupio, inquit, inter nos esse pacem: eam pacem quam esse decet inter homines Christianos. restituta magna uis argenti, & paupertas multorum subleuata. haec propter,

pter, & talia, Tabernenses Collegium cogitant. obita etiam vicina mapalia, uillæque frequentes, vno e dynastis nostrorum conatus ope ac litteris adiuuante. In vno præterea pago laboratum toto ieiunio verno: vbi præter alia præclare constituta, refectum templum, quod uetustate atque incuria detectum prolabebatur, nimirum ex sumptu externo de interiore fructu conijcere licet.

## COLLEGIUM ALETINVM.

**M**OREM suum obtinent Congregatio- nes, de quibus alias scripsi, ex ijs vnus nostrum, aliquot alij in alios religiosorum ordines adlecti. Ex ea, quæ est sacerdotum, in quam nuper cooptatus Vicarius Apostolicus, obiere duo: narratur vnus habuisse domi expositam tabellam, memoriz causa, quæ descripto reuocaret in mentem quos hebdomadis statum diem obeus de Congregationis agellum alter reliquit Societati: paruulum illum quidem, sed grande amoris argumentum, ex ea, quæ est nobilium, duo similiter exempla, in alio genere ponentur. Pernoctauit quidam sub dio, quod in cauponula, ad quam ex itinere diuerterat, sollicitante muliercula tuto esse non posset. Igitur hoc vnum, maius quod sequitur. In iudicem regium (is est vnus e sodalibus) quidam impotens ira,

atque



atque intemperans, ita commotus est animo, ut non abstinens maledictis, etiam colaphum impegit. hanc ille iniuriam tam insignem Christiane habuit, nec voluit ulcisci, cum posset. Sed is deinde, qui intulerat (quieuerat nempe animus, & in locum iræ successerat æstimatio) cum accusaret stultitiam suam, magna que oblata, si opus foret, pecunia postularet sibi ignosci: Ego vero, respondit sodalis, an condonanda sit iniuria, non quantamlibet pecuniam, sed Christi Domini voluntatem in consilium adduxero. post paulo veniam dedit, eamque consignatam litteris, non satis admirante ciuitate, misit ad publicos magistratus. At corpus opificum, sua suu nostrorum, cœtum mendicorum instituit, Collegio non procul, qui singulis diebus festis, vbi in templo nostro communicarunt, stipe donantur: ita animorum prospicitur, & corporum necessitati. Traditur & a nostris doctrina Christiana permagno puerorum concursu, qui tota fere ex vrbe conueniunt, deducuntibus magistris: atque id quidem in nostro templo: nam in aliis, mulieres, rustici, ceteraque vitum aut manu, aut aliena ope, quaritantium turba, edocentur: vt omnes propemodum vrbis via noctu diuque Christianis cantionibus personent. hæc inter Xenodochia adita, adiutaque audiendis confessionibus: et carcer non neglectus: hic constitutum Sodalitium

um hominum ad quinquaginta : eorum hoc negotium, vt omnibus diebus, matutinis, vespertinisque precationibus vacent: sacra mysteria frequentent: a diuini interim violatione numinis, a iureiurando, ab intempestiuis lusibus abstinentes. Excursum non inutiliter ad pagos propinquos: magicæ artes multæ, ac superstitiones sublata: tres a certo mortis periculo, totidem a pellicum consuetudine erepti: concordati aliquot disidentes: qui matrimonij sanctitatem polluebant, repressi. Messapiam (nomen est oppidi celebris) misisti duo ineunte Quintili, redierunt Sextili exeunte: atque, vt uno verbo absolua multa, superauit fructus binestrem laborem. Hic accidit quiddam memorabile, & auditu iucundum. Vir nobilis ita a nostris erat animo abalienato, vt eorum non congressum modo, sed etiam conpectum vitaret: interest tamen concioni, seu calumniandi studio: siue amicorum precibus adductus: hic vero ita commutatus est, Deo impellente, vt superiorem alienationem redimens assidua affectatione nullum faceret eis benedicendi finem: ipsorum vero sermonibus explere animum non posset: quin & vxori persuasit, vt domum hereditariam Societati donaret. cuius exemplum secuti alij viri nobiles duo, vxoribus suis idem vt facerent, auctores fuere. quibus quasi fundamentis cogitant ciues de Collegij ædificatione,



eatione: eius cupiditate vsque adeo incensi,  
 vt cum polliceantur omnia quæ sunt opus fa-  
 cto, præter Patris Generalis assensum, nihil  
 aliud desideretur. Cetetum obiit Pater Ioan-  
 nes Antonius Bonitus huius Collegij Rector,  
 spectata vitæ probitatis: eodem prorsus mo-  
 do, quo triennio ante Pater Petrus Pictarella,  
 cum se contulisset Neapolim ad Prouincia-  
 lem Congregationem. Hæc scripseram anno  
 superiore. Nunc alterius anni res breuiter  
 adiungentur. Ad ædem ventitat omnis homi-  
 num ordo, & Prorex ipse cum liberis, tota-  
 que familia, criminibus expiandis: quin &  
 virgines multæ, quas (vt mos est in his re-  
 gionibus) interdum conspici in publico ne-  
 tas, multo mane, diebus festis, ne careant sa-  
 crorum vii. Consulsum, vt ferme alijs annis,  
 aliquot mulierum pudori, & vitæ, egenorum  
 tenuitati, ac bonis multorum. Abductus vir a  
 consilio interficiendæ vxoris, quæ iterum ge-  
 rebat, et correctus ad frugem. Iniustorum  
 rationes contrarium inhibita: superstitiones  
 carmina, ac veneficia sublata: fatidicorum  
 & vatium libri exusti. Sed & ciuium erga nos  
 pietas, collato argento ad instrumentum sa-  
 crum, frumento ad vicium, in hac senitiæ  
 annona, mirum in modum ostensa.

BARIENSE ET CIRINOLA-  
num Collegia .

**B**ARII magnus confessionum numerus, & contentium fructus. octo priore anno, altero viginti, e nostris, aut scholis, aut Sodalitij, ad monasticam vitam se receperunt. sublata discordia: odia restincta: principes viri, quod semper antea recusarant, coram Antistite deposuerunt iniurias, ex inimicissimis amicissimifacti. Vnus destitit a libidine vltionis, negotium curante, aut gloria, aut malitia. Alter e clientibus Deiparæ, eum a quo lacerabatur probris, petitione veniæ non solum ad admirationem adegit, verum etiam ad pudorem. Pater, qui sic dolebat filij mortem, vt, ne esset illi superstes, iam ferrum strinxisset, adductus ad ipsius funus siccis oculis persequendum. Mulier, cui maior cura erat cultus, quam virtutis, audita concione immutauit se totam: itaque studium omne contulit ad ornatum animi: ut seueritate vitæ & castigatione corporis excitauerit æmulos: indixit domesticis menstruam sacramentorû perceptionem, qui facere negligit, interdicitur domo: quot Calendis deligit sibi e sãctis peculiarem vnũ, cuius diem festum celebrat ieiunio præeunte: mox lautiore conuiuio, ad quod ipsa inuitatis pauperibus studiose ministrat. scholæ florent



numero discipulorum: fructum vel ex eo spectes, quod ex illis vnus Archiepiscopū redeuntem e Pontificia legatione, oratione excepit aduentitia, in summo templo, totius concursu ciuitatis: nec minus ex multitudine & elegantia versuum, quibus sunt omnes vestiti parietes Gymnasij, cum idem Antistes postridie Collegium inuisit: denique non multis post diebus, ex Hercule in biuio, magno apparatu, dramatico dato. Sed magnam etiam voluptatem cepit Archiepiscopus, cum edictis precibus ad horas quadraginta, prætulit sacrosantam Eucharistiam per fora vrbis & compita, vniuerso populo prosequente. Itum sæpe ad ægrotos, & ad vicina interdum oppida: nec reditum sine fructu.

A T CIRINOLAE æstate fere tota, & parte Autumni, nostri aduersa omnes valitudine correpti sunt, maxime Pater Rector, quem semel atque iterum sacro inunctum oleo (ita labi videbatur spiritus, nec diu duraturus) ægre retinuimus. nec vero omnittendum est quiddam admirabile, quod fratri accidit. laborabat tertiana duplici: eam in quinquagesimum sexagesimumue diem ituram medici effabantur: verum is, cum quinto & vigesimo die, Dominicum corpus, quo diu abstinuuerat, dum purgationi dat operam, avidius hausisset, expulit morbum, celeritate rei admirationem augente, nec minimum profuit.

fuit ad reficiendos ægrotos aduentus Patrum  
 Visitatoris, & Prouincialis, e quibus magna  
 redundauit in omnes utilitas & voluptas: ex-  
 cepti a discipulis orationibus duabus, & epi-  
 grammatis compluribus, illis argumentis de-  
 bitæ gratulationis. Expositio elementorum  
 fidei in nostro templo non intermissa. Con-  
 fessiones generales multæ auditæ. Spectata  
 pietas & constantia duorum adolescentium,  
 vnius in tuenda pudicitia, alterius in propo-  
 sito ineundæ Societatis, quod ita retinuit ob-  
 iurgatus a suis, atque etiam domo eiectus, vt  
 illis tandem non nolentibus perduxerit ad exi-  
 tum. Extremis Bacchanalibus indicta suppli-  
 catio in æde nostra, ubi septuaginta commu-  
 nicarunt: non magnus fortasse numerus in  
 magna ciuitate, sed in parua, nec latere po-  
 tuit, nec debuit taceri. Et quamquam anno  
 posteriore serio actum est de Cirinolano Col-  
 legio deferendo, salus tamen proximorum su-  
 premo hoc tempore non neglecta. cum pau-  
 peres fame vrgerentur, coactum per nostros  
 tantum pecuniæ, vt singulis diebus Domini-  
 cis tribueretur inter capita amplius trecen-  
 ta, quantum cuique satis esset. sic conserva-  
 ta non paucarum pudicitia virginum, cuius  
 venditionem suadebat egestas. Dispensabant  
 eam pecuniam sodales Parthenij, qui & men-  
 se Septembri magnum æs corraserunt suble-  
 uandæ inopix, & mulierculis vestiendis fere



quadraginta. Data præterea opera est, vt præfecti rei frumentariæ, quod ad victum, ad sementem, ad sustentationem egenorum, opido opus esset, in tempore suppeditarent: quod si prætermissum foret, magna consecutura erat rerum confusio, & interitio multorum. persuasum vni, qui venenum præsumperat, vt in morte corporis prospiceret animæ salutem, ita, quod factum reuocari non poterat, opportuna damnatum pœnitentia stetit minore damno.

### COLLEGIUM SALERNITANVM.

**A**DMONVIMVS proximis litteris Collegium Salernitanum nuper acceptum. est ipsum loco salubri, & amœno: quippe edito, & clementer accliu, nec ita procul mari, unde pulcherrimus prospectus: fuerat olim Cœnobium matronarum, vt fuerit parum immutandum. et quamquam huc expectati venimus, experti sumus principio aliquos non amicissimos: leui admodum de causa: verebantur nempe, ne tam pulchri consilij laus penes solum Proregem esset: cupiebant & ipsi, uti erant, videri participes: vbi satisfactum illis, se nobis reddiderunt. septemdecim nostris alentur annuo vestigali, quod ciuitas constituit templum, vt nunc est, celebratur: sed apparatus nouum capacius, & facilius

cilius ad ascensum. Saluti animarum nauatur opera diligenter: de rebus serijs non a multis modo, sed & ab optimatibus consulimur. E prima nobilitate duo deposuerunt inimicitias, nostris deprecantibus, in magnam perniciem alioqui erupturas. Et quamquam ipsa ciuitas vetere instituto litteras & sapientiam docet, tamen & nos doctrinæ cupidam & probitatis numerosam adolescentiam habemus, ante diem sextum idus Octobres, apertæ scholæ duæ, magna ciuium gratulatione, & concursu: institui Sodalitium sub patrocinio vocabuloque beatissimæ Virginis expetunt, adolescentuli uirique: sed interea solantur se per dies festos exercitatione Christianæ doctrinæ: concurrunt pueri ad certamen memoriæ ac pietatis, parentes ad spectaculum: et videre est, in illorum contentione, horum gaudium, & metum. Excursum etiam in vicinos pagos optabili rerum successu, a turpi libidine multi abstracti: nonnulli ad pœnitentiam adeo conuersi, ut illam testari uoluerint publica pœna, quam & supremam se suscepturos summo cruciatu affirmabant, si ita sacerdoti visum foret. Expugnata multorum pertinacia, qui sacramentorum usurpationi iam diu desueuerant, vno adhibito remedio confessionem ab ineunte ætate repetendi. Cum ageretur in concione de pace & concordia, quæ est propria Christianorum, exclamauit



mauit vnus e media turba, se Christi causa  
 condonare offensam inimico: eumque comple  
 xus vltro, admirante templo, in osculum ap  
 plicuit. magna vis globulorum piacularium  
 multitudini, vel e remotis locis eam ob cau  
 sam confluenti, perutiliter distributa. Super  
 stitiones eiectæ. Sacerdotes, quod esset eo  
 rum officium condocefacti. ægri auditi, adiu  
 tique talia id genus præstita, quæ, quoniam  
 etiam non admonitis venire possunt in men  
 tem, taceri, nullum rerum, nec annalium dis  
 pendium puto. Hic erat status anni nonage  
 simi. Sequenti, instituta schola de officiis ho  
 minis Christiani: et quattuor præterea Soda  
 litates. vna ex nobilitate & optimatibus: hanc  
 & ipse Archiepiscopus sua præsentia cohon  
 stauit. altera e iuuenibus grandioribus, qui  
 dediti grauioribus disciplinis publicum vrbis  
 Gymnasium frequentant. tertia ex adolescen  
 tibus auditoribus nostris. postrema ex opifi  
 cibus. Singularum autem talia initia, vt non  
 solum de omnibus bene sperare, sed futuras  
 etiam re ipsa vtilis confidere possimus. fru  
 ctus concionum vel hinc intelligas, quod qui  
 dam, saluo officio pecuniam quam retinere  
 non poterat, ad Collegium misit, domino red  
 dendam. Vnus præterea e magistratibus, cum  
 cognosset se e decretis ac responsis suis plus  
 accepisse mercedis, quam par esset, se ipse  
 multis coram reprehendit, misitque per vr  
 bem

hem homines certos, vt eum significarent omnibus restituere paratum. quod præter debitum exegisset: neque minus effecit, quam spopodit. In excursionem per finitimos pagos ea præstita, in quibus nescias, maior ne fuerit laborantium in excurrendo caritas, an fructus.

## COLLEGIUM CONSENTINVM.

**F**VNDATVM Collegium annuis reditibus, vt spes est, aureorum millenum, liberali munere piæ ciuitatis: quæ & in instruenda domo, ædeque laxanda, erogauit ad mille octingentos. reuocatus creber vsus sacrorum mysteriorum, e tribus conuentibus hominum, de quibus proxime scripsimus, duo in nostram Societatem, totidem in alias religionum familias admissi. continentur & eadem cura, quam Deo adspirante susceperunt, adolescentibus non pauci, magnis virtutum atque ingenij præsidij muniti. Sexcenti aurei bona fide redditi. inimicitia sepulta. vir primarius vnus, male verbis ab altero acceptus, gratiam fecit iniuriæ: eiusque factum alius in simili genere imitatus. persuasum patri, vt filij necem ferret æquo animo, interfectoriq; ignosceret, Christi videlicet consilium secutus, & exemplum. Scholæ tres aperta: & quamquam ipsa per se iamdiu vrbs magistra fuit literarum, & humanitatis, ad nos concurrunt



tam multi, vt Gymnasio non capiuntur. Ex-  
 cursum in pagos finitimos, magna voluptate  
 perinde, atque vtilitate hominum, qui nostros  
 pene venerabantur, vt e celo lapsos, de totius  
 vitæ criminibus auditi permulti, mulier, quæ  
 raptabatur iamdiu a malo dæmone, vexaba-  
 turque, liberata per sacerdotem nostrum ad-  
 alligatis ad collum reliquijs Sanctorum, in vno  
 pago communicarunt septingenti. mense Mar-  
 tio, binis in templis, vbi nostri concionaban-  
 tur, sexta quaque feria magnus fuit numerus  
 se cædentium flagellis. denique, vt dicam v-  
 no verbo, quocumque se conferebant, exem-  
 plo vitæ, & assiduitate laborum, lucem quam-  
 dam videbantur afferre sanctorum morum, &  
 astrictioris disciplinæ: eo magis, quod priua-  
 tum nullum commodum quærentes amorem  
 publicum reportarunt. Illa igitur primo an-  
 no: altero hæc. Mulieres quinque prostituti  
 corporis ad honestatem redactæ. Sublatum dif-  
 fidium diuturnum, duos inter coniuges, ma-  
 gnum vinculum discordiarum. Consentino-  
 rum erga nos liberalitas minime tacenda. Am-  
 plificando templo, aureos bis mille sexcentos  
 vnus dedit: mille alter viuens post ipsius obi-  
 tum destinavit. Vestem sacram alij auxere.  
 Nobilium Congregatio, procurationem pau-  
 perum conquisita collataque stipe egregie su-  
 stinuit. Ex illis vnus acceptam iniuriam obli-  
 uisci maluit, quam vlcersci, cum posset. ex om-  
 nibus

nibus Sodalitijs in varias religionum fami-  
 lias se abdidere octo: duo, si eorum voluntate  
 inspicias, in nostram: re ipsa vnus: alter  
 enim cum proficiscitur Neapolim, a germanis  
 fratribus. (hi erant numero quinque) retra-  
 ctus e via, incertum an dolore animi, post pau-  
 lo moritur: nec impune fuit vni ex fratribus,  
 qui inuitum ac renitentem reduxerat do-  
 mum: cum enim inferenda capita his litteris  
 mittebantur. Consentia, idem vitæ discrimen  
 adibat. Ceterum in Consentino agro pagi fere  
 centum: ex ijs obiti aliquot perutiliter. consti-  
 tuta Sodalitia: ad ea vt ali qui admitterentur,  
 exuerunt odia multorum annorum. ca-  
 des repressæ. peccata detecta, & pro-  
 hibita. ea denique gesta, quæ  
 non dilatari oratione, sed  
 tacito iudicio

estimari de-  
 bent.

HABIT SOCI: tertium quinquaginta  
 in Panormi, in profectum, Domino dui-  
 dus quæ: in Collegio viginti octo: Mellane  
 ogoginta quatuor: Capua vnderiginta: ro-  
 tidon spraculis: in Collegio Montis Regalis  
 ftes & viginti: vno plus in binoculis: in Pro-  
 fectano septemdecim: in Calatrazonensis  
 oshochiana Rhedino & Minardi tertios  
 dages: in Probanois, Domino Mellane  
 viginti septem: in Sods Calatrazonensis  
 quat.

PRO.



74  
P R O V I N C I A  
S I C I L I A.



VONIAM in hac Prouin-  
cia duorum materia anno-  
rum apte conglutinari non  
potest: ita in locis singulis  
mutatus est numerus no-  
strorum, & nusquam fere,  
res eiusdem modi vtroque  
anno accidere: nec tamen distrahere oportet:  
ego autem iam priorem annum composue-  
ram: mediam quamdam viam tenebo: seiun-  
gam tractatione, coniungam ordine: hoc  
consilio, vt nominatim distinctis annis, sub  
suum veluti signum singula censeantur.

A N N O . X C .

H A B V I T Socios tercentum quinquagin-  
ta. Panormi, in professorum<sup>1</sup> Domo quin-  
quaginta: in Collegio viginti octo: Messanz  
octoginta quattuor: Catanz vnde viginti: to-  
tidem Syracusis: in Collegio Montis Regalis  
tres & viginti: vno plus in Bivonensi: in Dre-  
Panitano septemdecim: in Calataieronensi  
octodecim: in Rhegino & Minæensi ternos  
denos: in Probationis Domo Messanensi  
triginta septem: in Sede Calatanassettensi  
quat-

quattuor . Desiderati sunt quattuor. Adscripti in societatem duodeuiginti .

A N N O X C I .

**H**ABVIT Socios tercentum quadraginta vnum. Panormi in professorum Domino, quinquaginta tres: in Collegio quadraginta octo: Messanzæ vnum & sexaginta: Catananzæ viginti quinque: quindecim Syraculis: totidem in Collegio Montis Regalis: in Bivonensi viginti quinque: in Drepanitano quattuordecim: vno plus in Calataiaronensi: in Rhegino sedecim: duodeuiginti in Minzensi: in Probationis Domo Messanensi triginta: sex in Sede Calatanassettensi. Desiderati sunt quattuor. Nouem in Societatem adscripti .

DOMVS PROFESSA PANORMITANA .

A N N O X C I .

**I**VBILEI tempore, quod incunte anno promulgatum est, magnus ad expiationem noxarum, mortalium concursus: nec exiguo nostrorum labori par fructus respondit. Meretrix nota & nobilis, quæ ad lenocinium formæ addens veneficia multos sibi turpi vinculo obstrinxerat, in matrimonium honeste col-

locata



locata. Mauri septem a Maumete ad Christum conuersi, nostrorum opera ad baptismum præparati, & instructi. Quidam hæresi emerfus, in qua per septem annos volutabatur. Adolefcens, moribus & ingenio ferox, suafu nostrorum, reconciliatus inimico, a quo graue vulnus acceperat, admirante ciuitate: auxit admirationem paucis post diebus relicto sæculo Cœnobium ingressus. Ita proficere in dies eorum est proprium, quos diuinus amor inuasit. Alter, cum pœnas posset sumere ex inimico iacente, maluit ignoscere. Episcopus quidam sororis suæ filium equitem Hierosolymitanum noluit in aulam accipere, nisi antea nostris commentationibus excultum. Quo tempore in hac domo celebrata Congregatio patribus ex tota Prouincia confluentibus, factum est Proregis benignitate, studiisque Archiepiscopi, vt ad nos peruenirent aurei quingenti. Sodalitium dicatum beatæ Virginis, sacellum ædibus nostris continens ædificauit, duum millium impensa. Vnus e sodalibus, cum grauiter ægrotaret, magnam pecuniam legarat in pios vsus, idem postea conualescens per se ipse effecit, quod alijs mandaratum: ne quid videlicet expectaret amicos, quod ipse agere posset. In acerba illa, & memorabili lignei pontis dissolutione, quo Proregem Melsana redeuntem exceptura, obuiam, cum Senatu, & sacrorum Antistite nobilitas Panormitana,

mitana, de more, processerat, misereque per-  
 multi obruti aquis, absumptique sunt: nostro-  
 rum sacerdotum caritas in solandis parenti-  
 bus, coniugibusque mortuorum, ita eluxit,  
 vt illi suorum desiderium Christiane ferentes,  
 postridie ad templum nostrum accesserint  
 Christi corpore reficiendi. Illud non omitten-  
 dum, quod cum per illos ipsos dies ductus ef-  
 fet quidam ad supplicium, sacerdos vnus e  
 nostris, qui eum firmarat in morte, capto tem-  
 pore, superiorem illam calamitatem, vt vin-  
 dicem scelerum dictitans a Deo immissam, ita  
 permouit ingentem hominum multitudinem,  
 vt, Crucifixi signo sublato, adhortatus omnes,  
 qui animam saluam cuperet, præcuntem se-  
 queretur, tria hominum millia ad ædem ad-  
 duxerit: quos & conscensa concione impulit  
 ad peccatorum detestationem, lacrimasque,  
 & nonnullos ex ijs, qui inter se dissidebant, ad  
 mutuam concordiam & pacem. tantum valet  
 in conficiendis negotijs, opportunitas rei ge-  
 rendæ.

ANNO MDCXCI.

**Q**VAE GRAVIS vrebatur plebem anno-  
 na, nostrorum studia in procurando pau-  
 perum victu accendit. Domi nostræ ad mul-  
 tos menses quotidie ducenti circiter refecti.  
 Auctum templum antea non satis capax mul-  
 titudi-



titudinis confluentis, beneuolentia præcipue Proregis, qui ex multatitia pecunia mille aureos attribuit. Triduo ante Cineralia instituta supplicatio horarum quadraginta, illustrissimo Archiepiscopo sacrum faciente: matutina & pomeridiana iisdem diebus habita concio, frequentia iuxta, & vtilitate populi admiranda: quin & Prorege ipso cum vxore familiarique, templum diesque rite concelebrante. Idem vsurpatum Nouembri mense diuino numini placando. Non adiuti solum, qui vincti erant in carcere, sed & soluti sunt, nostris connitentibus, ferme trecenti. Tantum autem potuit vnius cohortatio apud duos rixantes, vt et si alter iam sclopum expedierat, finem fecerint contentionis & odij.

COLLEGIVM PANOR-  
mitanum.

A N N O X C.

**C**OETVS iuuenum, qui Dei matrem patronam habent, augetur quotidie & flore, & numero: nec euanescit fructus. Septem religiosam vitam complexi: ex his quattuor, nostram. ardor omnium ad virtutem e paucorum perspicietur exemplis. Adolescens ad coercendam libidinem voto castitatis se obstrinxit, in hebdomadas singulas renouando. Fra-

ter

ter minor maiorem gerentem cum quodam inimicitias, libertate & efficacitate orationis ad pacificationem primum, dein ad confessionem, Dominicique sumptionem corporis adduxit. Ceterum, cum adolescentuli multi ambirent Sodalitium, excluderentur ætate, institutum hoc anno Oratorium, vt imbuantur interea, mox, vbi adoleuerint, in maiorum ordinem inferendi. Enata ex illis Academia Parthenia, ingeniorum curriculum, & experimentum: eiusque natalis dies, multigenis epigrammatis, & emblematis ingenti lætitia celebratus. Ceterum, discipuli sic tenaces pudoris, & pudicitia, vt eorum nonnulla dicta factaue depromi possint ad exemplum. Ero tantum vnus narratione contentus. Vnum ex his, cum ad rem suam iret, mulier magno pere euocat e fenestra, ingressum domum, & nihil mali suspicantem, precibus aggreditur, blanditijsque prænuntijs flagitij: exhorruit iuuenis impudentiam mulieris, & sublata voce execratur, quod alligare se nolit tam turpi facinore: cum subiecisset impudica, At statim te sacerdos absoluet: respondit idem, solui quidem a sacerdote possum, sed ego me scelere obstringere non debeo. hæc cum intonuisset magni animi adolescens, quæ laus militiæ, in simili genere pugna, arrepto cursu fugientem victoria secuta est.



**A**DDITIS viginti, quos inter, magistri quattuor, Philosophiæ, Theologiæ, duoque casuum conscientiæ, auctum Collegium magna gratulatione ciuitatis: celebratus is dies sollempni pompa, præsentibus magistratibus, in aula Collegij instructa. Datum initium Academia Philosophorum, Theologorumque, ex iuuenibus, queis ingenium & genus illustre. & iam altera erat eorum, qui ad Humanitatem informantur: huius cum renuntiatus esset rector, filius Præfecti regno, voluit parens ad excitandam inter æquales æmulationem, tribui præmia victoribus, pereleganti dialogo præeunte. E Dei matris Congregatione cum obisset vnus, elatus est comitantibus ceteris cum funeralibus accensis, suspiciente factum populo, & collaudante, non sine commendatione nostrorum. Quinque sæculum deseruere, duo, vt sub nostro, reliqui vt sub alijs ordinibus militarent. ambiunt & alij, sed obstant angustia temporum. Fuit enim, quod superius intellectum est, hæc ciuitas in tanta inopia, vt & multi honesta alioqui familia fame morentur. Fuere leuamento hominum duobus millibus, aurei bis mille quingenti, quos Collegij Rector a nobilitate collegit.

## -MESSANENSE COLLEGIUM.

A N N O X C.

**V**IR PRIMARIUS, pellicem, quam per annos duodeuiginti sibi dono & consuetudine deuinxerat, nostris hortantibus, iusta cum dote dimisit. Vir præterea nobilis, qui hominibus coactis in alterius necem imminabat, vno e nostris intercedente, odio in penitentiam verso ita mutatus est, vt eadem fere hora, quos parauerat ad homicidium, ad sacram confessionem adduxerit, & exemplo incitauerit. Mulieres item tres, vna eademque de causa, a cognatis & propinquis designatæ erant ad cædem, & duarum quidem interfectoribus inuentis, tertiæ, in quam magis irascebatur, uix tandem repertus est: totum hoc consilium, cum ad vnum, qui nostrum frequentat templum sacramentorum causa, permanisset, illum conuenit, cui mandatum erat, vt interficeret tertiam: perducit ad nostros: ita res omnis, Deo annuente, patefacta, & opportunitate remedij repressa est. Maior frequentia hominum conuenientium ad nostram ædem, quod capacior facta, ad eius ornatum Illustrissimus Buteræ Princeps, & Lecodiæ Marchio, Franciscus Sancta Pax, ter mille aureos, atque ibidem suum corpus tradendum



sepulturæ, testamento reliquit. Ciuitatis quoque erga nos liberalitas & beneuolentia perspecta est, cum ad subleuandam inopiam Collegij, vt vestigal annuam aureis ducenis septuagenis quinis augetur, curauit. Ceterum rogatu Episcopi missus sacerdos cum socio Pactas (nomen est oppidi) ita deuinxit ciues bene dictis factisque, vt, ipsomet adnente Episcopo, de ædificatione Collegij cogitetur. Concionum vberes fructus. Virgo, etsi iam vni desponsa, ita exarsit amore perpetuæ virginitatis, vt eius seruandæ se voto voluerit teneri. nec multo post concessu Episcopi incluserit in Cœnobium, sublata discordiæ: iurgia sedata: restituta pecunia: pellices dotata, ac dimissa: nobilium Congregatio instituta, eiusque promouendæ ratio tradita: comprecatio ad horas quadraginta indicta, e qua surgentes multi, requisierunt sponte inimicos, vt cum illis reconciliarentur, didicerant nempe reconciliari debere cum hominibus illos, qui Deum cupiebant habere placatum.

## A N N O X C I.

COMPLVRIBVS vndique confluentibus omni ope destitutis, fameque laborantibus, laboratum est a nostris in ea propulsanda. inita ratio, vt per Curiones conficeretur index domorum miserabilium: tum moderator Collegij vicatim distribuit inter nostros

stros urbem fere vniuersam: & in suam quif-  
 que regionem hebdomada sapius conquif-  
 tam pecuniam tulit. Nostræ præterea domi  
 magna quotidie alebatur multitudo: exhibant  
 dehinc socij per vias, ac fora, vt quotquot  
 reperirent pueros errabundos, manu prehen-  
 sos, atque in Collegium adductos recrearent  
 cibo, vestirent etiam plerosque. cocta & in  
 Collegio cibaria, & comportata in carcerem  
 ad publicas custodias: e quibus laxatæ non-  
 nulla. Neque hoc tamen satis erat remedium,  
 glifcente inopia, & morte grassante. Igitur  
 Rector, patresque alij, egerunt cum magistra-  
 tu, & viris aliquot opulentis, vt geminæ in-  
 struerentur aedes: uiris alteræ, alteræ mulie-  
 ribus sustentandis, perducti primum septin-  
 genti. Nec propterea desitæ subleuari femi-  
 næ non prodeantes in publicum necessitate  
 oppressæ. Res tulit, vt cum hæc omnia com-  
 mendarer sacerdos pro concione, affirmaret-  
 que posse in præsens negotium, & vasa ex au-  
 ro argentoque vendi, calicesque committi,  
 quidam ex auditoribus ita sit commotus ani-  
 mo, vt statim in Collegium miserit duo vasa  
 argentea, ignotum per hominem, mittentis  
 nomine suppresso. Sed alia videamus. Fratres  
 germani duo, e prima nobilitate, efferati  
 odio, quale solet esse fraternum, implacabi-  
 li, demitigante animos vnus e nostris oratio-  
 ne, ad lacrimas primum, dein ad pacem com-



pulsi. Idem præstitum cum alijs duobus, quorum vnus alterum vulnerauerat. reconciliati præterea plures: & homicidia, quin & parricidia prohibita, perditam vnus vitam admonitus a nostris cum virtutum studio, & Capuecinorum instituto mutauit. Nouem e concubinato emerferunt: vnus ex his difficili pugna. Suspendiarius vix tandem se agnouit, & aperuit, collo in laqueum inserto. Stetit etiam opera in religiosis aliquot adiuuandis. Captiui non pauci ante baptismum ad fidem instructi. Urbanae quattuor parœciæ adita, coactis omni ætati, sexuque, explicandæ doctrinæ Christianæ, extremis Bacchanalibus, cum lasciuia indulget sibi liberius, ex ijs, qui templum nostrum frequentant, viri amplius centum, sese acriter cruentantes flagello, præeunte eum cruce puerorum cœtu in speciem Angelorum, concentuque Musico, obierunt urbem celebri pompa. e Parthenijs, decem addixerunt se varijs Cœnobijs: vnus nostrorū. Hæc inter, accidere & quædam admiranda. Sacerdos in concione quadam testabatur, factis habiturum se vnus animæ conuersionem: eamque ad rem audientium preces aduocauit: putauit vnus, qui aderat, illam ad se machinam adhiberi: cum hac cogitatione euntem cubitum arctior somnus complexus est: aspicit sacerdotem, tamquam audientem de peccatis, & erudientem in ratione pie viuendi: so-

di: so-

di: solutus somno, venit nostrum ad tem-  
 plum, vidit eundem iterum, an videre visus,  
 inuitantem ad ingressum: paruit viso, seu som-  
 nio, vt alteri narrauit. Alius, de consilio no-  
 strorum, dum melioris meditatur initium vi-  
 tæ, & apud se, domi, vesperæ, clauso cubicu-  
 lo, secretus agitatur, audire visus vocem ma-  
 tris vocantis, ( ea iam pridem mortua erat )  
 eam respondisset, conticuit: nec multo post eã  
 dem vox: & postquam responsum est, silen-  
 tium: cum idem fieret tertio, egressus cubicu-  
 lo, cupidine quid hoc esset sciendi, non sine  
 horrore neminem videt. redit magis pertur-  
 batus animo, nec satis admirans, quid rei es-  
 set: & denuo vox: Miserum te, quid agis? qui-  
 bus tuam vitam committis? an ab improbis  
 hominibus vllum fidele consilium? quin tu rem  
 tuam vide: vita istos, perniciem ac pestem ci-  
 uitatis, sensit iuuenis mendacij patrem, &  
 notari nostros, tum vero intrepide, Immo no-  
 ui viros magnæ fidei, ac sanctitatis: & stat se-  
 qui sententiam ipsorum, quos certum habeo  
 propter beneuolentiam, nolle, propter pru-  
 dentiam, nec posse, de quoquam mortalium  
 male mereri. it ad nos mane anxius, exponit  
 sacerdoti dialogum, acceptoque sigillo cerco  
 consecrato, nec similis deinde vox ad aures  
 accidit, & timor omnis ab animo abscessit.  
 At mulieri, quæ aduersis conflictata rebus,  
 cacodæmonem excierat, eique sese deuoue-



rat, tatrior species obiecta: nocte enim proxima, antequam in somnum, sentit strepitum quasi pedum scalas ascendentium, leui motu: recitat symbolum Apostolorum de consuetudine, siue ex metu: videt interea totam domum compleri igne: clamorem extollit, & excitat matrem dormientem in proximo: hæc attonitam conspicata filiam, & scitata causam incendij, admonet vt salutaris impressio ne signi obarmet frontem: quod cum vtraque fecisset, imago flammæ per fenestras, multo cum sulphure fumoque, euauit: confirmauit hoc spectrum pietatem matris, filix temeritatem coercuit, Ceterum, in tot laboribus, multos e nostris morbus oppressit, aliquot extinxit: in his Patrem Carolum Pharaonem, qui magnam reliquit sui famam virtute partam: quadraginta annos meruit in Societate, Philosophiam, Theologiam docuit: conciones habuit cum fructu: mortem obiit vitæ consentaneam. is est, qui adhuc puer, cum Societatem affectat, abstractus a parentibus, & domi clausus, quando aliter non dabatur exitus, prima nocte, cum arrepto linteo ad nudum Christum seminudus profugit, commemorabili exemplo.

## CATANENSE COLLEGIUM.

ANNO MDCXCVI  
**C**ONGREGATIO Catanæ duplex, discipulorum, & nobilium: vtriusque progressio admirabilis, præsertim nobilium: quibus, eo die, qui annum aperit, inuitatus Episcopus panem Angelorum tribuit, incredibili voluptate. eodem rogante, vnus e nostris, in templo principe, ter hebdomada disputat de moribus & officijs hominis Christiani, magno totius Cleri, ac multorum religiosorum concursu. Confessiones quamplurimæ exceptæ, eo tempore maxime, quo Pontificiæ indulgentiæ fontes patuerunt Gallicano incendio restinguendo: prouisum etiam a nostris, ne clauderentur ijs, qui carcere tenebantur. In castro Regali (nomen est oppidi) sacerdos vnus, Quadragesima, conciones habuit: terque singulis hebdomadis disputationem de virtijs & virtutibus Christianis: sexta quaque feria, sub vesperam, de cruciatibus Christi: & fuit pretium audiendi. Ceterum Eustachio Paterno contigit, vt in hoc Collegio moreretur: egregius vita, domoque, triginta annos in Societate posuerat, maximam partem oppressus morbo, cuius vim placate ac fortiter tulit, magno animo dolores corporis superante.



## M V I C A N O N O X C I A T A O

**V**IS MORBORVM, per sex ipsos men-  
 ses perpetuo grassantium, magna nostris,  
 dum subinde vocantur ad ægrotos, ac mori-  
 bundos, fructuose laborandi occasio fuit. ad-  
 iuti qui in carcere attinebantur: & ex ijs ali-  
 quot libertate donati. subleuati egentes: seda  
 tæ inimicitia: restitutiones factæ: meretrices  
 abductæ: duxit vnus vxorem concubinam, e  
 qua liberos sustulerat. filij duo cum patre re-  
 conciliati: vnus in eum impetum fecerat iam  
 ense stricto: itaque & genu flexo veniam pe-  
 tijt: alter sic iram nutriebat, vt videretur  
 placari non posse: eo pax vtilior, & mirabi-  
 lior ciuitati fuit. Mulier, accepta insigni iniu-  
 ria, impotens iræ, inuocato dæmone, contem-  
 dit ad littus, vt se in mare demergat. hic cum  
 vidisset beatæ Agathæ effigiem in pariete, eius  
 opem implorat, animo fluctuante: offert se sta-  
 tim illi mulier panem ferens, & pisces, quibus  
 refota, abijcit consilium mortis: cum reuertis-  
 set domum, hortari filium ad vltionem non  
 desinit: donec tandem cum ægrotasset, suasu  
 vnus e nostris, mutauit mentem, & durauit  
 in rebus aduersis. Nobilium Sodalitas in su-  
 stentandis vincis, & quinque collocandis,  
 quæ erant orbæ parentibus, magnopere excel-  
 luit. Priuatorum liberalitas in ornando tem-  
 plo,

plo; angendoque Collegio, non parua: neque illis cedit sacrorum Antistes. Hic etiam, dum excipiendis agrorum confessionibus assiduam nauat operam Pater Ioannes Baptista Gulsus, morbum contraxit, variisque perfunctus in Societate laboribus; ac quieuit anno vigesimo septimo.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

A N N O X C.

**A**T SYRACVSIS, clausit diem extremum Pater Michael a Letaualle. fuit vnus e primis, quos Pater noster Ignatius, sancta memoria, in Siciliam destinauit: tringinta sex annos in hoc Collegio collocat, haud scias maiorene laborandi materia; an cupiditate: sic spiritu feruens discedebat ab obsequio corporis: excellens consuetudine precandi, cui sic instabat, vbi cessarat a laboribus, dies noctesque, ac si tota religiosi hominis vita oratio, aut pia occupatio esset. excessurus instrui noluit viatico; ante, quam se flagris de more cecidisset. quanti viuens fieret, declarauit luctus, & certamen animorum, in celebrando funere, & stringendis vestibibus, pileoque, vt haberent aliquid, reliquiarum loco. sed & ciues ipsi, e maiore sodalitia, sextis Quadragesimæ ferijs in templo nostro flagella vsurparunt: ex  
ijs non-



ijs nonnulli, Bacchanalibus, cum in ægrotum incidissent, suis manibus asportarunt in nosodochium, populo admirante. fratres præterea duo intestinis odijs dissidentes nostrorum cura pacificati. in reliquis officijs, quia sollempnia, nihil memorabile occurrit.

## A N N O X C I.

**N**EXIS, ægrotis, ductis ad supplicium non defuere subsidia. Multi se religionis vinculo obligarunt. Vnus ascitus a nobis.

## C A L A T A I E R O N E N S E

Collegium.

## A N N O X C.

**C**ALATAIERONENSIVM eximiam erga nos benevolentiam, vt semper alias, ita etiam proxime experti, quinque aureorum millibus ad absolutionem templi liberaliter oblatis. nec tamen nulla obtigit materia patientiæ. Sacerdotem vnum vir nobilis, incertum qua concitus rabie, infectatus, in media via laceravit contumeliis, probrisque: quæ cum ille transmitteret silentio, magnoque animo ferret, lætus pro nomine Iesu contumeliam pati, ita obstupescit maledicum, vt admiratione in pœnitentiam ver-

sa, eum affecutus suppliciter petierit veniam; tantoque in honore habuerit, vt paulopost exiturus e vita eundem acciuerit, cuius praesidio firmaretur ad mortem. Sic plerumque; Deo permittente, ex non bono principio non parua utilitas consecuta est.

## A N N O X C I.

**I**LLVSTRISSIMVS Buteræ Princeps; quod studiū erga Societatem in omni vita; ostendit etiam in morte clarissimis exemplis. Ergo Lecodiæ implicitus morbo nostros accersit: mittuntur duo: de peccatis confessus; & Eucharistia percepta, praedicat sibi sabbato proximo decedendum. nec falso: ad signum salutationis Angelicæ, die dicto, diem clausit extremum: atque, vt ne abesset corpore a nobis, efferri voluit in Messanense Collegium, adornarique sacellum trium millium impensa. Ciuium amor, qui solet. indicauit proxime, publica aqua in Collegium perducta. subsidio pauperum contulere aureorum duos milia septingenta quinquaginta. his sustentata ad dies plurimos tria hominum millia: Nostra etiam liberalitas, vt his temporibus, quæ potuit. Cum e Turcarum seruitio erepti multi, ad pia loca se conferrent; gratijs agendis, accepti a nostris, nec nisi post duplex conuiuium, quo & animos recreauerunt, & corpo





ra, dimissi. Magnus in ciuitate fructus. Ad priuatos quoque sua utilitas manauit. Quidam in supremo morbo, vt ne aperiret conscientiam, offirmauerat animum: verum efficaci vnus e nostris oratione a sententia deductus est: tanta cum mutatione, ac voluptate ipsius, vt grates perinde ageret, vt eius opera ab Inferis emerfus. Sed & mulier perquam diu in sueta nostro templo, cum ante Crucifixi imaginem, quasi extra se posita, orat sensum aliquem dolorum, quos ipse pertulisset in morte, paulo post nacta morbum, tam saeue cruciata est toto corpore, ad aliquot menses, vt ignorantibus causam medicis, ac remedium, expirans fidem fecerit, cuius particeps dolorum fuerit, eius non expertem iam esse voluptatum ex diuino promisso.

COLLEGIVM RHEGINVM.

A N N O . X C .

**R**HEGINI quoque nobis minime defuere: curarunt, ex consensu Proregis Neapolitani, publicam, et per amplam viam assignari Collegio, nostris vsibus maxime opportunam: & iam inaedificatae duae classes: & praeter horti aream satis patentem, relinquitur ad huc locus ad aliquot cubicula extruenda. a nobis etiam in ciuitatem exitit aliquis fructus.

fratres

fratres quatuor, quorum de amore agebatur in actione familiarum exercenda, ut, multis publice priuatimque agentibus, iamdiu ad concordiam redigi non possent, tandem, quodam e nostris interprete, vno die, re composita, in gratiam redire summa gratulatione ciuitatis. Ex hoc Collegio in quoddam Siciliae oppidum missus sacerdos quadraginta diebus ieiunio dicatis, non minus strenuam operam quam vtilem compluribus nauauit. sex mulierculas a turpi vita, totidem viros ab amore seculi abduxit. e concione de supremo iudicio tantus incussus est timor animis audientium, ut statim ea audita centum viginti homines, nudis pedibus processerint, operiti facie, sese grauius verberantes, effuso in spectaculum populo, nec a lacrimis temperante: at illi aestimabant seuitiam aeternarum poenarum, qui vltro breuitatem praesentium tam forti pectore subibant.

## A N N O M D C C I .

**I**DEM semel atque iterum praestitum, anno sequenti, sed aliam ob causam: bis precibus indictis ad horas quadragenas in nostro templo, fami auertenda coalui. Congregatio opificum, magno numero, ac fructu: ac praeter cetera, diebus festis, a concione vespertina, per horam integram simul preces effundunt:



fundunt. Ceterum quidam, forte an ægro-  
tus, nihil enim diserte de eo perscriptum, cum  
multorum concubinam annorum exegisset  
domo, hora altera moritur.

## M I N A E E N S E C O L L E G I V M.

A N N O X C.

**M** I N A E E N S E S ingentes gratias agunt  
habentque fundatori Collegij, nostro-  
rum vtilitate perspecta: quod & faciunt oppi-  
da propinqua: odia inter nobiles restincta: ab  
incestu, aliquot, fœdaque consuetudine tra-  
ducti: peccatorum pestis auersa: prohibita me-  
dicamenta, quæ parabantur partui abigen-  
do. Discipulorum magni profectus: Parthe-  
nij excellunt: hi ualde delectarunt populum  
in quadraginta horarum sollempni comprega-  
tione: & a tã honestis principijs pueritiz, spem  
afferebant adultæ virtutis, ubi robur iuuen-  
tæ adesset.

A N N O X C I.

**F** V N D A T O R I S aduersum nos amor  
grati erga eum animi significatione au-  
ctus, eius ope donati nobis aurei nongenti.  
Auctum Collegium sociorum Academia,  
qui humaniores litteras profitentur. Adiuti  
inopes, in hac difficultate temporum, re at-  
que opera nostrorum.

C O L.

COLLEGIUM DREPANITARVM.  
ANNO XC.

**D**REPANI sacerdotis nostri concioni-  
bus, fata Sodalitas opificum ducentorum  
fere & quinquaginta, cum onere hebdoma-  
darij conuentus, & menstruæ sacramento-  
rum perceptionis: magnus ex his perceptus  
fructus, totius vitæ peccata exponentibus,  
antequam in communem cœtum admittan-  
tur, excogitatum item, quasi Seminariolum,  
ubi pueri ad pietatem excoluntur, cum per-  
tatem licuerit, in Congregationem discipu-  
lorum gaudentium patrociniò Deiparæ Vir-  
ginis ituri. Vir propter sinistram opinionem  
ab interficienda vxore nostrorum opera de-  
territis.

ANNO XCI.

**A**CCEPTVM æs, quod Ioannes olim Pæ-  
neria, vir æterna dignus memoria reli-  
querat fundando Collegio. coemendis proxi-  
mis domibus, augendoque sacro instrum-  
to, non parua pecunia desponsa, partim etiam  
attributa, subleuata fames multorum, quin-  
gentorum aureorum stipe collecta. nec mi-  
nus opis collatum in mulieres conuersas, qua-  
rum aliquot, stimulante inopia, fugam medita-  
bantur.

COL.



## COLLEGIUM MONTIS REGALIS.

A N N O X C.

**A**RCHIEPISCOPVS, quam semper ostendit de nobis benemerendi uoluntatem, nuper etiam re ipsa comprobauit: donauit eleemosynæ nomine duo millia aureorum, quorum partem in annuos redditus, partem in ædificationem Collegij contulimus: auctus numerus confluentium ad nostrum templum gratia confessionis: ut, celebrioribus quibusdam diebus festis, ad mille recensiti dicantur: qui numerus in ciuitate non maxima, maximus putatur. auditi de tota uita quinquaginta. constitutum Sodalitium opificum, agricolarumque. at discipulorum auctum Clericis ex Seminario, eorumque Præfektis: ingenti utrumque cum spe futuri profectus. Ex ijs, qui in nostrum ordinem sunt cooptati, unum parens id facere tentantem ad Episcopum detulit, a quo etiam illi adiudicatus est: idem postea facti pœnitens, sponte, Dei scilicet impulsu, filium obtulit cum magna utriusque uoluptate. ex Probationis Domino sacerdos in diebus maximi ieiunij missus ad uicinum oppidum, reduxit in gratiam duos duodecimum iam annum disidentes, odio implacabili. Cum in concione ageret de diligendis

gendis inimicis, fuit unus, qui in media con-  
 cione, ut postea retulit, quæsiuit inimicum  
 oculis, ut rueret in eius amplexus: & spes  
 eum tenet fore, ut Deus inspector cordium  
 uoluntatem pro facto remetiatur. fenus coer-  
 citum: usuræ compressæ: magni confes-  
 sionum generalium numerus exceptus. strictim  
 multa percurrimus, magis id adeo exigente  
 ordine, quam quod res notissimæ demonstra-  
 tione indigerent.

A N N O X C I .

**A**DDITVS tertius Grammaticæ profes-  
 sor auxit numerum studiumque discen-  
 tium. nec defuit in adiuuandis pauperi-  
 bus, uinctis, ductisque ad patibulum, pacifi-  
 candis inimicis, auertendis cædibus, occasio  
 exercendæ pietatis. Mulierem improbam  
 Deus hoc uiso ad meliorem uitam adduxit:  
 existimabat secundum quietem sedere se in  
 limine nostri templi: aspicit Angelos splen-  
 dide uestitos, specie uenerantium egregia vi-  
 rum facie, & habitu regali. atque hic ad eam:  
 Ingredere, inquit, ingredere: alioquin non  
 effugies pœnas cruciatus horrendi. eum arbi-  
 trata Dei esse filium, cum aditus non pateret,  
 oclusis foribus, veniam suppliciter petens,  
 experrecta est: nec frustra somnium fuit.

G B I .



## BIVONENSE COLLEGIUM.

A N N O X C.

**S**ODALES Mariæ Virginis festis diebus  
 urbem circumuehentes emendicantes stipem  
 verecundæ paupertati. Dux Biuonensis cen-  
 tum sexaginta aureos contulit ad ornatum  
 imaginis Deiparæ Roma transmissæ, ad exem-  
 plum eius, quæ colitur in Exquilij, & aucto-  
 rem, ut fertur, Lucam Euangelistam habet:  
 respondet operi cultus. Adiuti diuersis tempo-  
 ribus duo, qui agebantur ad supplicium, ma-  
 gno cum eorum fructu, motuque multorum,  
 qui conuenerant ad videndum. Cum inuete-  
 rata essent odia inter nobiles familias duas,  
 nec tolli posse viderentur, vnus e nostris dex-  
 teritate & consilio sunt penitus euulsa: &  
 quo pax magis esset explorata, duo, qui erant  
 capita discordiarum, eodem die in Sodali-  
 tium Dei matris cooptati. Quidam desiderio  
 amisit filij obstinauerat mori, & iam abstin-  
 tiam omnis cibi in biduum produxerat, ore  
 ac membris in eum pallorem albertibus, ut  
 ostentui esset parum spiritus superesse: cum  
 conuenisset vicinia ad spectaculum, accitus  
 sacerdos, qui illac casu transibat, offendit  
 hominem iacentem in lecto, actis introrsum  
 oculis, morti proximum: nec visum lenibus  
 agere

agere cum obstinato, mortem indicat appro-  
 pinquare, simulque post eam minatur a Deo  
 infligendas pœnas, modo ac termino caren-  
 tes: iniectus timor Inferorum, an quæ sem-  
 per comitatur hominem quamuis miserum,  
 dulcedo viuendi, leuauit primo dolorem, &  
 flexit ad studium abeuntis vitæ reuocandæ:  
 tum vero, cum cibo corporis additum animo  
 solatium: sed tamen cum adhuc prostrata vi-  
 res inedia erigi non possent, & clamaret æger  
 se intimo vexari dolore cordis, ventum est  
 ad subsidia spiritualia: recitat sacerdos par-  
 ticularum Euangeliorum sancti Marci ægroan-  
 tibus accommodam, spe solum in Deo defixa,  
 cum proferrentur illa, Super ægros manus  
 imponent: idemque fieret re ipsa, quod for-  
 mula præcipiebat, veram fuisse spem orantis  
 probauit euentus: vocem enim extulit æger,  
 & Melius inquit, habeo Pater. quod & prodigi-  
 o simile fuit. ex sacerdotis nostri concioni-  
 bus, in adiacentibus oppidis, non exiguus fru-  
 ctus susceptus est. in vno excitata Sodalitia  
 duo sub tutela & vocabulo Dei parentis. in al-  
 terum, quod e nobilioribus conflatur, nomen  
 dedit Toparcha: qui & ædificando prochothro-  
 pho, eodem patre sodalibusque adiuuanti-  
 bus, saxa humeris subuectauit: nempe, quod  
 deberent facere ceteri, faciendo docebat.



## A N N O X C I .

**I**N TEMPLEO maximo, ab sacerdote nostro, habitæ conciones ieiunio verno vtilitate iuxta & opportunitate magna ciuitatis, restituerunt multi, quod recte non habebant: et quidam facultates suas omnes tradidit vni e nostris, vt de ipsis statueret suo arbitrato. patefecerunt complures quicquid deliquissent in vita . turpem aliqui amicorum consuetudinem cum matrimonio mutarunt. Cum pro suggestu concionator, vt sit, in vitia esset inuectus, vnus, incertum qua causa, an quod se designari suspicaretur admonente conscientia, dimissa concione sacerdotem contumeliosis vocibus repercusit: sed eius patientia, an quod interposito spatio ira relanguisset, ad se primum, deinceps etiam in gratiam nobiscum redit. At iuuenis alius turpioris vitæ, admonitus a nostris, sic erratum agnouit, vt abiecerit se statim ad pedes admonentium: mox in contrarium ita mutatus est, vt oblatas etiam peccandi occasiones magno animo reiecerit.

## M I S S I O N E S A N N I

superioris.

**I**NTER vberes Siciliæ fructus, non est o-mittendus, quem Missiones extulerunt an-

ni

ni superioris. Cum enim ex præscripto Patris nostri Generalis post spirituales exercitationes, essent aliqui ad laborandum in vinea in varias partes mittendi, e multis vndique flagitantibus duodecim delecti ad opus. E Collegijs videlicet, Panormitano, Drepanitano, Catanensi, Minænsi, Calataiaronensi, Mesanensi, vnaque e Probationis Domo: e singulis bini: a quibus profectis diuerso itinere, sex expeditiones ineunte hieme susceptæ. labor vt in asperitate viarum, difficultate temporum, magnitudine frigorum, annonæ caritate, hominibus imperitis regionum, nec magnopere ad talia assuetis, in magna rerum penuria, non facile ferendus: sed consolatus est fructus. habitæ conciones in compitis templisque: auditæ confessiones tum anniuersariæ, tum vitæ vniuersæ: quadragenarum horarum preces obitæ: firmati in supremo certamine, qui animam agebant: consolatione leuati mærentes: publicæ custodiæ interuisæ: qui non erant soluendo, e carcere liberati: Christianæ doctrinæ elementa pueris, imperitisque aduulorum, tradita: meretrices octo conuersæ: homicidia decem impedita: tres ab inferenda sibi morte prohibiti: compositi reconciliatique animi disidentium: restitutiones quamplurimæ factæ: inopia laborantibus subuentum: atque, vt summatim complectar omnia: alij re, alij fide, alij gratia, alij





PROVINCIA  
MEDIOLANENSIS.



CONTINET socios cir-  
citer ducentos, quindecim,  
seu viginti. In Domo Pro-  
fessa Sancti Fidelis fere qua-  
draginta: In Brerano Col-  
legio sexaginta quinque:  
Triginta in Genuensi: In  
Taurinensi totidem, aut paulo pauciores. In  
Comensi quindecim: Undecim, tredecimue  
in Vercellensi: In Domo Aronensi uiginti sex,  
mox etiam triginta duos. Decessere decem.  
Accessere uiginti octo.

DOMVS SANCTI FIDELIS.

**D**ATA est opera salutis proximorum, ut an-  
nis superioribus: maiore etiam fructu. Et  
quoniam communia iam uulgata, præcipua  
attingentur. Multi ex iis, qui ad nos uenti-  
tant, atque in his mulieres nonnullæ, peram-  
pla familia, diuinarum rerum contemplatio-  
ni uacarunt: nunc proinde dilatato corde ita  
uelociter currunt in uia mandatorum Dei, ut  
freno indigeant. Vir quidam per summam iu-  
diciis iniuriam exturbatus rebus, domoque,  
ut sunt impotentes in calamitate mortalium



animi, hæreticōs, & hæresim animo agita-  
 bat: cui mulier vna ex ijs, quas dixi. Quo  
 miser te agis, ac miserande? quis tantus ex  
 dolore furor, vt breuem bonorum iacturam  
 perpetua cumules infamia, & leue propter in-  
 commodum corporis, animam in Inferorum  
 supplicia trahas? Putas tu, hunc mundum ita  
 fore aduersum te indulgentem, atque obli-  
 tum sui, vt submittat tibi flores, & rosam,  
 cum Domino ipsi, & sanctissimo cuique, tri-  
 bulos produxerit ac spinas, eadem materia  
 pullulante? quin te ipse colligis, & summi Dei  
 clementiam imploras, qui ex turbido tran-  
 quillum facit, adisque pium aliquem, ac pe-  
 ritum medicum animarum, qui adhibeat fo-  
 menta aperto vulnere, & doloris aculeum  
 euellat? Hac ille acri oratione pudore suffu-  
 sus, seu ad saniozem cogitationem erectus,  
 finit se a muliere perduci ad vnum e sacerdo-  
 tibus nostris, quo satagente, depulsa omnis  
 ægritudo, & spes iniecta rerum meliorum:  
 quod veritas, prematur licet, semper emer-  
 gat. Nec frustra. Neque enim multo post da-  
 tz ad hominem litteræ ab eodem iudice, qui  
 cum esset graui morbo correptus, eum hor-  
 tabatur ad reditum, breuique pollicebatur  
 facultatum, honoris, & patriæ restitutionem,  
 a quibus videbatur eiectus. bonæ feminae lu-  
 crum. At non tales aliz quædam, quæ nostro-  
 rum, opera, a corporis, ab animi, a pudici-  
 citæ,

MEDIOLANENSIS 105

citiæ, a paupertatis periculo erepta. Inter  
 has, tres Virgines nobiles emendatæ stipe  
 in matrimonium honeste collocatæ. Nec vero  
 minus feliciter laboratum in aliquibus paci-  
 ficandis. Placatæ amplissimæ familiæ duæ, e  
 quarum discordia metuebatur pugna, cades-  
 que multorum. Duo item ciues opulentissi-  
 mi, qui a ciuili lite in grauissimas inimicitias  
 processerant, non nisi alterius, aut vtriusque  
 morte finiendas: quod ipsum etiã illorum do-  
 mos in mutua odia distraxerat. Placitum vtri-  
 que, vt res tota vnius e nostris arbitrio per-  
 mitteretur: is autem, Deo volente, transiegit  
 negotium, & iratorum animos reconciliatit.  
 Exorta quoque erat grauis, & periculosa Præ-  
 fulem inter & quamdam religiosorum fami-  
 liam dissensio: iamque ille Ecclesiastica arma  
 expediebat, hæc obfirmato animo summum  
 Pontificem appellabat: cum tandem, interuen-  
 tu nostrorum, desitum est vtrinque ab ince-  
 pto, reditumque in concordiam magno illo-  
 rum religiosorum bono, qui plurimum se  
 nobis debere profitentur. Neque illud omit-  
 tendum. Implacabiles iræ implicauerant ani-  
 mos duorum e prima nobilitate, e quibus v-  
 nus ab altero fuerat triennio ante multis vul-  
 neribus pæne in mortem affectus: hinc incre-  
 dibilis quædam cura vltionis, & ad sermonem  
 quemlibet de pace, adnitentibus etiam viris  
 principibus, aures obstructæ: ita videlicet  
 Deo



Deo disponente, vt sacerdotis nostri, qui se medium obtulerat, quasi sequestris fidem, in confectiōe negotii, vterque sequeretur. Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, singillatim per censere longum esset: summa quædam capita attingam. Fratres cum fratribus, patreque: vnus cum patruo: sodales cuiusdam Congregationis discordantes: pater cum interfectoris filii: vir nobilis cum ijs, qui eius famulum vulnerauerant per summam iniuriam: alij denique multi varias ob causas, infensi alijs infestique, in concordiam reducti. Nec propterea in alijs muneribus Societatis nostrorum opera desiderata est. Spiritu- alibus exercitationibus expoliti, & confessionibus reuocatis a prima pueritia exculi complures: inter quos aliquot Ecclesiastici. Vir- ginum Cœnobia, vt Archiepiscopi satisfieret voluntati, audita. Visitata Xenodochia, ad- itæ custodiæ publicæ, e quibus octoginta fere, nostrorum cura, suppeditata pecunia a pijs ho- minibus, liberati. hæreticus vnus homicidij causa capite damnatus in extremo fere arti- culo resipuit. Alijs pauperibus, ægrotisue, necessaria vitæ subsidia, & mortuis sepultura, nostrorum admonitu, a Pietatis Sodalitio im- petrata. Anno posteriore quinquaginta fere e vinculis exempti. Fur vnus morte luiturus maleficcium, muliere nobili, nostrorum suasu, remittente debitum, e laqueo ereptus. effugit  
alter

alter carcerem ac pœnam restituto furto. Ad-  
iuti moribundi: ex his vnus, pertinaciter a  
confessione abhorrens, euectus tandem, non  
diu ante, quam moreretur, prudenti consilio,  
moderatione verborum: At mulier, post tri-  
dui inedia, multamque vomitionem sangui-  
nis, iam morti proxima, voratam impruden-  
ter acum, quam nulla poterat medicorum in-  
dustria, patefactione peccatorum, & percep-  
tione Dominici corporis eiecit. sed & vir nõ  
bilis vi maloque ad confitendum adductus.  
Apud Vicarium sacrorum Antistitis, reus cum  
esset anniuersaria confessionis neglectæ, mit-  
titur ad nostros: satisfactorum se pollicetur:  
sed contanter: scilicet, ne videretur coactus  
metu, aut aduersarijs deridiculo esset, in suo  
quodam oppido, extrâ urbem. Excusandam  
fortasse verecundiam, non laudandam, sustu-  
lit Deus. Pridie discessus, vesperi, sine vilo co-  
mite, aut famulo, domum redeuntem inua-  
dunt sicarij, vulnerantque: adegissent ad mor-  
tem, nisi interposuissent arma prætereuntes:  
sensit pœnam dilationis. Igitur mane accer-  
sio sacerdoti, Præstitisset, inquit, hoc statim  
facere: sed Deus castigauit dubitantem im-  
missis percussoribus, quibus & gratiam ha-  
beo: vtendum quippe verberibus aduersum  
eos, qui verba contemnunt. Confessum dein-  
de culpas, impetrasse veniam ostendit valetu-  
do, pœne miraculo recepta. Conobiticam vi-



tam ingressi viri, mulieresque complures, duo repetiere desertam. vnus quod incensus esset meditationibus, vitæque nostri Patris Ignatij: malum alter quod dæmonem auctorem transfugij haberet infestum. Ac ne eam per singula officia caritatis, pro-uocante materia, in transitu illud dicam, multorum infirmitati, egestati, infamix, occursum: neque id in vrbe solum, sed foris etiam in vicino oppido: vbi (nam reliquis prætermisissis hoc erit pretium reddere) mulier grauissimo oppressa morbo, cum inaudisset nonnulla, in sermone nostrorum, de vi-  
 æque lustralis, tali fiducia in spem sublata, ter-  
 no haustu conualuit, admirante oppido, & di-  
 uinum beneficium de prædicante. Concludam  
 nunc breui vna atque altera narratione, ea  
 quæ pertinent ad hanc Domum Mediolanen-  
 sem. Mulier vltra feminam ferox, tanto in  
 maritum odio ferebatur, vt de eius, septem-  
 que liberorum communium, ac suo demum  
 exitio, Tragico prorsus exemplo, secum ipsa  
 agitaret: iamque parato veneno occasione  
 imminebat execrandi facinoris: cum nescio  
 quid suboluit cuidam e nostris: accessit is ad  
 animi amentem: neque antea discessit, quam  
 venenum abstulerit, & leniuerit iram. Deni-  
 que concionatus vnus Quadragesima, priore  
 anno, in templo maximo, cuius capacitas no-  
 tissima est, incredibili mortalium concursu:

ad quin-

ad quindecim millia putabantur: & in multitudine illa ingenti (inter quos conspiciebatur ipse sacrorum Antistes, & reguli, qui erant in vrbe) tanto silentio, vt admirabile esset. Diceret, Deum, iudicium, & iusticiam loqui ex ore sacerdotis. Fructus vberissimi. vis elemosynarum, quanta, post hominum memoriam, antea numquam. Pellices a pluribus reiectæ: ab vno viro opulento ac nobili summa cum gratulatione ciuitatis in matrimonium ducta: quo tempore misit ad nos largam pecuniam: quod & alij per sepe fecerunt: ex quo sacra vestis, & supellex aucta est. Atque, vt omnia verbo comprehendam, ad meliora conuersi multi, qui & assidui in obeundis sacramentis: nam vt amoris argumenta, gaudium e conuictu, ita veræ penitentia signum frequentatio mysteriorum.

## COLLEGIUM BRERANVM.

**E**D VO BVS, qui vixerunt, alter fuit, Pater Gulielmus Euerardus, Patri Cosmo Stellæ, quem proxime finisse diximus, vt in Theologia docenda, ita etiam in virtutibus, benevolentiaque nostrorum, & exterorum admiratione, successerat. quo tempore, singularis etiam diuinæ prouidentia, & curæ erga hoc Collegium significatio extitit: nobis enim neque sperantibus, neque omnino cogitantibus



bis, sacerdos alius, qui sacras litteras Parisijs docuerat, graui illius vrbis obsidione liberatus, huc peruenit: cuiusque appeteret instauratio studiorum, Patris Galielmi designatus successor, & desiderium ipsius imminuit, & impleuit locum. Auxit scholarum famam, & numerum discipulorum, grauis, & ornata in primis, iuuandis animis, simulque oblectandis idonea tragedia, cui Maria Stuarda Scottorum regina argumentum, & nomen dedit: respondit poemati scenæ apparatus, & actorum venustas: confluentium vero multitudo ita magna, vt cum plurimis receptis plures excluderentur, actionem repeti oportuerit: tanto utroque die omnium silentio, & vbi opus erat, clamore indice approbationis, vt non ambigeres de iudicio audientium, facileque agnosceres maius esse gaudium pectoris, quam quod plausus effudit. obtulit etiam se fratribus nostris præclara occasio testandi ex improviso, quantum in versu, varioque, & operoso poematum genere valerent. Venit Mediolanum summus magister Augustinianæ familiæ, paulo ante a Pontifice maximo Cardinalis creatus: is etiam inuitaretur a nostris, vt Collegium Gymnasiumque inuisere dignaretur, magnopere delectatus tam beneuolo officio, perendie se venturum affirmavit: cum interea carmina properarentur. et præbebant argumentum maxime ipsius insignia, bos lu-

ca cum

MEDIOLANENSIS. iii

ca cum turri : qua ferebantur certatim studia  
 scribentium : & ingeniosi lusus varie excogi-  
 tabantur . Igitur in ipso vestibulo breui excep-  
 ptus oratione , ad singulas deinde classes sin-  
 gulis epigrammatis aduentitij . Tum interfi-  
 fuit Theologiæ , ac Philosophiæ magistris , cum  
 suas scholas explicarent . patebat in interiore  
 ædium parte cubiculum , cuius parietes , non  
 conchyliata peristromata , aut aulæa serica ,  
 sed stemma præclarum , atque insigne , e mul-  
 ticiplici genere versuum , agalmatumque , orna-  
 tos præ ceteris , visendosque faciebant . quod  
 cum aspexisset humanissimus Cardinalis , atton-  
 itus primum , vt re improvisa , dein gausus  
 tam eleganti specie , effusaque nostrorum be-  
 neuolentia , non satis admirans tam breui tem-  
 pore tantam vim operum , tantaque diligen-  
 tia cudi potuisse , postulauit sibi fieri copiam  
 omnium , quæ audierat , videratque : non sine  
 commendatione nostrorum , quibus in eiusmodi  
 periculis sic adesset facilitas , vt non dees-  
 set facultas . Hoc & illius religionis Pa-  
 tres obseruarunt , & ad eorum erga nos be-  
 neuolentiam non vulgaris accessio facta est .  
 Consimilem erga nos beneuolentiam præse-  
 tulit posteriore anno Parauicinus Cardina-  
 lis : cum enim ex itinere huc venisset , inuitatus  
 accessit ad prandium cum huius vrbs Archie-  
 piscopo , & Episcopis quattuor . Condita est  
 epularum simplicitas varietate linguarum .

Habi-



Habitæ eodem die concertationes de rebus Theologicis, quibus & Cardinalis interfuit, inter aciem ausos, vnus e Carmelitana familia, cum in prolusione testaretur, se in Gymnasio nostro, a primis litterarum rudimentis, per omnes scholarum gradus, ad summum Theologiæ apicem ascendisse, & magnam grati animi significationem dedit, & affecit omnes audientium animos non mediocri voluptate. Maior minorque beatissimæ Virginis Congregationes, sodalium nobilitate, & pietate crescunt: e minore nosodochium celebrant, pueros in templis erudiunt Christianæ fidei rudimentis. e maiore quinque in Societatem cooptati. sed & altero anno totidem: ex vtra, an ex vtraque, non liquet. duo ex his Philosophicum emensi curriculum: e tribus reliquis vnus, cum eum parentes, prouisu huius consilij, euocassent misso nuntio fratris natu maioris periculose ægrotantis (sive res ita se habebat, seu potius simulatio fuit) vt se expediret istiusmodi stratagematis, conuentum Patrem Prouincialem, qui tunc forte Mediolano aberat, opportuna quadam importunitate exorauit ingressum. Multi præterea in varijs religiosorum ordinibus se Christo adiunxere. Ceterum sodales minoris Congregationis locum proprium sibi ex ædificauerunt, quem antea non habebant. Maioris autem, qui & omnes totius vitæ noxas confessione eluc-

runt,

runt, ornarunt suum serico peristromate, ad conuestiendos parietes, instructoque altari, non leui impensa. Fratres nostri suctis illis concionibus, quas habent per fora, compitaque, Bacchanalibus, quamplurimos ad expiandum animum perduxere. Hoc in officio persuasit vnus sexaginta hominibus, vt de vniuersis criminibus ante actæ vitæ rite confiterentur. Sed & sicarius, cuius conductæ dextera utebantur viri primarij ad necem multorum, ab illa atrocitate, tum & ab inimici cæde, quam moliebatur eo ipso tempore, reuocatus. Alter dum verba facientem audit de feueritate iudicis Dei, pauidus conscientia, vt ipse postea affirmavit, ita cohorrui animo, vt & corpus corripere morbo: quo confectus est die octauo, quæ eo tempore sunt necessaria, sacramentis omnibus, Christianorum more perceptis. Illud non prætereundum, quod notauere complures. Contigit interdum, vt comes in foro concionantis, cuius munus officiumque erat cogere homines ad audiendum, aliquibus vt audirent, persuadere dicendo non posset: igitur vertens preces ad custodem Angelum illius hominis, cuius aures erant surdæ, simul etiam ad suum, vtrumque orabat, vt coniunctis viribus mollirent obstinatum animum, & ducerent ad consilia meliora. Quod & Deus plerumque, simplici fortasse illius ingenio, sed æstuanti ar-



dore caritatis dabit: vt qui oratione mo-  
 veri non potuissent, silentio flecterentur. Par-  
 uum hoc fortasse dixeris, sed magnum omni-  
 no fateare, si trahatur in exēplum. Itum ad er-  
 gastula, victorumque animis corporibusque  
 subuentum: explicata inibi capita doctrinæ  
 Christianæ. De nostrorum consilio pactiones  
 iniquæ rescissæ: pecunia reddita: alia eiusdem  
 generis, quæ venire possent in mentem cui-  
 que, facta. Adiciam postremo prodigium  
 memorandum: cuius etsi nullam fere partem  
 sibi vindicant nostri, in nostris tamen ædibus  
 magna ex parte perfectum est. Septembri  
 mense Galli duo, homines adolescentes, mis-  
 si in Italiam iuris prudentiæ operam daturi  
 (quamquam multo ante in Societatem admit-  
 ti cupiebant, nec erant voti compotes effe-  
 cti) venerunt Mediolanum, multisque preci-  
 bus expressere a nostris Patribus, quod ora-  
 bant. Vbi parentibus innotuit, aliquid, vt sit,  
 fama addente, uiris potentibus, & impoten-  
 tibus iræ, Diuione nostros aduent, liberosque  
 sibi ereptos Mediolani fremunt: vt resciuere  
 quid rei esset, certum hominem, cum litte-  
 ris, & mandatis, ad filios: et, si forte ad eos  
 non pateret aditus, ad viros primarios ciui-  
 tatis, mittunt. Erat hic haud magna cum re,  
 sed fidei plenus, nostrorumque amantiſſimus,  
 de quorum voluntate iter suscepit. stimulabat  
 interea, & pungebat scrupulus, ne offende-

ret apud Deum, si adolescentium animos eius obsequio addictorum pertentare vellet: igitur illum precabatur, ne hoc sibi verteret culpa. si exequeretur mandata mittentium. peruenit Mediolanum. vbi adolescentem alterum nactus in Domo Professa (facta cum eo colloquendi potestate) vt ex eius ore audiuit studium perfectionis, non hominum suasu, sed Dei instinctu, sedisse, ex procuratore factus prauaricator, cepit acriores stimulos addere, sanctisque admonitis incitare ad persequantiam. Idem egit cum altero, eodem modo affecto, quem Arona habebat. His transfactis, in reditu, cum fere abesset ab vrbe viginti millibus, exceptus est a latronibus tribus, octodecimque vulneribus confossus, excussus nummulis, ac sarcinulis omnibus, in vicinam sepe[m] proiectus, proque mortuo relictus est: cum ipse tacens inter vulnera, animo clamans ad Deum, & comprecatores adhibens Dei matrem, et beatum Bernardum tutelarem patriae suae, id vnum oraret, vt tantulum sibi concederetur huius lucis vsura, quantum satis esset ad animam confessione expiandam. plus etiam obtinuit, quam sperabat: vt enim ab se mortem depulit opinione mortis, hocque ipso errore iacentem cadere latrones destiterunt, ipsis discedentibus, surrexit, & non aliter ac si vulneratus non fuisset, ad pagum quemdam se contulit, (abe-



rat tribus millibus passuum ) vnde proxime  
 discesserat : ita saucius , cruentusque , admi-  
 rationi omnibus , & miserationi fuit : igitur  
 vulneribus ligamenta , & medicamina,  
 quibus sistitur sanguis , cum parassent multi,  
 postridie ad nostras ædes Mediolanum reuer-  
 tit, omni itinere suis pedibus confecto. acciti  
 vulnerarij plagas quinque letales pronuntia-  
 runt: in quarum curatione, necessariaque at-  
 trectatione membrorum , qua purgando vul-  
 neri , qua inferendo scalpello, nullum se dolo-  
 rem sentire asseuerabat æger, perinde quasi  
 sauciatus non esset : ita obstupescens medicis  
 breui conualuit : et factum ab omnibus  
 tribuebatur Deo : qui & voluerit ostendere  
 improbari sibi consilium parentum auertentium  
 filios a religione suscepta , nec permise-  
 rit alienam imprudentiam nocere alteri, qui  
 permansisset in innocentia sua.

## COLLEGIVM GENVENSE.

**S**VSCIPIT noui templi ædificatio maio-  
 ra quotidie incrementa : cui initium de-  
 dit dies , quo principis Apostolorum Petri  
 vincula celebrantur , & beati Patris nostri I-  
 gnatij corpus est traditum sepulturæ : vt spes  
 sit ijs, qui suam operam pollicebuntur alijs, in  
 hoc templo , diuini patrocini, nec exiguæ in  
 proximorum salutem deriuandæ vtilitatis.  
 Gratium id non populo solum, sed etiam Se-  
 natui

natui, data facultate publicæ viæ intercluden-  
 dæ. Cum vero primus lapis de de more ponen-  
 dus esset, abessetque Archiepiscopus Genuen-  
 sis, Geneuensis vero Episcopus, qui ad hunc la-  
 borem suscipiendum promptum se ostentaue-  
 rat, improviso morbo correptus iaceret in le-  
 cto, factum id a Vicario Archiepiscopi: cum  
 adesset Collegium Canonicorum templi ma-  
 ximi: inter faustas appreciationes populi sol-  
 lemniaque religionum. et nobilium studia  
 æquabat populus multitudine frequenti. Ma-  
 gna porro alacritas ciuium in contribuenda  
 pecunia, tum ad fabricam templi, tum ad re-  
 rum necessariarum emptionem: ea summa vi-  
 ginti aureorum millia excedit. et sane non  
 deesset Genuensium liberalitas in opere ab-  
 soluendo: sed tamen, celeritatis augendæ,  
 excitauit diuina prouidentia vnum e nostris  
 Patribus, ex hac eadem vrbe, clarum gene-  
 re, opibusque: qui cum se pium munus, do-  
 numque obtulisset Deo & Societati, ædifican-  
 do Collegio, Domuique Professæ, bis mille-  
 norum aureorum in annos singulos addita-  
 mentum adiecit. Faxit Deus, vt quo inspi-  
 rante feliciter inceptum opus in dies proced-  
 dit, eodem adiuuante ex animi sententia per-  
 ficiatur. Duabus docendarum litterarum clas-  
 sibus, adiecta tertia, crescente discipulorum  
 numero. et augendæ pietati, institutum soda-  
 litium Deiparæ Virginis. Ceterum, consue-



tudo opem ferendi proximis, ipsa etiam attigescit. Commentationibus pijs exculti homines magnam partem nobiles, seu religiosi, viginti quinque: alij etiam anno posteriore: auditi de criminibus totius vitæ amplius octoginta: alterius anni numerus non est distinctus. restituti aurei nummi circiter mille. meretrices multæ a peccandi licentia abductæ: cædibus, & maleficijs occursum: adiuti fontes in carcere, & in supplicio supremo. aliqui etiam coacta stipe e vinculis exempti. pij cætus (Oratoria appellant) quorum regimen penes nostros, mirum in modum aucti: iuuenum alter ætate florentum, virorum alter nobilium e flore ciuitatis: hic quinquaginta amplius, illic centum numerantur. magnus verorumque profectus: sed nobilium maxime in annonæ caritate enituit: sortiti enim certas vrbs partes, pro se quisque quos pauperes esse comperissent, liberali benignitate sustentabant. Sequenti maxime anno, in quo validior fames, nempe ex Senatus consulto descriptis tenuiorum familijs, villore pretio venditus panis, quam alijs solebat: aut oblatu vltro, & collata etiam pecunia ad reliquos vsus. Ad hæc, mille quingentis sepositis vrbe non procul, præbita quotidie de publico alimenta corpori: & a nostris, bis quot hebdomadis, addita ad puram vitam, & criminibus vacuam, admonita animorum: quorum

etiam

etiam consilio factum est, vt nuditati eorum  
 ceterisque necessitatibus in tempore succur-  
 reretur. Doctrinæ Christianæ munus, quod  
 vel ab ipsis incunabulis sibi Societas nostra  
 deposcit, vehementer auctum nobilitatum-  
 que, auxit erga nos benevolentiam civium,  
 ac studia piorum: nam etsi plures eius scholæ  
 institutæ erant in pluribus templis, a plebe-  
 cula tamen, & infima multitudine frequenta-  
 bantur, apud nobiles contemptu laborabant.  
 Hoc anno, maiore cum dignitate, ac pompa,  
 ab vno e nostris, quem videtur Deus ad hoc  
 officium delegisse, tradi cœpta est: tantoque  
 eius studio nobilium animi feminarum incen-  
 si, vt deducant ipsæ filias ad templa, nume-  
 rentque in summi beneficij loco, si quas publi-  
 ce aliquid recitando, ad exercendam memo-  
 riam, sacerdos noster inter æquales commit-  
 tat: quasi de ipsarum gloria agatur illis reci-  
 tantibus: aut vincentibus (datur enim præ-  
 mium victricibus) matres coronentur. Ita ap-  
 probatum est, quod vulgo dicitur, Honore  
 ali artes, neglectu iacere. Quamquam etiam  
 apparuit huiusce operis non obscurum pa-  
 trocinium Dei: cum enim puellæ sorores ger-  
 manæ tres, ea ætate, vt à sexto anno nulla  
 excederet vndecimum, minutis interroga-  
 tionibus, disputantium ritu priuatim sese ex-  
 ercent, collapsa repente domo, in me-  
 dijs trabibus manserunt illæ: et postridie,



cum ceteris eiusdem ætatis ac studii, spectatæ in templo. Coniungendum hoc loco quiddam propter similitudinem videtur. Mulier vidua, etsi longe abest a nostro templo, nulla tamen vel longinquitate itineris, vel calorū molestia, aut tristitia frigorū, retardatur quo minus accedat ad statas conciones: factum est, ut die quodam, cum totam adduxisset familiam, filiamque, quæ plerumque non egrediebatur domo, conciderit tectum ex ea parte, quæ ab ipsis celebrabatur: oppressurum ea ruina omnes, nisi ad concionem exissent. Sic Dei prouisu periculum vitatum ex frequentatione templi. Auctum igitur, uti dicebam, studium doctrinæ Christianæ vel in prima nobilitate vr̄bis. Inuentum aliud est in eodem genere, non ita magna specie, sed non minore fructu. nam quia, plerumque anni, tuta Genuensium Hispaniensiumque triremium statio est in Ligustico portu: aduersus otium eorum, quibus catenatis, & ad remum actis, nihil pensi, nihil sancti est in appetendis rebus, iaciendisque verbis inutilibus (ex quo cum diuinarum ignoratione legum magna procacitas linguæ, & peccandi licentia) principio ducto a Genuensi Prætoria, moxque in alias inducto exemplo, institui cœpti ad Christianam doctrinam, tanta eorum cum voluptate, ac mutatione vitæ, ut præsentem statum cum præterito conferentibus, argumen-

to sit

to sit operis in magnam vitiorum perniciem  
 ituri. Ergo pro aleis lusorijs, libellos preca-  
 tionum, piaculares globulos pro taxillis  
 manu versant, pro spurcis vocibus sacrile-  
 gisque, Christiana præcepta cum cantico v-  
 surpant. in hunc fere modum. Mane, audito æ-  
 re campano precatiōni dant operam, ea pro-  
 pemodum horaria est: circumferuntur pri-  
 mum, & lustrantur sacra vnda, quam susci-  
 piunt ipsi a signo crucis auspicantes genufle-  
 xi: tum intentis in cælum manibus oculis-  
 que orationem Dominicam, Angelicam salu-  
 tationem, capita legis Christianæ, aliasque  
 preces, id temporis, iucundissime decantant:  
 cum interea cessatur ab omnibus aliis rebus:  
 finis indicitur signo. vesperi in se ipsi ta cito  
 descendunt, reuocantes in animum, tum di-  
 cta, tum facta diurna: quotidie ad proram, &  
 ad puppim legitur aliquid salubre ac frugife-  
 rum, ceteris audientibus: ter hebdomada  
 percurrunt precentes mysteria Rosarij, in cu-  
 ius societatem adscripti: omnino hæc cum  
 videas, dicas esse quamlibet triremem do-  
 mum aliquam religiosorum. ita Recto-  
 ri Genuensi Romæ dixit Saulius Cardinalis.  
 is enim cum interregno post Sixti mortem  
 Genua Romam soluisset, impetrata a Senatu  
 triremi Prætoria, narrauit mirifice se dele-  
 ctatum aliquando, cum silentio primæ noctis  
 longe aliud cogitanti insonuisset mare & cæ-  
 lum.



lumvno e nautis præeunte, subsequente reliquo cœtu, cantionibus pijs, sic vt alternis incipientes, & desinentes alternis, Musicorum concentum imitari viderentur. quo videlicet inexpectatum id Præfuli, iucundius fuit. Ex altero etiam, quod seligam e pluribus, nauticæ illius turbæ pietatem agnoscas: quod cum picandæ essent, ac bituminandæ e triremibus duæ, ac ne omitteretur diurna opera, solitæ preces essent intermittendæ, detraxerunt sibi desomno nocturno, & vtrique operi satisfactum. hac illorum viuendi ratione, ad fidem rediere desertores duo: tres Turcæ, qui instruebantur priore anno, baptizati postero: ex ipsis, piorum liberalitate opem ferente, soluti quattuor & viginti. Nempe regnum Dei ante omnia quærentibus libertas quoque corporis adiecta est.

## MISSIONES.

**V**ENIO nunc ad Missiones ex hoc Collegio. Spetianus, Nouariensis Episcopus de republica Christiana optime meritis, idemque perstudiosus nostræ Societatis, concionatorem Nouariæ per ipsos dies dictos penitentiz e nostris sacerdotibus impetrauit: et constitit opera, siue e publicis concionibus, quæ ab ipso celebrabantur Antistite, frequentique multitudine, siue e priuatis sermonibus

bus ad uirginum Cœnobîa, sacraque Sodali-  
 tia: siue ex aliis muneribus nostræ professio-  
 nis: non exiguo fructu: fere quotidie audiuit  
 patefacientes peccata totius vitæ: illicita  
 aliquot pactio- num rescidit: septem e concu-  
 binatu, tres e meretricio abstractas in tuto  
 locauit: Trium pacificationum auctor fuit  
 magni momēti, quas frustra alij tentauerant:  
 cædis periculum remouit: piorum legato-  
 rum prolationem sustulit: Monasteria gran-  
 di stipe collecta adiuuit: Seminariū educan-  
 dis virginibus sub tutela, & appellatiōe San-  
 ctæ Ursulæ instituit: iamque in eo censentur  
 viginti duæ: Congrégationem item femina-  
 rum nobilium, promouendo operi doctrinæ  
 Christianæ: sunt ipsæ ducentæ quinquaginta:  
 dant omnes operam pietati, expoliendo ani-  
 mo, & quotidie introspiciendo, celebrandis  
 sacrosanctis mysterijs, certisque alijs mune-  
 ribus, quibus sese peculiari lege obstringunt:  
 Ceterum, res mirâ accidit, quô die in Ec-  
 clesia recensetur historia adolescentis, quem  
 vitæ auctor e mortuis excitatum reddidit vi-  
 duæ parenti. Cum enim sacer præco edisserit  
 factum, multa que ad incutiendum timorem  
 mortis, principium sæpe pœnitentiæ, e sugge-  
 stu intonat, inter arguendum senes, qui im-  
 memores humanæ necessitatis, breui aud  
 multa iaculantur, increpatundumque iuuenes,  
 qui de morte cogitant, vt de re longinqua,



ac seposita in senectutem, iecit, instinctu, vt patuit, Dei, & illud. Quis scit an non nemi ni e vobis, hic dies supremus illuxerit? Ora- culum fuit. Senex vnus e templo domum in- grediens subito expirauit. Sed & adolescens, qui se a concionatore coniecto sapius vultu ac sermone, designari existimabat, repenti- na febris correptus est, statimque accito sa- cerdoti, cum in eius sinum, quæ recordaba- tur, peccata effudisset, a mente deseritur. Vtrumque veritatem orationis affirmavit, im- pulitque ceteros, vt vere sentirent, ab eo de- mum dirigi vitam ad normam Christianæ le- gis, qui mortem assidue meditetur. Alter adolescens meliore patrimonio quam inge- nio, dum non contentus re sua familiari ap- petit alienam, matremque male accipit, re- cusantem, vt dos eius esse inciperet, ante- quam ipsa moreretur, oratus licet, obiurga- tusque a multis, non mutat mentem, donec a sacerdote nostro minacibus verbis admoni- tus est, nisi resipiscat, vltionis diuinæ. hæc cum ita se haberent, res tulit, vt ferox animi iuue- nis Mediolanum iret: verum medio in itine- re equo prolapsus, & suo ipse casu, & onere equi super eum ruentis, haud multum absuit, quin exanimaretur: vbi quartam post horam ad se redijt, fœdato vultu, & mitigato ani- mo, agnouit culpam, quam luebat: et repor- ratus Nouariam, antea a matre depreca- tus,

tus, fecit, quod & sæpe alij, vt haberet, vitij  
 pœnam virtutis magistram. Itum præterea a  
 binis per Ligusticas oras, qua ad ortam, qua  
 ad occasum porriguntur, fructu non pœniten-  
 do. in illis obiere oppida viginti, non com-  
 morantes quidem, quamdiu necessitas fere-  
 bat, sed relinquentes tamen in omnibus op-  
 tati aduentus perutiliter impressa vestigia.  
 Doctrina Christiana vbique tradita: alicubi  
 ipsius scholæ institutæ. Confessiones audita  
 quamplurimæ. Ganeones, ijdemque aleato-  
 res tres, & (quod plerumque sequitur) vio-  
 latores diuini numinis, audita concione, qua  
 inuectus erat Pater in eiusmodi scelera, ita  
 cohorrerunt, vt voti sponsione se Deo obli-  
 gauerint, in posterum nihil tale patraturus:  
 quin & tabulis publicis damnarunt se aureo-  
 rum vicenum quinum, si cum aleis vsipiam  
 conspicerentur. In alio quodam oppido, vnus  
 cuiusdam, qui simili laborabat infania, simile  
 exemplum: videlicet, vi concionis perterri-  
 tus, voto facto de abdicanda alea, & continen-  
 da lingua intra laudes Dei, sese ad pedes con-  
 cionatoris abiecit cum lacrimis, in præteri-  
 tum veniam petens, & in posterum viuendi  
 rationem: tantaque facta morum mutatio  
 est, vt domestici leonem in agnum vertisse  
 pro prouerbio vsurpent. Alibi, oppidum non  
 infrequens propter inueterata iamdiu odia  
 in duas veluti factiones discesserat, e quibus  
 per-



perpetua contentio, & cædes diuersæ: & multis licet impellentibus, nulla erat inclinatio ad pacem: donec tandem id obtinuere nostri, vt composito agmine, & lire intermissa, in pompa procederent supplicatum ad templum maximum; vbi finita concione ruerunt in mutuos amplexus; decantatoque hymno Ambrosij & Augustini Deo grates actæ. nunc spes est, vt æternam concordiam constituat is, cui pacis arbitria detulerunt, Saulius Cardinalis. Cluari ( oppidum est clarum & diues) prouisum, vt ratio explicandæ doctrinæ ne intermittatur. igitur pueri commissi Sodalitio virorum, quod cum labaret, a nostris erectum est: puellæ, cœtui seminarum nobilium nunc primum instituto; atque hac diligentia curaque, melior redditur, & doctior tenera ætas, & adulta, sexus vtriusque. In eodem erat oppido Cœnobium uirginum, instar quin quaginta, seuerioris olim vitæ, & religionis laude excellens: nunc vtraque senescente, nihil fere erat domi publicum, nihil commune, seorsum singulæ de suo victitabant: cum multa remedia frustra adhiberentur, res uni e nostris sacerdotibus ab illustrissimo sacrorum Antistite commissa est. is cum videret a paupertate publica inductam possessionem priuatam, auctor fuit vt mille aurei de publico darentur, quadriennio, quattuor pensionibus: tum vt inspicerentur Cœnobij redditus,

auge-

augerenturq; postremo, ut diurnus uirginum  
 quaestus conferretur in medium: quæ ratio  
 fuit corrigendi nouitii moris, & reuocandæ  
 veteris disciplinæ,

## TAVRINENSE COLLEGIVM.

SCHOLAE frequentes: discipuli doctio-  
 res quotidie, & pij, qui præcipue dicati  
 Mariæ Virgini: ex ijs adscripti in nostrorum  
 ordinem duo: nonnulli præterea in alias re-  
 ligiosorum familias se contulere. Minor Con-  
 gregatio mirum in modum aucta: vt amplio-  
 re loco opus fuerit pluribus capiendis: acces-  
 sit & Academia scholasticis exercitationi-  
 bus: ex his multi nostram Societatem affe-  
 ctant. Duo, anno posteriore, voti compotes  
 effecti. eorum alter domo nobilis, in refutan-  
 dis, vt fit, argumentationibus parentum, &  
 contemnendis minis, mirabili constantia.  
 Sed & alij duo periti iuris (ex his vnus & pro-  
 fessor) adlecti. Sed antequam progredior, hic  
 locus uidetur opportunus, vt egrediar in  
 narrationem vnus, atque alterius exempli,  
 duorum, qui contemnere videbantur benefi-  
 cium vocationis. Hoc primum. Adolescens ad  
 nos animum appulerat, sed acceptis litteris  
 ab amico dissuadente abiecit consilium: tum  
 sacerdos quidam, re cognita, ad dissuasorem  
 scribit, admonens, vt si bene consultum alij  
 vult,



vult, adhortetur ad ingressum: proponit historiam iuuenis ex alia Prouincia, qui, cum Deo non pareret vocanti, assumptus in partem facinororum a latronibus, eorum & suspendii participes fuit. quæ de alio narrabantur, hæc idem contemptor vocationis expertus. Paucis post diebus comprehensus cum turba grassatorum, & coniectus in vincula, ad eundem sacerdotem dat litteras, errati veniam petens, simulque significans sibi commissum scelus cum sociis capitali supplicio luendum. Audite nunc alterum, in eodem genere. Admissus quidam erat in Societatem, mox cum properaret ad Domum Probationis, ipso in itinere mutat mentem, flectit in patriam: miser: vix eam attigerat, cum ab homine nescioquo, qui se incidisse crediderat in inimicum, gladio traicitur: ibi tum ille, cum in terram cecidisset, Has pœnas do propter neglectam Societatem Iesu, ad quam uocabar, hæc moriens efflauit, nec sine fructu: cum enim audisset vocem, factumque uidisset alius quidam, qui & ipse in sancto proposito intepuerat, sopitum animum ad ardorem pristinum excitauit. Sed & desertor alterius familiæ, ad eam nostrorum opera reductus. Conciones hic quoque frequentes, & perutiles fuere. Cum sacerdos acri oratione obiurgat eos, qui inter confitendum cogitata mentis aperire detraçant, uehementer commouit animos multorum,

vt,

vt, per id tempus, fuerint a tribus sacerdotibus centum sexaginta amplius confessiones generales exceptæ. Accidit & quiddam omnino admirabile. Quidam mortiferum vulnus aperire spirituali medico recusabat, sed non sine morsu conscientia. visus in somnis videre sacerdotem vnum e nostris, quem numquam antea de facie nouerat: a quo cum esset admonitus faciendæ integræ confessionis, nec celandi peccati illius, quod antea fecisset, adductus est in eam mentem, vt somnium existimarit miraculum fuisse. Ceterum assidue multi, ac diligenter confitentur: vt hoc esse velint initium grauiorum quamlibet actionum, quæ & succedunt postea ex animi sententia. ex eorum numero, vnus nostrorum caritatem æmulatus, ad aliorum salutem procurandam omniratione se contulit. Igitur, quodam in pago, dirutum templum refecit, sacro cultu, vesteque instruxit, statuit annuam pecuniam duobus alendis sacerdotibus, instituit hominum cœtum sub patrocinio sanctissimi corporis Christi, Christianæ doctrinæ vsum inuenit, multorum animos inter se disidentes conglutinauit, aliaque effecit, vt vicarium muneris nostri se fuisse gloriatur. Ceterum auctum Collegium lato admodum solo, & fertili, si recte excolatur: ornatum templum valuis non exigui pretij, instructumque quatuor candelabris, cymbioque ad aquam lu-



stralem ex argento, præclara specie, commemorabili pietate Illustrissimæ Aloisæ Mefisæ: ea familiam ducebat in gynæceo serenissimæ Catharinæ Infantis, in nostraque æde, quam vivens celebrabat, delegit sibi moriens sepulturæ locum. Senatus porro, populusque assiduus in concionibus: eæ quotidie binæ diuersis horis, Quadragesima, anno posteriore, habebantur: et secutus optabilis fructus peccata confitentium. Nec defuere signa, e quibus agnoscas gratam esse numini frequentem confessionem. Adolescens e nobili genere, vulneratus ab hoste, exigua spe vitæ trahabat animam: de sacerdotis nostri consilio, votum facit, si vita suppeteret, menstruæ confessionis: nec frustra: sextodecimo post die conualuit, cunctis admirantibus. Eques præterea illustris, quem ab alea nostri, & immani execratione cælitum, ad crebras preces, & pietatem adduxerant, cum præficeretur quibusdam militibus, ita illos, & familiam omnem direxit ad idem exemplum, vt grauissime in eos animaduerneret, quos non haberet dicto audientes. Profectus est ad bellum: manum porro conferturus, et collaturus signa, admonebat milites, vt unam Dei gloriam, & propagationem Catholici nominis propositam haberent: has ob res reuersus cum incolumi exercitu, auctori consilij, & mutationis vitæ, sacerdoti gratias egit. offerunt autem

tem

tem interdum se nostri hominibus etiam igno-  
tis, ut eos inuitent ad scelerum detestatio-  
nem: & prodest audacia non culpanda. Ad-  
vena nobilis, multis affectus ærumnis mise-  
rum in modum, quarum remedium (quod aper-  
te dixit ipse postea multis audientibus) præci-  
piti corporis in puteum iactu iam decies qua-  
rere cogitauerat: cum casu exiret ex vrbe, in-  
cidit in sacerdotem vnum e nostris, qui num-  
quam non egreditur cum libellis, pijsque mu-  
neribus, ad venationem animarum: quibus  
etiam ipse cum donatus esset cum aliis, igno-  
tus licet, ignarusque, sic captus est liberali-  
tate donantis, ut ad eum accedens deposue-  
rit sarcinam culparum molestiarumque; quibus  
tenebatur oppressus: nec multo post reuersus  
liber in patriam, & commendatus, qui illic  
habitant, sedulitati nostrorum. Sed & puel-  
la claris natalibus, inducta ab adolescente  
pari nobilitate, septem iam annos illi consue-  
uerat, & pepererat liberos: cum interea non  
deessent e primoribus vrbis, qui flagitium su-  
spectabant: in eam vero ita imperium habe-  
bat dæmon, ut non animum solum, sed etiam  
corpus occupare videretur: id cantionibus et  
veneficijs plerique tribuebant. Factum est ali-  
quando, ut ei obuiam factus sacerdos, per sua  
deret primum, ut expiaret animam confes-  
sione, dein liberaret corpus ab insidijs diabo-  
li, effigie cælestis agni in consecrata cera ad



collum adpenſa. poſt hæc, exoratus eſt iuue-  
nis, vt ſequeretur exemplum mulieris, eam-  
que in ſtabili matrimonio firmoque haberet.  
Hæc propter, & talia, multorum odia inue-  
terata extincta. Contractus illiciti direm-  
pti, reconciliatæ familiæ. Vir abiicit confi-  
lium vxoris interficiendæ. duorum virorum  
ſimultates in tantum exarſerant, vt eas duel-  
lo finire conſtituiſſent: interceſſit ſacerdos, et  
bellum cum pace mutauit. Mulieres infames  
duæ expulſæ: adoleſcentes totidem ciecerunt  
prauas de religione opiniones, quas ſuxerant  
cum lacte nutricis. vir nobilis emerſit e mor-  
bo, vt videbatur, inſanabili, reus voti, quod  
conceperat, ſi conualeſceret, celebraturum  
Beatiſſimæ Dei matris Congregationem. In  
alijs etiam vis votorum apparuit. nam & vir  
quidam, ex ordine equeſtri, graui dolore cor-  
dis, & matrona nobilis, compreſſu ſpinæ, quæ  
in faucibus hæſerat, vt includeret ſpiritum,  
voto facto ad ſanctos martyres, quorum reli-  
quæ in noſtro templo, liberati ſunt. Ita con-  
ſtat, merito in terris tribui honorem illorum  
corporibus, quorum animis patuit aſcenſus  
in cælum.

## M I S S I O N E S.

VALLIS quædam, ab extremis finibus  
ſubalpinæ regionis, ad initium vſque pro-  
mittitur,

mittitur, longitudine milliarium quattuordecim, latitudine, vbi maxima, circiter quindécim. Ea est diuisa in partes octo, quibus singulis, pagi villæque: omnium caput Lanzum, vnde & valli nomen. Huc missi de nostris duo, qui excurrentes in varias terras, confluentem populum, inter sacra facienda, profectis diebus, ex altari, festis, e suggestu, edocebant: plerumque per loca inuia, et abrupta: sed (quod dicitur de via Virtutis) vbi ventum erat ad calcem, læticia superabat. Institutus Mons, vt dicitur, Pietatis, notus perinde munere, & nomine, multorum inopiz subleuanda, & auertenda nonnullorum fenerandi licentia. Sed parum proderat, hæc aliaque constitui saluti animorum, nisi retinebatur perseuerantia. curatum proinde, vt bis hebdomada Curiones, Lanzi, & alio quodam in oppido, quod est in media valle, conuentum agerent, propositisque disputationibus de sacris rebus, sese mutuo exercerent, ad instruendam plebem eorum curæ commissam. Ceterum hac in expeditione, accidit res quædam, cuius narrationem præterire non libet. Audierat sacerdos in summo quodam monte reperiri lacum, in quem conijcere lapidem quamuis exiguum religioni haberent: ita repente exoriri tempestates maximas erant experti. Infederat nempe in multorum animis (vt faciles sunt deci-



pi) opinio, locum illum a spiritibus immundis occupari, hanc superstitionem noster vt tolleret, huc statuit contendere. quodam die, sacrificio peracto, reque diligenter Deo commendata, adhibitis duobus comitibus vix, quorum alter erat Parochus, ad montis fastigium euasit: tum inuentum puerum pastoritium hortantur, per siluestrem, & confragosam viam, ducat ad lacum. medium vix spatium confecerant, cum primulum serenus aer in nubilum cogi, sparsisque nubibus infici caelum, mox etiam obtegi veluti cute obducta, vt nihil aliud, nisi procellam timeres, ac subitum imbrem. sed consilium stabat. venit ad lacum, locumque est ipse eo ambitu, vt obeatur quatrivium. in formam circi. cingitur obscura crepidine, & rupibus desertis alte pendentibus: non sine metu aspicientium. aquarum exitum non videas: occulto cursu per Alpium saxa emergunt, cauernasque, cum strepitu horrifico, & accolis vix ferendo: super omnia caligo foeda, & facies loci informis: non ferarum iustra, sed daemonum, si crederes fama. huc cum itum esset, a salutari signo crucis, sacrisque precationibus exorsus sacerdos, idemque vt facerent, admonens ceteros, inchoat litanias, illis subsequenter: de in stolatus aggreditur exorcismum turbæ cacodæmonum fugandæ. secundum hæc, ternos lapides, alligata particula consecrata cæra, inuol-

cata

cata sanctissima Triade, iacit in lacum: iecerunt & socij, iam fidentiores facti: nec vlla tempestas consecuta est. Ita vel infracta vis dæmonis, vel inanis superstitio e pectoribus hominum depulsa. Simili exitu alia duæ superstitutiones eiecit. In monte quodam, pastores oium bouumq;, distabant conspici faciem monstri, in varias se formas subinde vertentis, Neronem appellabant, rati dæmonem esse: persuasum illis, vt votum olim factum a possessoribus loci eandem ob causam renouarent, persoluerentque quotannis, certæ elemosynæ pauperibus tribuendæ: tum nemo auderet, nisi præuia peccatorum confessione, sacraque communione, montem ascendere. Alterius cuiusdam montis pastores, per annos singulos, quodam loco, lactis, casei, butyrique primitias ponebant, easdemque post aliquod tempus, cum eodem reuenterentur, reperiebant intactas: si facere omitterent, fama erat caducum fieri pecus, aut sterile: hi quoque adducti, vt primitias illas immortali Deo offerrent: nec aliunde suas, suarumque rerum rationes suspensas haberent. Ita, Deo annuente, ex non bono principio magna utilitas consecuta est. Venio nunc Astam: ciuitas est Liguriæ, cui præest Franciscus Panigarola, sacerorum Antistes. is reuersus e Gallia quo missus fuerat a Sixto Quinto, tantam voluptatē percepit ex aduentu nostrorum, vt Societa-



tem nostram, palam, & publice, apud omnes, audientibus etiam nostris, in cælum vsque laudibus ferrèt. Idem cum sacerdotem nostrum concionantem sæpius audisset in quodam templo, temperare sibi non potuit, quominus e suggestu tribueret illi gratiam, & honorem verborum. Nec vero fructus concionatoris reticendus. Concitabat animos, & reflectebat, vt vellet. Mulier in media concione surrexit veniam petens a Deo, morumque spondens, & vitæ mutationem, in omnium conspectu. Initum sodalitiũ virorum nobilium, principio quidem non vltra duodecim: conueniunt ad diem dictum, aguntque de rebus vtilibus ad salutem: ei cœtui interdũ Præful ipse non grauatur interesse: & quoniã nonnulli ex ijs iuriconsulti, conuehit inter eos, vt dumtaxat susciperent causas, de quarum æquitate constaret. mali enim exempli est ius propterea inuentum videri, vt sint eius peritihirudines litigantium. Posteriore anno, in eadem vrbe, sacri Aduentus, ac ieiunij maximi diebus, ab vno e nostris habita conciones, tanta vtilitate ciuium, ac proinde voluptate optimi Episcopi, vt illius sensum sæpe, re ipsa, & officijs, non solum verbis, & oratione patefecerit.

*gunt. cui præsedet Franciscus Parisiensis  
eorum Aduentus. is tenentur e Gallis quorundam  
has fuerit a sexto Quinto, tantam voluptate  
perit. ex aduentu nostrorum, vt Societas*

## COMENSE COLLEGIVM.

**M**ORBVS, qui ingruente vi febrim;  
 ingruerat in urbem, vt per omnes ferè fa-  
 milias, non sexus, non ætas, non condicio ho-  
 minum periculo vacua esset, non condicio ho-  
 minum nostris, sed necessariam occasionem  
 attulit de alijs bene merendi: et, quæ Deo ha-  
 benda est gratia, cum dies noctesque asside-  
 rent morbidis, eorum animis corporibusque  
 opem ferentes, remanserunt intacti: vno ex-  
 cepto sacerdote, qui cum supra ætatem, ac vi-  
 res (erat enim senex) sese terit in opere lon-  
 gino, non sustinuit laborem: sed ei quoque,  
 cum grauitè diuque ægrotasset, valetudinem  
 restituit Deus, vt esset pluribus profutura.  
 Cætus virorum, qui Deiparam patronam ha-  
 bent (Maior dicitur) excellit in dijs pietate,  
 & numero. Vnus ex ijs ingressurus Societate-  
 tem, cum consilium ceteris aperit, excussit  
 plurimorum lacrimas, & omnes ad amorem  
 Virtutis vehementius accendit. susceperè so-  
 dales curam victorum: eos opera, industria,  
 assiduitate, studio, patrocinio, alloquio, fide-  
 insione, collata collectaue pecunia, iuuant,  
 soluantque ei muneri duo præficiuntur, e qui-  
 bus alter magnum argumentum præbuit cari-  
 tatis, cum in foro maximo plenissimoque  
 obeundo singulos, stipem corrogauit in pi-  
 leum;



leum, capite intecto. horum exemplum imitata ciuitas binos constituit, qui in eodem opere versentur. Nec vero his tantum officijs sunt sodales contenti: ad alias se porrigunt vtilitates: ægrotos in nosocomio domique adeunt, fouentque: nec negligunt familias ad miserandam inopiam perductas: quin & dolores multorum, & tristes animi curas solantur: vt proxime cuiusdam, qui ab egregia coniuge quater veneno appetitus, eo non penetrante ad vitalia, iacebat affecto corpore: cum hoc, videlicet vnus e sodalibus, egit, oportunitate capta, vt vxori veniam daret, infirmitate consilij in tale facinus progressa: &, quasi hoc satis non haberet, eandem ad confessionem adduceret. Sacrum instrumentum liberalitate piorum adauctum. Corpus sancti Amantij, donum Ptolemæi Cardinalis, de quo scripsimus quadriennio ante, translatum hoc anno in nostram ædem eximia pompa. Concurrit multitudo ex adiacentibus oppidis frequens, gnara temporis, auida spectaculi: arcuata erat vrbs in capitibus viarum, adornata tabulis signisque, & perpetuo peripetasmate: sed area Collegij templumque, maxime illustria, multigenis argumentis versu inscriptis, pictisque, alterno textu fulgentia: quorum copiam plebs imperita, eruditi elegantiam æstimabant. Conditum sacrum pignus, arca marmorea, sub altari maximo s

& votina circum donaria, accepta propter beneficia, quorum imagines, litteræque causam testantes; in auto argentouæ expressæ miraculum ad præsens, in posterum monumentum. Obijt anno posteriore Pater Egmondus Augerius, quadragesimum amplius annū multis laboribus in Societate perfunctus: is, vt omittam quā multa olim laudabiliter fecerit, fortiterque pertulerit in Gallia, cum in hanc Prouinciam venisset Collegiumq; a pio opere nō cessabat, vehementer exoptās supremis suis annis in Catholicorum bello aduersum hæreticos, vt præferret signū Crucis, vel in prima acie mori. Hic autem cum mandatu Episcopi sacrarum confessiones virginum audit, inuaditur morbo: & sensit initia; sed vel dissimulauit, vel contempsit: quin et, in sacello domestico ipso die natali Domini, quo minus tria sacra de morte perageret, ter licet relinquente spiritu, viribusque, deterri non potuit. secundum ea decubuit, non ignarus mortis propinqua: ad quam, dimotis interpellatoribus, tanto se animi robore comparauit, sacris precibus, & familiaribus colloquiis cum Deo, deingestu, & cum vox deficeret, tacito labiorum motu, vt in sanctam verterit inuidiam misseratio morientis: quo tempore oblata læta quædam species piæ mulieri, ei credo, de qua narratur aliud simile anno octogesimo octauo, in Aronensi. Vide-



batur videre sibi Angelos circumstantes lectulum patris, moxque exeuntem animam deducere in cælum, ingenti lætitiâ & pulcherrimo puerorum Sodalitio, quale ipse instituerat olim in Gallia, celebrem pompam prosequente. vt hinc quoque intelligas, non deferi quemquam ab operibus suis, cum a laboribus requiescit.

DOMVS PROBATIONIS  
Aronensis.

**M**AIORA quædam, & præter communem consuetudinem, quæ accipi in rerum capitibus Arona transmissis, me ad ferpiunt, hortanturque, vt relinquam quasi minora, & communia, de laxatis ædibus, loco caloque salubri, de Congregatione virginum vna sub beatæ Vrsulæ, deque aliis duabus, puerorum, virorumque, sub Dei matris appellatione ac tutela constitutis. Atque hoc primum. Sacerdos quidam Aronæ agens pollicitus erat Deo, aditurum nostram Societatem, idque vni e nostris aperuit. Indigne hoc tulit dæmon, seque ad solita arma conuertit. impuris cogitationibus hominem aggreditur, ita infestis, vt adimerent somnum: surgit e lectulo miles Christi, & lectitandis piorum historiis noctes ducit insomnes. neque hoc tulit aduersarius, suspensam lucernam ad parietem

tem sic deiecit, vt effuso oleo totum volumen  
 foede prolueret. neque hoc satis: inter cenan-  
 dum inuadit immundo afflatu: hic a mensa  
 statim in cubiculum, humiles ad Deum preces  
 effundens humi proiectus: & pro cibo, corpo-  
 ri flagra ingerere: cum sic quoque exco igne  
 carperetur, nudatis pedibus terram instatit  
 binas horas, vel ternas, dum importunus ca-  
 lor deseruesceret: dein coniecit se in cubile  
 fessus: visus in eodem strato videre mulie-  
 rem, & attingere eius comam manuum ex-  
 tentu: desilit repente attonitus, & ad lectulum  
 conuersis luminibus, nihil videt: donec bister-  
 ue agnouit, timuitque ludibria oculorum.  
 idque pluribus noctibus accidisse testatus est:  
 tandem eo res processit, vt miser, iturus cu-  
 bitum, brachia sibi manusque arte colliga-  
 ret, inditis vinculis, ne in somno attrectarent  
 quicquam manus errantes frustra. simul enim  
 sopor & ligabat sensus, breue ad tempus, &  
 brachia soluebat. Sed nimirum, quæ est Dei  
 clementia, diaboli tentatio est infra homi-  
 num facultatem: fugauit illum, qui pro casti-  
 tate pugnabat, cum fortiter obstitisset. redijt  
 tamen victus ad pugnam admirabili arte. E-  
 gressus aliquando sacerdos idem ex oppido,  
 leuandi æstus, iuxta lacum inambulabat per-  
 soluens horarias preces Mariæ Virgini. Vix  
 ducentos passus processerat, cum affectus  
 est eum vir quidam, cum rutila barba, & pro-  
 missa



missa, vesteque magni pretii: insidebat equo pulcherrimo, atri coloris; qualis nullus illis regionibus. famuli erant a pedibus duo: cum accessisset propius, perhumaniter salutavit, Numquid ad Iubilate, inquit, peruenisti? recitabat forte sacerdos illum psalmum, & quod magis mirum, ita pressa voce, ut exaudiret tantum se ipse. tum vero, equitem inter & sacerdotem sermo institutus, hoc ordine, prior eques specie rimantis, Quæ est animo tibi infixæ cura? quæ sollicitudo mærentem exedit? at ille dissimulans. Mihi bene est, ac belle: frustra tibi huius rei quæstio fuit. cui eques. Mi homo, mihi dare verba difficile est cui datum olim a Deo, ut introspeciam quid tacitis cogitationibus volent homines agentque. cum steteret sacerdos admiratione defixus, & stupens loquentis habitum, corpusque totum lustraret luminibus, sumpto animo. Quod, si tibi ea est virtus, effare, quæ me angit molestia: si quid fortasse, tu plus scis de rebus meis, quam ego ipse, cui ille, Votum Societatis Iesuitarum: hic stimulus cor vellicat: hoc te quietum esse non sinit, sed tu alias res agas necesse est. ad illam tibi aditus non patebit: me vide. Suspiciatus alter, ne id aliqua ratione inaudisset a nostris. Non certum satis, votum illud fecerim necne: sed, ut ita sit, si certum est Patribus, me excludere, non abijciam animum, nec me discrucio: neque

neque enim vna est tantum pie ac sancte Deo  
 inseruendi via. Recte istud quidem, ait eques,  
 mitte illam de pectore curam. est tibi ea indo-  
 les ingenii, is truncus corporis, & hæc super,  
 ea voluntas, vt vel in ista, qua nunc vteris ra-  
 tione vitæ, possis innocentiam tneri. quod, si  
 me audis, aliam terram vide, vbi Deo viuas,  
 & tibi, Arona relicta. iam me sequere: nec te-  
 mere consultum erit rationibus tuis: optima  
 apud me eris condicione. non lætio inanibus  
 promissis. huc respice. hæc cum diceret, cru-  
 menam prægrandem manu percutiebat cre-  
 pantem argento. egit gratias sacerdos. Non  
 possum ad præsens vti liberalitate tua, vt fi-  
 dem meam præstem Ecclesiæ Aronensi. et subi-  
 to interfatus eques. Quæ istæ fides, sine pu-  
 blica vlla sponcione, aut chirographo? an te  
 quinquaginta tres æris libræ (neque enim plu-  
 res accepisti) additum habebunt? Assentieba-  
 tur hæc audiens, non sine admiratione: sed  
 coniectura ducebatur ad suspicandum, ad il-  
 lius aures permanasse omnia ab aliquo Aro-  
 nensi. Tum paulo fidentior. Tu vero quo iter  
 intendis? vbi habes? Pallantiæ respondit (no-  
 men est oppidi ad lacum Verbanum) et qui ad  
 nos appellit linter, meus est, ad vicinalem  
 vsum paratus. agebatur ab vno, atque altero  
 remige, vtroque pullato. aspicit sacerdos, &  
 miratur non antea visum. Nunc, si accipis  
 condicionem, Pallantiæ mecum eris, quam-  
 diu vo-



diu voles . si stat religiosam vitam comple-  
 cti, vt in vnam admittaris insignem, & sancti-  
 tate præstantem, curabo. Laudo egregiam hu-  
 manitatem tuam, qua sponte uteris in homi-  
 nem ignotum, sed habeo causas remittendi .  
 Hac sermonum vice, cum paulum subsistere  
 cogeretur sacerdos, Præi domine, inquit, post  
 paulo sequar. nec aliter fecit, ac dixit. Tum  
 salutare crucis signum in fronte exprimens  
 atque in loco cordis, & pensilem corollam  
 baccis confertam sacris, quis preces numeran-  
 tur, manu prehensens, præcedentem subse-  
 quitur: non apparet: credidit vsu velocita-  
 te equi: hoc magis gressum accelerat, non sa-  
 tis admirans, quo modo tam breui tempore  
 tam longe anteuertit, vt oculis esset subdu-  
 ctus: nec minus (vt est natura hominum) asse-  
 quendi cupidine, nihil ad celeritatem sibi re-  
 liqui facit. emensus erat currendo iam mille  
 passus: iacit interea oculos circum campum  
 late patentem, nec aliud occurrit, nisi solitu-  
 do, & litus merum: neque enim eques, nec  
 famuli, nec vero in lacu cymba vlla. Hic con-  
 stitit sesus animi, & repentino terrore corre-  
 ptus: ad extremum cum recursarent diaboli-  
 cæ fraudes, sese inde proripuit, pauens, atque  
 respectans: narrauitque nostris, quæ viderat  
 audieratque, nondum finito metu. Sequitur  
 alterum in alio genere. Surrexerat quidam  
 multo mane, ad meditationem antelucanam,  
 accensa

accensa lucerna: cum interea simul auditus  
 flatus, & lumen extinctum. reaccendit trepi-  
 dus: sed lucerna iterum ac tertio restingui-  
 tur. cum rem detulisset ad vnum e nostris i-  
 gnarus consilij, iubetur bono animo esse: & si  
 idem rursus patiatur, adigere spiritum, inuo-  
 cato Dei nomine, ad enuntiandum quis sit,  
 & quid præterea velit. insequenti nocte res ea-  
 dem; & roganti vox. Anima sum sororis tuæ  
 mortuæ: purgor vlticibus flammis, pœna ce-  
 dente in vicem fidei, qua sum obstricta mer-  
 catori illi: & eum nominabat. Iam tu mi fra-  
 ter quamprimum adi ædes, in quibus vixi: in-  
 uenies sub camino, ad partem alteram, in fo-  
 ramine, pecunias quasdam, & paginam: ex  
 ea porro, & e re ipsa consilium capies. Pauen-  
 tem interea, & sudore frigido defluentem  
 blanda oratione firmat, non hoc fieri sine Dei  
 numine: proinde ne metuat vllas insidias: neu  
 differat supremum officium fraternum. tum  
 frater paulo erectior. Quid me futurum est?  
 curiosa interrogatione. Perge, vt cœpisti.  
 non te pœnitēbit, rursus ille. Hoc factō, eris-  
 ne mihi amplius molesta? & soror. Minime, in-  
 quit, sed mandatum meum celeriter cura. In-  
 uenit is loco dicto aliquot nummos, & cautio-  
 nem mutuatz pecuniæ, quam cum accepisset  
 a viro nobili, qui debebat, mercatorem si-  
 mul, & sororis animam absoluit. et quoniam  
 narrantur exempla memoranda, adiciam &



tertium, quod in oppido quodam suburbano, quo fuit sacerdos missus cum socio, contigisse perhibetur. In eo ad triginta mulieres malemone agitantur, omnes fere virgines infimæque condicionis: ex præsertim, quæ sunt voto virginitatis obstrictæ. mirum, has, quibus dolis circumueniat, quibus artibus oppugnet. varias inducit formas, vt alliciat ad infanda, vt deterreat ab honestis. a simulat modo personam, & pietatem monachi, &, quod audire aures horrent, ipsiusmet Christi crucifixi, hortantis ad impia: quin & vrsu, leonem, serpentem: impetum facturus in puellas hianti ore, & deuoraturus vno haustu: minacem etiam militem cum sclopo parato, & instructo, iam iamque extrufuro pernicialem glandem cum flamma, tonitruque, nisi extorqueat assensum. Sed simplicitas virginum vincit omnem astutiam Deo nixa. Magna omnino illarum fides, eoque clypeo ignea nequissimi tela extinguere. E pluribus, narrationes duæ reponentur. Ex earum numero quædam, nobilibus orta parentibus, & molliter educata, cum haberet aliquando noctem infestam a diabolo insidiante, stratum deserit, &, hieme licet media, ac tempestate perfrigida, in nudo pauimento, nuda cubat: cum cresceret nihilo secius flamma (vt magnum incendium, aqua iniecta) clam cubiculo egressa in hortum secedit, ibique magni æmulatione Franciscisci,

cisci, quem eadem factitasse acceperat, corpus proiecit in aggerem iuium, tamdiuque peruolutauit, obstrepenste licet dæmone (qui ab ea uisebatur) & dentibus infrendente, ut internum ignem externo frigore restinxerit. Alteri item dæmon noctu se ostendit imagine beatæ Ursulæ, Crucis vexillum præferens, cum multarum virginum comitatu: atque ita locutus est. Videt Deus, amatque, tuum istud studium tuendæ pudicitiz: sed quoniam difficile admodum est in paterna domo, in tanto strepitu occurrantium, & periculorum obiectu, non contaminari mentem aliqua ex parte: nos allegauit, ut te duceremus in Cœnobium sacrarum virginum, omiſſis curis omnibus, ipsius numini studioſe famulantium. Hic virguncula Deo aspirante, cum veres diaboli insidias, dexteram duxisset manum a capite in pectus, moxque a sinistra produxisset in dexteram, ut efformaret Crucem, se talibus uisus, tantoque honore indignissimam esse profitetur. Neque uero uobis habeo magnam fidem. timeo & in speciosis consilijs fictos dolos. quod si Dei legatione fungimini, has sanctorum reliquias (habebat reliquias adalligatas ad collum) humiliter veneramini. Mirum dictu: procubuerunt in genua laruz uenerabundæ: & tanto magis uigent, ut maturet profectioem. at illa. Mihi non licet quicquam grauius statuere mei patris spiri-



tualis iniussu: neque ad eum adire decet no-  
 cte intempesta: conuenite vos illum, & expo-  
 nite mandatum Dei. vbi diluxerit, ego acce-  
 dam, & vtar consilio ipsius. Hoc responso da-  
 mones, abiecta omni simulatione, in suas se te-  
 nebras abdiderunt, cum fremitu, in irriden-  
 tem puellam, quod lingua solum bellarent,  
 gratesque agentem suppliciter Deo, contume-  
 lias & probra certatim ingerentes. Ex his  
 duabus, fiat de reliquis coniectura. Ingens  
 videlicet omnium pietas, cum praesertim ac-  
 cedunt ad sacram synaxim: eo enim tempo-  
 re ita exardet ira sempiternus hominum ho-  
 stis, vt omnes artes conquirit ad illas oppri-  
 mendas; nec temperent a lacrimis, qui inter-  
 sunt spectaculo. At magnae virgines, ac sem-  
 per in malis maiores, quia talibus iniuriis non  
 infringitur earum virtus, sed acuitur, & ca-  
 pto licet corpore, non capitur animus, & tatis  
 illa fragilitate & sexus, de impotentis inimi-  
 ci pertinacia triumphant: neque cupiunt li-  
 berari molestia pugnae, vt de assiduitate vi-  
 ctoriae Dei gloria illustrior existat. Attuli huc  
 exemplum virginum, vt similia coniungeren-  
 tur: de quo scilicet auditum est, excursionem al-  
 tera: duae enim excursiones rogante Caesare  
 Speciano Nouariensi Episcopo, a quattuor  
 nostris susceptae, vt in vtramque bini mit-  
 terentur: in oppidum, vbi ea geruntur de qui-  
 bus diximus: & in valles desertas, atque hor-  
 ridas,

ridas, quas non sine causa vir grauis & prudens Indias appellat. Regio est, vt cæli solique asperioris, ita etiam ingenii: iter difficile atque inuium: cultores inconditi, & agrestes: nulla apud eos mitis arbor, aut pomifera, fruges nullæ: importatur victus aliunde, lacte caseoque exceptis: & quoniam, nec equis, nec plaustris patet aditus, mulieres onera ferentes humeris, iumentorum vice funguntur. propter vastitatem loci rarus ibi sacerdos: iacet fere omnis tractus sine cultoribus animarum. quo magis infelix regio, & parata peccantibus. gens proiecta ad libidinem, & Christiani ritus ignara: nisi quod oppida inter se, de templorum ornatu, amplitudine, elegantiaque, veteri quadam æmulatione, contendunt. exceperunt nostros tantâ gratulatione, vt vix credi posset: effundebatur sacerdos, populusque ad eorum aduentus, ad multa milliaria, pæne vniuersus: campana æra perstrepebant: tam ingens deinde concursus ad templa, vt negotiolum diem a festo non facile discerneres. Admirabantur ignari nostri muneris, tantum a nostris laborem suscipi, in ipsis adiutandis, audiendis, edocendis, & respui pecuniam, aliaque, quæ offerebantur: ita eos venerabantur, tamquam aliud genus hominum, cælo demissos. et fuit pretium iuisse. retexerunt quadraginta totius vitæ, permulti denum, vicenum, tricenumque



annorum, & quod excurrit, peccata confitendo. viginti quattuor a turpi concubinarum meretricumue consuetudine abstracti. Mulieres duæ, de nostrorum consilio, ita repletæ pudoris ac pudicitia tenaces, vt aduersus effrenatam libidinem aliquorum, vitam sibi citius creptum iri, quam contaminandum corpus aperte testarentur. altera ex his eum perditus adolescens effractis foribus eius domum esset ingressus, tamdiu hominẽ detinuit blanda oratione, quamdiu per auersum ostium a publico ad vicinam mulierem euadens elusit impudentem. Multæ præterea, quod nunquam antea auditum in illis oris, nescientibus nostris, nedum suadentibus, nuncuparunt votum perpetuæ castitatis. consultum aliquot virginibus, quæ in lubrico versabantur. matrimonia non legitima ad iustam formam redacta. Par coniugum a perpetuo triennii iurgio: complures præterea ab inueterato odio ad concordiam, & pacem reducti: ex his vnus tredecim globulis appetitus ex tormento ahenæ, & fere debilitatus toto corpore, quamquam irascebatur implacabiliter, nostrorum hortatu placatus est cum aduersario expensas & damna resarciens. quidam qui pecunia iudicem induxerat, vt eius inimicum afficeret extremo supplicio, alioqui reum noxæ capitalis, in eam adductus mentem, vt damnati filios tamdiu aleret, quamdiu ar-

tem manumque in quæstum conferre possent. magna vis argenti, quam interuerterat fraus, ad dominos reuertit. Multa huius generis cõmunia: quidam, qui cum se explicare non possent e curiosa molestaque tentatione de rebus fidei, manum sibi afferre statuerat, audita concione deterritus a sententia, quam & concionatori aperuit, eadem fuit medela alijs multis, cum æque angerentur. quæ sequuntur miranda. Destituebatur sensibus puella: sed & umbrarum spectris, quas sibi videre videbatur, reddebatur attonita, ac similis stupenti: versabatur in vltimis finibus huius, de qua iam pridem loquimur, vallis, mulier veratrix & faga, quæ carminibus profitebatur sanare, quæ apud alios insanabilia essent. magni ad eam concursus hominum consilij gratia, & auxiliij: & quamquam reclamarent nostri, ac scelus ostenderent, tamen illis abeuntibus adolescentulæ genitrix, affectu materno, filiam mitit, consulitque mulierculam de umbris, & re medium laboranti. tum maga. Adducite puellam ad illos sanctos (nostros intelligebat) qui nuper apud vos versabantur: ab iis petite opem. paret mater, filiam adducit itinere octo millium, rem exponit, ac responsum veneficæ: vtramque adhibita peccatorum confessione, sacro se Christi corpore communire præcipiunt nostri: quo facto melius habuit adolescentula, & cum sponte virginitatem vo-



uisset Deo, lata & in columis domum reuer-  
 tit. Erat alia sensu aurium ita obtuso, vt si au-  
 diri velles, intendenda vox esset: cupiebat  
 peccata aperire sacerdoti in templo, verum  
 conscia imbecillitatis expectabat vacuum lo-  
 cum, & tempus, omnibus digressis: ea cum  
 spes euanesceret, aliis atque alijs certatim su-  
 perfluentibus, rem tacite beatæ Virgini com-  
 mendans audaciam a necessitate mutuatur:  
 voto respondit euentus: loquentem sacerdo-  
 tem, vt eius mos & officium ferebat, submisso  
 murmure, exaudiebat, magna perinde admi-  
 ratione, & voluptate: nec tacuit beneficium  
 Dei matris. Non minus memorandū, quod  
 illi cum populi nec plane Germanico vtantur  
 idiomate, neque Italo, sed permixto confuso-  
 que ex vtrisque, tamen æque intelligebant no-  
 stros, intelligebanturque, ac si cōmunis com-  
 mercium linguæ esset: tantaque erat fides gen-  
 tis, vt ægrotos etiam afferrent, vt bene illis  
 precarentur. Duo, præter cetera, apud eos  
 correctione indigebant, in infantium bap-  
 tismo. Nam si quis esset domi baptizandus, in  
 aquam indentes pollicem, pingebant crucem  
 in fronte infantis, & pariter dicebant. Ego  
 te signo, in nomine Patris & Filij & Spiritus  
 sancti. Igitur hic error sublatus, nunc alterum  
 videamus. Oppidum est, in cuius templo ante  
 effigiem Deiparæ fama erat reuocari ad vi-  
 tam infantes pueros, qui expirassent sine ba-  
 ptismo.

ptismo . peruagabatur opinio totam regio-  
 gionem, cupidius credita, quia veram esse  
 cupiebant: & afferebantur infantes. neque abe-  
 rat fraus nostris intellecta: collocabatur mor-  
 tui corpusculum in altari a parentibus, & in  
 eius ore pinna miræ leuitatis: tum omnes  
 qui accurrerant causa beneficij, vel miracu-  
 li, in certas preces effundi, cum trepidatio-  
 ne ingenti: non sine suspirijs: sic vt impulsa  
 aeris, tremere pluma, vibraretque: in quam  
 omnium oculi intenti: nec mora, miraculum  
 exclamant; uiuit, uiuit. accurrunt confusis  
 uocibus crebroque anhelitu: uentilari hoc ma-  
 gis pinna, & concuti, sæpe etiam excuti e la-  
 bijs: hæc vulgus imperitum: at Parochus non  
 multo sapientior, sacra puerum aspergebat a-  
 qua: deinde ueluti sollempniter baptizatum  
 condebat in sepulcrum. magni operis res fuit  
 in hoc errore tollendo. Abrogatæ etiam aliæ  
 consuetudines, in depellendis morbis, sedan-  
 disque tempestatibus, plena superstitionis. il-  
 la præsertim: ut sabbato pomeridianis horis  
 religioni ducerent facere quodcumque opus,  
 diem Dominicum neglectui haberent. Arbitra-  
 bantur etiam, mulieri, ubi uenisset in manus  
 mariti, pro parentibus preces effundere, ne-  
 fas & irreligiosum esse. Ab his alijsque vanita-  
 tibus, inculti populi, atque agrestes, ad ueram  
 religionem reformati. atque hæc de excursio-  
 nibus duabus. Obiti etiam pagi adiacentes

cum



cum fructu: ac super inimicitias compositas, aliaque communia, multi indicauere sacerdoti, quæ per omnem vitam peccando commisissent. Quodam in oppido, complures nobiles, quibus desidia cordi, sic erant non amantes doctrinæ Christianæ, vt non solum choreas anteuertent, sed alios etiam auerterent ab illa: verum auctore vno e nostris, culpam propter rantes vertere in decus, & ad sapientiora conuersi, primi omnium in hoc opus nomina dederunt: factumque, vt a viris pueri, puellæ a mulieribus docerentur. Eodem in oppido Deum ac cælites violandi verbo sublata impia consuetudo. abolitus mos fucati fenoris agitando. & redditu fructus iniuste percepti. confultum feminis duabus, quarum altera ab importunitate mariti quæsitæ morte. se eripere cogitabat: altera suasu fratris, minisque, collocata facinoroso adolescenti, ita impatienter ferebat factum, vt ex dolore in amentiam acta, mox etiam varijs diaboli visis atque insidijs exposita esset: tribuit Deus hoc beneficium sacerdoti nostro, vt eius hortatu confugeret vtraque ad diuinam opem implorandam, intelligeretque multum prodesse hominibus in re mala, si animo bono vterentur. In excursionibus alterius anni, vt breui complectar, hæc præstita. In oppido quodam ad lacum Verbanum constituta honestarum Sodalitas mulierum, quæ patronam habent Virginem Dei

parentem. alrera item virorum vitæ optimæ  
 instituendæ. Vtrique additi magistratus, et  
 impostæ leges: et apparet fructus: vt oppida-  
 ni ipsi dicant aliam esse iam speciem, alium a-  
 nimum hominum, adeoque ipsius oppidi fa-  
 ciem aliam videri. Restituta alibi Congrega-  
 tio a I E S V nomine insignis, quæ iamdiu exo-  
 leuerat. In altero quodam pago effectum: vt  
 collata pecunia pro cuiusque opibus perpe-  
 ruaretur vigil ignis Christi corpori asseruan-  
 do. Vnus atque alter deterritus ab inimico-  
 rum cæde: atque a recordatione offensæ. Ha-  
 scce ob res perinde celebratur nostrorum ad-  
 uentus, vt timetur discessus.

#### VERGELLENSÈ COLLEGIVM:

**A**D SCHOLAS nostras Clerici e Semi-  
 nario ventitate cœperunt. additus fer-  
 uor Congregationi Partheniz, liberalitate  
 Patris nostri Generalis ad Romanam adiun-  
 ctæ: datum principium instaurationi studio-  
 rum ab oratione graui & polita, in magna no-  
 bilitate & frequentia: eius exemplum peten-  
 ti Episcopo, qui multas ad res (sicut etiam fa-  
 cit Quæstor sacrarum causarum) nostrarum  
 opera & cōsilio vitur, non fuit denegandum.  
 Catechesis Christiana tradita non solum in  
 nostro, sed in quattuor etiam templis, magno  
 concursu: quem auxit anno posteriore illu-  
 stris



stris dialogus cum appendice præmiorum  
 nec minus gratum spectaculum fuit, cum in  
 anniuersaria pompa sacrosanctæ Eucharistiæ,  
 pro nostris ædibus, exhibita species, deserta in  
 loca Angelorum panis descendens e cælo  
 magnifico apparatu. Magna erga nos beneuo  
 lentia ciuium, quibus & utiliter satisfactum  
 concionibus præter morem habitis per qua  
 dragintadiæ ieiunium in nostro templo. No  
 focomium aditum, adiutum, auditum, vtiliter  
 ac sæpe: inuisus item carcer: ac subleuati, qui  
 egestate premebantur: tres multorum scele  
 rum infamia noti, damnati cum essent suppli  
 cio vltimo, firmati sunt a nostris ad pœnam,  
 miseriarum finem, æquo animo ferendam. Nec  
 minus vtilis opera fuit reliquæ ciuitati. Effe  
 ctum, vt quidam parceret inimico, cuius san  
 guine manus mentemque inquinare decreue  
 rat. alius in gratiam redijt cum vxore, vengo  
 no quod ad eius necem parauerat, abiecto.  
 Rarum pudicitæ matronalis exemplum. Im  
 purus quidã atque impudicus honestam mu  
 lierem sollicitabat, in hoc vnum omnem indu  
 striam artemque coniungens, salutando, asse  
 ctando, honorem habendo, pollicitando, pre  
 ces addendo: at illa superior omnibus officijs  
 promissisque, illum contra orare, vt quoniam  
 stabat non violare iura coniugij, ab incepto de  
 sisteret: cum hoc non satis esset ad minuendum  
 ardorem iuuenis accensum, non ignara mi  
 norem

norem maiore restingui, quo redimeret periculum castitatis, obtulit non paruum vim argenti: non irritum consilio: spes enim dubia cecidit rei certæ: & indomita libido dominantis pecuniæ cupiditate superata est. Magna erga nos Episcopi beneuolentia, nos cum inuiseretur, Latina exceptus oratione, versibusque, & emblematis varij generis expositis in templo, ac conuiuio præterea frugali. Coactæ Synodo nostri Rectorem Collegij interesse, ab eoque sermonem haberi, & controuersiam inter religiosum quemdam virum ac primores Ecclesiæ principis componi voluit, ipsis assentientibus. Hæc in vrbe. Nã extra urbem quattuor missi, bini in loca diuersa. Et hæc videlicet secuta. Matutina concio: pomeridiana doctrinæ explicatio: huic sustinendæ & propagandæ, Sodalitates institutæ, vnde suppeditentur magistri. Vir & mulier, post suetam denuntiationem sponsalium in templo, nullo præterea adhibito ritu sollempni, viuebant in iisdem ædibus: vnde nascebatur sermo multorum, & matrimonij contemptus: persuasum his, vt suppletes quæ deerant ad carimoniam nuptiarum, legitime iungerentur. Effecerunt item nostri, vt quidam, quem sacris interdixerat Episcopus a sacramento ferijs Paschaliibus abstinentem, ad eius Vicarij se pedes prosternens impetrarit veniam, & culpæ liberationem. Denique reconciliatum par coniu-  
gum



gum, inter quos disfidium ingens, propter inductam concubinam a viro, quam vxor impatiens consortij pacta erat cum audacibus iuuenibus, vt conuulnerent in facie, adulterij mercede: nunc auctoribus nostris exacta domo pellex, & retractatum impudens promissum. Atque hic mihi terminus

Vercellenfis Collegij, & Provinciae Mediolanensis.

PRO-

PROVINCIA

VENETA.



VODECIM Domicilia erant huius Prouincia. Anno posteriore factū initium tertijdecimi, in Foro Cornelij: vrbs est Aemiliae satis frequens & opulenta. Ceterum, quoniam utroque anno non idem numerus: in priore enim supra trecentos, fuere focij viginti tres: in posteriore, vndecim: singulorum Domiciliorum numerus, & quod in eis excelluit, distincte ponetur. Primo anno obiere sex: altero quattuordecim. Vndecim illo: hoc quindecim nobiscum iniere Societatem.

PROFESSORVM DOMVS.

VTROQUE anno circiter quadrageni, in abducendis a laxiore vita hominibus, & adducendis ad arctam vtiliter occupati. adulescentes multi iugum subiere religionis. adiutus Græcus vnus, vt in sinu Romanae Ecclesiae moreretur. Multorum rogatu explicari cœpta bis hebdomada officia Christiana, magno Clericorum, sed & popularium hominum concursu. interfuit & nonnumquam, cum explicarentur,



rentur, Laurentius Priulus, Patriarcha Venetus, sapientia ac pietate tantæ dignitati par, laudator intelligentissimus operis, cuius fuerat hortator. Sed vrbs ipsa laudauit aliud quiddam, quod hac ratione gestum est. Peculiari lintre (vt interdum fit) prælegebant aliquot e nostris oram littoris, animo relaxando: cum affertur complures milites, destinatos Crætæ præsidio, dum nauigandi tempus expectant, iacere in proximo, confectos tabe, illuue deformi. nec mora, exscendentibus apparuit miserabilis strages viuētium cadauerum. nescires, miseris vnde primum initium opis ferendæ: sed cunctationem exemit pietas, & præsens necessitudo, properata eo die remedia, & solamina, vt tempus ferebat. reditum alijs ordine consequentibus, maiore paratu, subsidio promptiore: actum deinde cum primoribus vrbs de præsentia auxilio: nobisque gratia acta. neque id tamen citra periculum nostrum, aut fortasse iacturam. Eiusdem morbi contagio quattuor laborarunt, vnus absumptus: is fuit Pater Philippas Triuisanus, cuius opera, cum per annos triginta magni fuit in hac Prouincia, tum proxime supremum hunc fructum tulit impensæ pietatis. Alter etiam sacerdos recreandis viribus Patavium profectus, repentino dolore corporis, intra horam duodecimam animam efflauit. At nobis in hac annonæ caritate, qua maiorem Veneti

neti non meminerunt, nihil vniquam defuit.  
ex quo agnoscas benevolentiam piorum.

CRETENSIS ET IVSTINOPOLI-  
tana Missiones.

**L**ABORI nostrorum, in Creta insula, fru-  
ctus respondebat. Sed cum obtrahitori-  
bus non carerent, aliaque ob causas, missæ a  
Patre Generali litteræ ad omnes reuocandos:  
quattuor tamen retinuit Dux illustrissimus:  
magistratus hic insulæ præfides nomine Sena-  
tus. is per commodas ædes commorationi,  
templumque vsui, in quæ ius ac potestas a re-  
publica Veneta, nobis addixit. hic exercentur  
munera nostræ Societatis. et, siue spectes  
Græcorum concursum, siue Latinorum, est  
pretium moræ. Nunc de altera Missionem pau-  
ca ponentur.

**I**VSTINOPOLIS (vrbs maritima Istriæ  
est, cuius & caput vulgo dicitur) tandem ex-  
torfit multis precibus concionatorem. Qua-  
dragesima, anno superiore, missi sacerdos &  
focius, exceptique a Clericis virisque nobili-  
bus, obuia cymba. conciones, quippe non fu-  
cata, non tumida, sed (quæ sunt propriæ no-  
strorum) viuida spiritu, valida sensu, accep-  
tæ iuxta, vtilesque. diebus festis sub preces ves-  
pertinas explicatum sacramentum pœnitenti-  
æ, notabili fructu. idem sacerdos de omni vi-



ra confitentes audiuit amplius ducentos. ex  
 vno reliquos coniectes. mirum omnibus, in-  
 defessum hominis studium: multo magis, reie-  
 cta merces; sed oblata potius piacularia mul-  
 torum saluti, [quin & singulis diebus, decliui-  
 iam Sole, vrbani omnibus magistratibus, aliis  
 que nobilibus, ac vi populi immensa, ad me-  
 ditandam historiam Christi Domini morietis  
 propositis capitibus, exemplum ac rector fuit.  
 mirum quanto concursu, cum ad statum signu  
 omnia negotia desererentur: quanto sensu,  
 cum in meditatione media exardescente igne,  
 & gemitus, & lacrima tacita contineri non  
 possent. neque defuit fructus. restitutus vsus  
 vsurpandorum salutarium mysteriorum pa-  
 ne dilapsus, instituta schola quattuor Chri-  
 stiana doctrina: iisque praefecti viri muliere-  
 ue pro dignitate operis, ac discrimine labo-  
 ris. Et iam interdum nocturne fora viaeque sa-  
 cris cantionibus personant, adiuta cum pri-  
 mis Coenobia virginum. Sed praeter ceteros,  
 qui ad pietatem exerciti, vir fuit quidam pro-  
 uecta aetatis, & magno rerum vsu: cuius vi-  
 ta mutatio, sacrorum frequentatio, cunctis-  
 que rebus posthabitis assidua commoratio in  
 templo, magnam affert in praesens voluptatem  
 vrbis, & spondet in posterum vtilitatem. His  
 actis, cum instaret discessus, orauit populum  
 sacerdos, vt ablutis confessione peccatis pri-  
 die communicarent: factumque tanta assidui-  
 tate

rate ac frequentia, vt concioni tempus, & locus non fuerit. Tanto magis ciuitas per delectos Seuiros, & Episcopum, vrget Collegij foundationem.

### COLLEGIUM PATAVINVM.

**P**RIORE anno quinquaginta duo: posteriore, ad dictum numerum defuere decem. Sed de illo prius. Propter immoderatos calores omnes fere impliciti in morbum: vnus mortem non effugit. Sodalitas Parthenia maior, quæ fere exaruerat, reuifcitur in Romanam inſta, magna ſpe fructus. Actum cum Canoniciſ maximi templi viriſq; religioſis multis, e varijs familijs, vt a Paſchate ad vſque Domini Aduentum ſingulis diebus feſtis ab vno eorum pomeridianus habeatur ſermo, ſuo ordine, poſt certum aliquod tempus reditura vice. res vt iucunda propter varietatem, ſic neque, diuiſum propter laborem, cuiquam moleſta. data opera, vt publicis cuſtodijs ne deſit ordinarij ſacrum: eamque ad rem adſignatus proprius cenſus. Federicus Cornelius Cardinalis huius vrbis Epicoſpus laudatus in funere ab vno e noſtris, oratione iuxta ſapientem atque elegante: qua dum commendaret mortuum, viuentes inſtrucebat. Sequerentur & alia communia. Sed hoc fortatte non omittendum. Inueniſtus aleator, cu n ſæpe oraſſet



Deum, vt sibi irasceretur, si reuertetetur ad lu-  
 sum, neque abstineret tamen, præualente con-  
 suetudine: semel post damnosam aleam, eo-  
 amentia prolapsus est, vt se trabe suspende-  
 ret. verum & huius misertus est Deus: dela-  
 psam fulcrum sono exciuit domesticos: igitur  
 occursum in tempore: miseroq; melior mens  
 redijt, cum spiritu pæne fugiente: dein noua  
 instituta ratio vitæ auxilio consilioque nostro  
 Sarzanam itum, atque in montes adia-  
 centes Tridento, non sine labore: & reditum  
 cum fructu. Vtrobique excitatum opus au-  
 gendo studio doctrinæ Christianæ. Nec po-  
 sterior annus funere caruit. Decesit Pater  
 Alexander Seritius, & Cæsar Rubeus, qui elo-  
 quentiam Brixia docuerat. At viuentium illa  
 sollempnia. Pacificati viri primarij duo, dicti-  
 tantes mutua odia non nisi morte finiri. Se-  
 datæ similtates inter alios duos æque nobi-  
 les. adiutus pagus altero ab vrbe lapide, qua-  
 draginta diebus ieiunij uerni, & explicatione  
 Euangeliorum mane, & sub vesperam capitum  
 Christianæ doctrinæ. Sed & in vrbe Genobiorū  
 aliquot virgines a menstrua sacrorū perceptio-  
 ne ad hebdomadariam traductæ. Templi ædi-  
 ficatio procedit. E Sodalitate Parthenia ma-  
 iore, duo in societatem nostram adscripti:  
 sed vnus ex his, antequam ingrederetur, diu-  
 tino morbo extinctus, commemorabilis pa-  
 tientia & pietatis illustre exemplum dedit:  
 non

non licuit viuo, quod vnum maxime cupiebat, inter nos esse: sed licuit mortuo: & cui mors inuidit contubernium, post sollemnem votorum nuncupationem in nostro habitu, prope- ravit sepulcrum. E Sodalitate minore ad- lecti tres. ad alios religiosorum ordines dimis- si quinque. reliquorum religio tanta, vt insti- tuti videantur in exempla virtutum.

COLLEGIUM BRIXIENSE.

**I**DEM vtroque anno numerus: fere triceni qua- terni. Additum aliquid comoditati domus, & ornatui templi. trecentos aureos vnus mo- riens nobis reliquit: viuens alter quadringe- nos habere Collegium voluit liberali pietate. Toti fuimus, vt noster vsus postulat, in auxilio proximorum. ab impunitate ereptæ turpes mulierculæ, pulchræ virgines a periculo. im- peditus igitur raptus vnus, alteram vix duo- decimum annum, egressam (quæ suadente ino- pia, matre addicente, cum peruenisset in por- tatem iuuenis pecuniosi, accommoda ad tem- pus oratione ac modestia, deprecata erat ia- cturam irreuocabilem pudicitiz, auctore eo- dem & adiutore) apud matronam nobilem de- posuimus honeste collocandam. nec minori fuimus vtilitati decumbentibus pluribus, gra- fante morbo in hoc tractu. quin & in carita- te annonæ adiuuimus aliquot de nostro. præci-



pua in capite damnatos apparuit industria. Eorum aliqui flexis genibus sponte perrepse-  
re ad patibulum, argumento doloris intimi delictorum. Sed & vnus rheda uectus, cum amputata esset dextera in loco maleficij, sinistram etiam carnifici porrexit, præcidi similiter obtestans: tum deinde satellites orauit laxâtes habenas equis, quo citatiore cursu constituerent hominem ad patibulum, seu miseratione, siue ne præ dolore prius moreretur, adducerent potius, & contraherent, vt tardiore itinere, longior esset atque acerbior cruciatus. cupiebat alioqui breuem produci penam, qua redimebatur æterna. alius autem proxima ante supplicium nocte a diabolo sub draconis specie inductus, egressum publicum & pudorem effugere voluntaria morte moliebatur: sed cum mutatione vultus, dedisset mentis indicia fluctuantis, a sacerdote agnitus, & ad consilium sapientius redactus est. Admirabile in alio quodam, qui cum sub falso crimine a peruerso indice demitteretur ad necem, calumniam repellere ac propulsare noluit: quærentibus causam, respondit: quia homo cum esset, alia deliquisset in vita, & prospiceret animo tempestatem calamitatum filijs ingruentium aduersarij, si cum eorum parente accusatore iniquo experiretur, quem multorum scelerum inuidia pulsabat: ita caput suum morti obtulit, cum a nostris inter-

ea firmaretur, ne alijs obesset. Iunctæ etiam aliquando ab inimicis dextræ: duxque familiaræ, quæ cognationis vinculum verterant in capitale odium, reconciliatæ. Itum, posteriore anno, duo in oppida propinqua: nec satis longum spatium magnum attulit oppidanis momentum ad æternam salutem. Adiuuat nostram industriam benivolentia Brixienfis Episcopi Ioannis Francisci Mauroceni illustrissimi Cardinalis. is enim superiore anno cum longam post peregrinationem in hanc urbem honore auctus & purpura redisset sollemni exceptus pompa, ad Sodalitium Parthenium inuitatus cum vrbani magistratibus accessit: collaudatusque a sodalibus soluta vincæque oratione, tum Latina lingua, tum Græca: ipsis templi parietibus pulcherrima veste ornatis, versuque multiplici redimitis gratias agere gestientibus, neque hætenus se tenuit eius humanitas: venit enim & anno posteriore in Collegium non raro: quin & magistros audiuit docentes, & nobiscum cibum cepit: semel etiam ad vnum omnes (ad vsum infirmorum vehiculo misso) suam euocavit in villam: vbi & a prandio singulos, sine vlla exceptione, de rebus pijs interrogando, & vicissim addendo aliquid, bonam diei partem duxit, & religiosè in Deum, & erga nostrum ordinem propensè mira significatione voluntatis. Ad scholas autem accessere magistri duo,



qui explicant officia hominis Christiani. Rhetoricæ præterea clasſis reſtituta, & magno numero auditorum inſtructa. pietas omnium magna: eminent Parthenij, magna gratulatio ne, ac læticia vrſis. Ex his noſtram Societatem obtinuerunt duo: adiunctus tertius externus ad opera domeſtica. Ceterum, cum poſteriore anno grauitè ac diu multi e noſtris ægrotaffent, nemo occubuit: vt inrelligant omnes ſibi laborandum attentius, Deique conſeſſu prorogata vitam; pro vtilitate multorum.

COLLEGIUM BONONIENSE

**V**TROQUE anno duodetriceni. conſtitere omnia officia noſtræ Societatis. ad cæleſtis agni epulas impulſi inſtructique ex vtroque ſexu complures iam incipientis adoleſcentiæ: qui ſuam ne, an parentum negligentiam, excuſabant ætate. Mirum quidam accidit virgini, & hic paucis ponendum, quoniam ea iam celebrat templum noſtrum frequenti uſurpatione ſacrorum. Incitabatur ab æquali & conſobrino ad ſacram ſinaxim: ſed ſtulta eludebat. neque abſuit vexatio. haud multo poſt ſolicitatur a vicino adoleſcente ac procaci: eius amores, cum ſpatio potius, quam impetu ualeſcerent, animo anxio, incerta quid agat, concedit aliquando cubitum:

dein media nocte, sopore discusso, videre vi-  
 sa iuuenem in candenti veste, & audire. Mife-  
 ra virgo quid agis? Quin ad consobrinam  
 tuam accedis, eamque imitaris in frequenta-  
 tione conuiuij sacri? Non frustra species, aut  
 vox fuit. Mane postridie illam conuenit: ex-  
 ponit rem omnem, & nocturnum visum: ip-  
 siusque exemplo & consilio vsa, periculo si-  
 mul & angore animi liberata est. Placati dissi-  
 dentes. controuersia nummaria non iam iure  
 dirimenda, sed ferro, inter duos composita. se-  
 cuta in multis de nostrorum consilio mutatio  
 morum, & vitæ. ex octo, qui se admitti cupie-  
 bant in nostrum ordinem, tres voti compo-  
 tes effecti: alii, partim ad alios dimissi, par-  
 tim expectare iussi. Ad nos ventitantium cau-  
 sa doctrinæ maior quotidie numerus, & illu-  
 strior: eum auxit schola Dialectices, quæ nu-  
 per accessit. Coepiscopus morem erga nos  
 obtinet illustrissimi Episcopi Palzoti Cardi-  
 nalis: ita nostrorum opera & consilio vitur  
 in multis rebus: habere vnum voluit Qua-  
 dragesima, qui verba faceret ad populum sol-  
 lemni fructu. Nec minor fuit Prolegati huma-  
 nitas, aut beneuolentia: is erat Ferdinandus  
 Farnesius Parmensis Episcopus: ad nos non ra-  
 ro veniebat: ad se sæpius nostros vocabat: ad  
 Deum preces in rebus dubiis frequens expo-  
 scebat: præcipue in anno aduerso frugibus:  
 vix quattuor mensium alimenta Bononiensi



populo collecta esse dicebantur: Dei tamen benignitate, & prouidentia Præfetti, subuentum est rebus extremis, vt nihil vrbi deesset. Ceterum Collegium nostrum, in tanta inopia frumenti, & copia funerum, quibus plebs ferre exhausta est, ita suum tenuit cursum, vt vix senserit scuitiam temporum: etsi duo, qui ad nos venerant aliunde (eorum vnus erat sacerdos) naturæ debitum reddiderunt.

### FERRARIENSE COLLEGIVM.

**P**RIORE anno viginti septem: altero tres & viginti: illo in Societatem duo admissi. puellarum decem pudori consultum, quarum vna dato iam chirographo, in libidinem venialis erat mercede pacta. Germanus miles antiquam hæresim deseruit. Hebræi quattuor baptizandi ad fidem instructi. Posterioris anni hæc propria fuerunt. Vir vxoris flagitium ferro vlcisci cogitabat: ipso in articulo occurrunt nostri opportune admoniti: illum, vt condonet iniuriam, hanc, vt petat veniam, efficaciter adhortantur: nec discesserunt, nisi reconciliatis animis, & pace facta. At mulier iam sapientior anniuersariam peccatorum confessionem cum menstrua mutauit. Multæ etiam mulierculæ de vitæ turpitudine deiectæ. constitutæ sedes virginibus, quarum pudicitia periclitabatur. Vna ad Cœnobium, quod reli-

que-

querat, & ad Antistitæ obsequium reducta. curatum, vt a diuitibus egeni sustentarentur: Quidam tenui iam re familiari trecetos nummos aureos debebat viro opulento, ac nobilitate appellaretur, nec esset soluendo, confugit ad nostros: hi de re edocti, creditorem conueniunt, orant pauperi laxiorem diem: at is liberalior, & remisit omnem pecuniam, & aliam etiam sponte obtulit indigenti. tanti apud potentem hominem fuit plurimum officium, & oratio nostrorum. Patris nostri Ignatii exercitationibus exculti aliquot, qui sacris erant iniciandi: nec sine fructu. iisdem etiam ad pietatem excitatus mollior sexus: prouisum multorum saluti, quam ipsi negligebant. ad frequentiam discipulorum adiuuit data actio, & præmia distributa, cum eximio apparatu. Tranquillus annus: nisi non parum turbasset obitus Patris Alexandri Summariæ. veteranus erat miles, & factus ad ceterorum exemplum. igitur tam mors eius fuit acerba, quam superiora omnia aliaque (quæ, vt sollemnia, reticentur) animorum lucra iucunda.

COLLEGIVM VERONENSE.

**B**INI AVT terni supra vicenos anno vtroque. defuncti singuli: & posteriore quidem, magna non solum spe, sed etiam maturitate, Raimundus Turrianus, adolescens clarus



ris natalibus: qui cum infirma valetudine, recreandis viribus, venisset in patriam de consilio medicorum, post tabidam febrem duorum annorum, & spectatam patientiam, ad æternam commigravit: ingenti desiderio suis civibus, nobisque omnibus admirabilium virtutum exemplo relicto. Duo e nostris vtiliter concionati in duobus præcipuis templis huius urbis. et semel accidit, vt qui in maximo, imagines reprehenderit magis nudas aut lasciuas, quam necesse esset in locis sacris, ita seuerè & grauiter, vt miserit statim Coepiscopus, qui quodam in templo vnam induceret: idem faceret in alijs: aut certe velo obduceret, quodcumque venustius pingitur, honestius celatur: nec minus laboratum in vitijs extirpandis. Persuasum quibusdam, vt reuocarent consilium argentumque constitutum inimicorum cædi patranda. Polonus e Lutheri tenebris emerfit, non satis admirans, perspecta luce, vbi tamdiu latuisset. Quidam infensus nobis, auuiditate malefica, oratione & scriptis multorum in nos odium inflammabat: sed cum venisset tandem in colloquium cum vno e nostris, a quo erat animo alieniore, ita ipsius lenitate captus est, vt & postea inflammauerit scripta, & in amorem eorum sit conuersus, a quibus antea abhorrebat. totius vitæ peccata aperuere vno anno amplius ducenti. Instituta Congregatio Clericorum adole-

doleſcentium in Collegio, magna indole pietatis. Scholarum exiſtimatio poſt elegantes aliquot aſiones publicas auſta. Templi ædificatio vrgetur: eius iam pars dimidia perfecta. acceſſit etiam aliquid ad priuatum Collegii veſtigal. et ſpes iam tenet idoneos redditus annuos propediem futuros. Ceterum, vniuerſam diœceſim deſcripſere ſibi ſacerdotes duo cum ſocijs, rogatu Coepiſcopi, luſtrandam. penetratum ad gētes, apud quas degenerante iam lingua, opus erat interprete. et (ne eam per omnia) octoginta in oppidis ſingula conſtituta Sodalitia, quibus nauant operam viri nobiles: vt æque proficiant ipſi, & proſint diuturnitati operis, cum vtilitate populorum.

P A R M E N S E C O L L E G I V M .

VNO ANNO quindecim: altero duodeuiginti. De rebus ad Dei gloriam, & ad rem proximorum, noſtrorum ope conſilioque perfectis: de doctrina Chriſtiana: de ſacra Euchariftia noſtro in templo pridie Cineraliorum ſupplicantibus expoſita, quo & ſereniſſimi conuenere Principes, vrbaniſſimi cum magiſtratibus ac nobilitate vniuerſa: de ornatu altaris, ſacroque instrumento, auſtis: de progreſſu Congregationis: deque piarum fruſtu exercitationum, quarum admonitu ( vt hoc tantum ponam gratia; exempli ) vir illuſtris



stris & prudens, par omnibus negotiis, sese ex  
 aula strepitu ad quietiorem vitam recepit, vt  
 qui in freto vixit, moriatur in portu: de adiu  
 tis multis, in lectulo, siue in patibulo morien  
 tibus: de his inquam & talibus, nihil colloce  
 mus, quæ sunt locis omnibus annisque com  
 munia, His duobus annis Parmensi Collegio  
 hæc propria acciderunt. Hieme media repen  
 tinus quidam morbus atque insolens urbem  
 inuasit: & vt apparet esse ira Dei inuectum,  
 imminabat in viros diuites matura ætate, ne  
 glectis pauperibus, ceterisque, æuo, aut sexu  
 imbecillis: leuis a principio cum modica gra  
 uedine, & febricula pertenui: altero die per  
 totum corpus pustulæ liuentes: septimo phre  
 nelis, cum cantu: mox exitus vitæ. neque no  
 stris pepercit: abstulit nauos atque industrios  
 sacerdotes duos, quin & anno sequenti tres,  
 & adiutorem præterea domesticorum operû  
 amissimus: notabili iactura. vnus ex horum  
 numero fuit Pater Ioannes Baptista Aduoca  
 tus vir natus ad socios regendos, magna pru  
 dentia, & (quæ ad pium regimen haud paulo  
 est melior) insigni caritate: tunc Rectorem  
 Parmæ agebat. igitur vt vita erat iucunda,  
 fuit mors acerba. Alter Pater Melchior Bro  
 ua, coopratu iam inde ab Ignatio Patre: ad  
 omnes quidem res aptus, sed ad adiuuandos  
 vincetos in carcere, morteue damnatos, offi  
 cij ac consilij plenus: quo caremus magis ope

ra talium virorum, eo magis deſtendus. deinde Pater Petrus Blanditius, in concionibus excellens. Sed hi tamen quieſcunt: ſuperſtitium laborem agnoſcunt, & prædicant viri Parmenſes, atque etiam principes ipſi: quibus grata maxime opera induſtriaque ſacerdotis Odoardum inſtruentis ſapientiæ præceptis.

### COLLEGIVM PLACENTINVM.

**S**EPTEMDECIM: mox quindecim. Magnus erga nos civium amor, id adeo perſpectum, cum quemdam publice perſtringentem oblique noſtros, parcentem quidem nomini, ſed ita vt intelligi poſſet, antequam rem nobis deferrent, admonuerunt, vt deſiſteret cœpto. ita benefactorum pulchritudo obſcuratur plerumque, vt magis emineat. At noſtrorum ſedulitatem, dum aſſident ægrotis, firmant morientes, illustravit magis hic annus, morborum ſæuitia, vt funeribus inſignis. Res ſacra au&ta ſacello quodam pulcherrime inſtructo, aliqua etiam acceſſio rei domeſticæ, propter piam liberalitatem cuiusdam mercatoris, facta. Neque tenuis fuit ex concionibus fructus. Accidere aliqua cum admiratione memoranda. Cum de concionatore audiffet mulier, quam ſit piam ac ſalutare recordari Chriſti Domini cruciatus, dabat



bat se quotidiano studio ad illos recolendos : inuidit dæmon : atrocem hoc agenti speciem offert , tanto cum strepitu , vt nutarent tecta , & ruinam timentes domestici sese proriperent e lecto : ipsa iacuit pauore exanimis , qui & attulit morbum : dispulit vtrumque apud vnum e nostris sacerdotibus rite confessa . Virginitatem altera deuouerat Deo : hinc inflamatur in eam inuidia Inferni monstri : multas per hebdomadas tam multa obiicit visa infornia , vsque ad gestus , modosque haud pudicos , voces infandas varie permixtas , vt dies ac noctes misere sollicitam haberent : donec tandem , de consilio nostrorum , suscepto voto inuisendi templi Deiparæ Virginis , quod religiose in hac vrbe colitur , assiduo terrore omnique oculorum & aurium ludibrio liberata est . Adolescens vnus e Gymnasio , & Sodalitio Dei matris , ita grauitè æger , vt omnes medici diffiderent , illam summis precibus cum orasset , vt siquidem secutura ex eo esset Dei gloria , impetraret sibi valetudinem , sin minus , veniam peccatorum , a filio : consoptus est somno , dein excitatus releuato corpore , post paulo conualuit . Ceterum , decem exijs qui institutione nostra formabantur ad pietatem , ( sex eorum ex numero frequentabant scholas ) sese Christo in varijs religiosorum familijs consecrarunt : vnus per biennium constantia varijs tentationibus assu  
pro-

propinquorum exercita fuit: sed vicit tandem, nec permisit se duci ad damnum salutis propriæ, erroribus alienis.

### FOROLIVIENSE COLLEGIVM.

**H**IS DVOBV8 annis quindenî. Priori anno, in templo nostro officia Christiani hominis explicari cepta: bis hebdomada habebatur schola: ea posteriore anno, in ædem maximam contendente Episcopo translata est. Oratorium nobilium (de quo proxime scriptum) maxime est utile ciuitati: præcipue in opere Christianæ doctrinæ: cui propagandæ, assignata a magistratibus certa pecunia præmiolorum distributioni, allec-tationi discientium, sollemni ieiunio quadraginta dierum, habita concio apud nos frequentissimo conuentu, multisque abolitis superstitionibus, & subleuatis pauperibus humanitate ciuium, eximio fructu. Hæc fere anno priorè. Posterior, vi morbida, annonæ caritate, comprehensione exulum capitalium, materiam nostris dedit exercendi officij: igitur cum dominaretur pestifera quædam lues, terni quaternique sacerdotes percursandi ægrotorum domos perpetua cura distinebantur: vitam in opere duo posuerunt: vnus ex his Pater Benedictus Cinellus ex Rectore: vir præ alios iuuandi cupiditate con-



temptor propriæ salutis. desperata aliqui va-  
 letudine, cum per se vel per alios accendis-  
 sent lumina in nostra æde insigni miraculis,  
 breui conualuerunt: non nemo etiam momen-  
 to pæne temporis liberatus. ciuis graui do-  
 lore corporis febrique molesta, Euangelium  
 Sancti Ioannis pro infirmis a sacerdote super  
 eum pronuntiante, multis, per confessionem  
 obitam, ad salutem animi, corporis quoque  
 adiecta, magna enim spes Foroliuiensibus a  
 confessione peccatorum. indicatum id pro-  
 xime terræ motu quatiente urbem. quo ad nos  
 tempore relicta sedibus innumeri conuola-  
 runt, vt exoneranda conscientia præuerter-  
 rent mortem, at grassatores, qui iam diu ma-  
 gno numero latrocinijs & cædibus vexabant  
 vastabantque prouinciam (vt ad eam pacan-  
 dam legato Apostolico opus esset) victi capti-  
 que, magna celeritate ac prudentia a Fran-  
 cisco Sfortia Cardinale, cum subinde quini-  
 deni uiceni que daturi essent ultimam pœnam,  
 adiuti a nostris, eiusdem iussa, in periculo su-  
 premo. Nunc Partheniani sodalis factum ac-  
 cipite. Ex minorum Congregatione adole-  
 scens, eodem tempore & vxorem duxit, & pu-  
 blicum magistratum cepit: ergo petiit a sode-  
 libus obnixè, vt ne ipsius obliuiscerentur, Deû-  
 que orarent, vtrumque succederet ex voto:  
 se enim quam poterit sæpius Sodalitium fre-  
 quentaturum. die nuptiarum, vespere ante  
 quam

quam eat cubitum, memor Thobianæ historiz, procumbit in genua, excussaque diligenter conscientia ridentem sponsam atque iridentem inuitat ad idem faciendum: mox a socero de more veniam & pacem exposcit: admonet, faciat idem ipsa cum parente: vtrumque frustra, muliebri vercecundia, seu pertinacia: dissimulauit adolescens ad tempus, ne offenderet in limine: sed cum vxore postmodum ita dexter egit, vt postridie a parente, cadentibus vtrinque lacrimis, quæ hinc essent pœnitentiæ indices, illinc uoluptatis, petierit sibi ignosci. Vulgauit factum fama, atque auxit, cum laude iuuenis: cui maius additum calcar ad pietatem. At Congregatio maiorum ædificauit sibi Oratorium coniunctum nostris ædibus, iusque loci omne nostrorum esse, publicis tabulis extare voluit. Aucum & Gymnasium numero discipulorû: ex quo Episcopus, vt & Clerici Seminarii admitterentur a Patre Prouinciali impetrauit, res etiam familiaris aliquod incrementum accepit.

### COLLEGIUM MANTVANVM.

**A**D SEDECIM prioris anni, posteriore accesserunt duo: quo & absolutum est templum: primum sacrum in eo factum a Primitio sancti Andrea (is est in Clero secundus. ab Episcopo, nostræ Societatis valde studio-



fus) die ipso indiuidua Trinitatis, a qua &  
 appellationem accepit. interfuit serenissima  
 vtraque Eleonora, Austriaca, et Medicea,  
 mater illa, hæc vxor Vincentij Ducis: & ve-  
 ro ipse etiam Dux, cum omni nobilitate, &  
 ingenti multitudine virilis ac muliebris se-  
 xus. Accessit templo ornatus: tabella, a viro  
 nobili, plena artis, imponenda facello, quod  
 extruere meditatur: a primaria femina penfi-  
 le candelabrum e solido argento: a sere-  
 nissima Medicea, pallium & casula ma-  
 gni pretii: eadem vestis ab Austriaca, ipsius  
 non solum donum, sed etiam opus. Hæc por-  
 ro numquam abfuit a concione, quæ instituta  
 sacro Aduentu, neque vumquam intermissa.  
 Ornat etiam sua præsentia scholam doctri-  
 næ Christianæ, vno e nostris assidue comitan-  
 te. Vno anno generales confessiones centum  
 & quadraginta exceptæ, sedatæ controuer-  
 siæ: vna in primis, in qua componenda ciui-  
 tas elaborarat sine fructu. Qui liberius iusto  
 viuebant, & rem familiarem negligebant, ad  
 parsimoniam multi, & ad seueriorem vitæ ra-  
 tionem reducti. quidam Inferorum cruciati-  
 bus, quos in quiete viderat, deterritus: alter,  
 vt fracto crure, sacerdotis minas, qui tale  
 aliquid futurum denuntiauerat, nisi desiste-  
 ret incepto, non irritas fuisse sensit. In ægro-  
 tatione nostram aliqui operam non inutiliter  
 requisierunt. Mulier se post confessionem sta-  
 tim

tim conſanuiſſe affirmat. Adoleſcens, noſter olim alumnus, quo die incidit in morbum, auditis matris auiæque continuatis funeribus, nihil perturbatus, totum ſe ad meditationem rerum diuinarum, extremique diei cogitationem conuertit: quem & obiit pie, Ieſum auctorem vitæ, noſtræque conditorem Societatis Ignatium frequenter appellans. Magna etiam cum eorum re uifitati fontes ſupplicio proximi. Dux exulum duobus cum fratribus laqueo necandus, nihil recuſabat, quo minus cum corporis, animæ quoque mortem coniungeret: hunc vnus e noſtris, Deo inſpirante, adeo immutauit, vt patefactis ſacerdoti rotius criminibus vitæ, incitarit alios ad ignominiam mortis æquo animo ferendam: ipſe quidem ſuorum memoria ſclerum in eam pœnitentiam verſus eſt, vt perreptare cuperet ad locum ſupplicij poplitibus flexis, ſi a ſatellitibus permiſſum eſſet. Secundû animos, ſubuenimus etiam corporibus aliquorum, quos data ſtipe ſeu collecta, iuimus cibo: ne cupidine famis pellendæ negligenter famam.

### MVTINENSE COLLEGIUM.

**P**rimo ANNO vndecim: altero tredecim: auctum enim Collegium, ex ducenis aureis ab vno atque altero legatis testamen-



to, censu annuo quadringenorum. aliunde obtinuimus hereditatem aſtimatione aureorum circiter quater centum. ampliorem pecuniã vnus ex illis ſtatuerat relinquere: perſuaſerunt noſtri, vt partem quoque generi concederet, & ſanguini: ita diligebat noſtros, vt cum eos haberet aſſiſtentes, & germanum fratrem, in graui quodam ſymptomate, negaret ſibi opus eſſe auxilio illius vltro ſe ingerentis, præ horum accuſu. gitor alleuata aliquantulum re priuata Præpoſitus Prouinciæ ſcholas aperire cogitat: et noſtra magis ſe intendit industria. neque enim liberrime ſeruitur vtilitatibus publicis, neceſſitate domeſtica prægrauante. Tres hominum impeditæ cædes. multæ ac magna diſcordiæ ſublata. reſtituta dominis aureorum aliquot millia. e nequitia ad frugem reducti non pauci, hæc inter, in ſubleuandis ægris, quorum permagna erat tum neceſſitas, tum copia, noſtrorum ſedulitas præcipue cognita eſt. inter cetera, quæ noſtris coram accidere admiranda, hoc valde illuſtre. Vir ſpectatæ pietatis, & erga nos beneuolentiæ, qui & viuendo recte, & ſæpius timendo mortem didicerat nõ timere, aduentantem tanta cum ſpe & læticia excipiebat, ac ſi finis eſſet laborum: nihil niſi de Deo, diuinis que rebus loquebatur, ad eaſque familiares incitabat: noſtro vero ſacerdoti hæc dixit: viſos a ſe Angelos

non-

nonnullos: ab eorum vno (tutelarem esse credidit) adductum in hortos amoenissimos: ibi & interquiescere iussum, donec breui totum iter ad finem vsque vna repeterent, incredibili voluptate: simul moriturum se: nec post paulo, parentes ambos (mærentes aderant, & mirantes) secuturos, confirmavit euentas. ante filii mortem genitor correptus morbo: ante huius exitum, genitrix morte absumpra est: libenter vterque, & pie, ad natî exemplum: cum ab eo inuitari se testarentur in voluptariam sedem:

NOVELLARIENSIS NOVITIORUM Domus.

**D**IVIDAM annos, & quæ in ijs gesta. Priore anno, primum quidē plerumque quadraginta: dein gliscente fame, imminutus numerus, vt essent duo supra viginti: accedente etiam morbo obierunt tyrones duo magna indole pietatis. alii ex his duo, ad Lauretanam ædem in peregrinatione suscepta, hæc narrant sibi contigisse. Exoriebatur inter eos, vt adhuc recentes a sæculo, sine ex lassitudine, sine ex dissimilitudine naturæ, querela interdum nonnulla, & altercatio: factum aliquando, vt in reducto quodam loco & solo cum ab itinere quiescerent, viderent ex improviso adolescentulam honesto vultu cultu-



que, & incessu modesto: quæ illis hoc tantum:  
 Mature inter vos lites & iurgia: cum dixisset,  
 pertransijt: mirum hoc vtrique: quod de  
 superiore aliquo litigio mortalium nemo scire  
 poterat: & tunc quidem inter eos pax: tanto  
 magis excitati ad memoriam venerationemque  
 Deiparæ Virginis. ergo grates illi agentes,  
 a qua & se admonitos arbitrabantur, petierunt  
 dederuntque vicissim veniam non sine lacrimis:  
 nouisque resumptis viribus ac spiritu alacres  
 redierunt in viam: neque inter se postea  
 verbum vllum commutarunt. Non intermittitur  
 ædificatio templi, insigni in Deum pietate  
 atque erga nos beneuolentia Camilli Gonzagæ,  
 illustrissimi Comitis: cuius & caritas hac  
 difficultate temporum illustrior. quadringenis  
 pauperibus quotidie prandium parat: ad  
 arcendum frigus ignem accendi iubet  
 luculentum: aulici ministrant ad mensam:  
 quin & ipse conuiuator adest plerumque,  
 & conuiuas solatur: at nos ante conuiuium  
 instruimus omnes doctrina Christiana: alimoniam  
 etiam & fomenta ægrotis mittit. Cum semel  
 daret operam rei diuinæ, miseratus inopem  
 feminum ac frigore rigentem, suum in  
 cubiculum duci imperat, refortumque, ac  
 noua indutum veste apud se assidere in  
 prandio: dein donatum nummo aureo dimisit:  
 dixitque in sermone, visum sibi videre  
 ea forma Christum, quæ & diu hæserit in  
 pecto-

pedore infixâ. Ceterum vocati etiam nostri  
 persæpe, anno tam graui, ab ægris in oppida  
 circumiacentia: vt a Mirandulana Comite fe-  
 mina lectissima, quæ multis abhinc annis a no-  
 strorum consilio numquam discessit. Cum a-  
 geret annum vigesimum secundum, orbatâ  
 est viro: nec mora, voto se castitatis obliga-  
 uit: Patrem Rectorem Nouellaria accersijt, a  
 quo de peccatis totius vitæ confessa ratio-  
 nem & viam pie ac rectè viuendi accepit, a  
 qua ne digitum quidem deflexit. horam quo-  
 tidie mane precationi dabat, multo plus tem-  
 poris interdiu piorum lectioni librorum. Po-  
 strémis hisce annis, quinas senasue Missas au-  
 diebat. communicabat diebus festis: quibus  
 etiam meridie erudiebat puellas multas capi-  
 tibus legis Christianæ: quam similiter ob cau-  
 sam instituit Sodalitatem matronarum, vt es-  
 sent veluti magistræ: pueris enim certos præ-  
 ceptores attribuit probatæ vitæ. quin & au-  
 ctor fuit Seminarii, in quo alerentur Clerici  
 duodecim, quo pluribus munimentis insiste-  
 ret Ecclesiæ Mirandulana. excitauit etiam,  
 vbi desperauit de nostro Collegio, Capucci-  
 norum Domicilium. ad hæc, integrum virum  
 legum scientem & iuris, apud se habere sem-  
 per voluit, quo vteretur in cognoscendis cau-  
 sis populorum, ac litibus finiendis. mors huic  
 vitæ congruens fuit. Testamentum recogno-  
 sci orauit, & censerî ab eodem Patre: plus duo-  
 decim



decim aureorum millia, aliaque, quæ nunc fideliter filii exequuntur, reliquit ad pios usus. Quin & Communi Mirandulæ agrum, quem etsi retinere de sententia peritorum salua conscientia poterat, noluit tamen, religione quadam iniecta: addiditque. Vt vos me debito absoluatis, ego metu non libero. nihil tuto despicitur in causa animæ: & cum de ea agitur in eam præstat peccare partem, quæ est seuerior. Felix mulier, æmulanda illis, qui dum præsentem vitam excolunt, futuram serunt. Ceterum non defuere quidam, quibus cum sui heredes non essent (vt Nouellariensis vnus iurisconsultus) suas facultates huic Domui reliquere. Atque hæc anno Priore. Posteriori fuere non plures triginta. Tyro vnus bimestri spatio decessit. De illustrissimi fundatoris erga nos humanitate & liberalitate in pauperes eadem dici possent: nec sunt repetenda. leuiri pietatem imitata est Victoria Comes illustrissima, multarum mulierum sulcienda pudicitia, & inopia subleuanda. eadem hinc discedens filios & reliquam familiam nostrorum diligentia commédauit. adiuti & que nostra opera ad viuendum recte, & moriendum pie, oppidani non pauci. Toparcha ex hoc oppido non longe, aduersa correptus valetudine, sacerdotem nostrum, qui tale aliquid sæpe erat ei comminatus nisi respiceret, accersit: cui & sese totum commisit in eo

tempo.

tempore extremo. non vltra biduum duraturum firmabant medici: sed Deus homini tantam vim tribuit, vt ad diem decimum, quo se expiaret generali confessione, vitam proferret: et quoniam iam didicerat, se potius amare, quam sua, de sacerdotis sententia, ad expediendas tricas, quæ facefferent animæ negotium, rerum suarum omne arbitrium

Triumuiris dedit, spes est ex ipsius

opportunitate mortis, ac Dei

benignitate, ad ea peruen-

turum bona, quæ qui

semel adipisci-

tur, semper

tener.

COLLEGIUM BRANSPERGENSE  
 EMILIAE V. M. COMITIS, QUI IN PRAESIDIUM  
 PRO-





P R O V I N C I A  
P O L O N I A.



ISTRIBVTI per loca vndecim socij trecenti triginta. In Collegio Vilnensi anno posteriore, de quo scribimus (nam huius tantum anni capita recepta sunt) quinquaginta quattuor: in Branspergensi triginta duo: in Pultouienſi viginti: in Poſnaniensſi triginta vnu: in Iaroslaiensſi triginta quinque: in Calisſiensſi vnde viginti: in Rigenſi, quod adiunctam habuit Probationis Domum ſine anni, ſeptemdecim: in Lublinenſi viginti duo: in Polocenſi quattuordecim: vno plus in Nieſuiſienſi: in Derpatenſi tredecim. Cracouiz in Domo Sanctæ Barbaræ, ſi Patrem Prouincialem addas cum duobus ſocijs, ſedecim: in Domo Probationis Sancti Stephani triginta: in Miſſione Leopoliensſi quinque. Addiſis poſſunt in Moldavia, & in Tranſilvania, vtrouique ſacerdotes bini. Poſtremo regis aula quattuor ſequuntur. Viginti tribus ſcientibus ſinem vitæ, fecere initium in Societate viuendi, viginti quinque.

COLLEGIVM BRANSPERGENSE.  
SEMINARIVM eorum, qui in Prouincia docentur de officijs hominis Chriſtiani,

ni, in hoc Collegium, hoc anno primum transfatum. Reconciliati cum Romana Ecclesia quinquaginta. Ceterum Gedanensis Missio hinc cœpit triennioante. Huius anni fructus hi breuiter numerantur. Primo die Paschatis ad diuinum epulum accessere centum: cum alias accederēt duodeuiginti, cum plurimi numerarentur. Adiunxit se ad veram religionem Suecus quidam Dynasta, cui vetus nobilitas ex familia regum: & quidam præterea Anabaptista, vt captus est festæ, non indoctus: cuius vxor & liberi tres iam adulti baptizandi fuerunt: is est nunc auctor multis ut meliora consilia capessant. Hæreticorum filij mittuntur ad scholas, non inuitis parentibus, Catholice imbuendi. Pagus quidam inueteratam hæresim nostrorum opera deseruit. in vicinis aliquot Monasterijs magna morum mutatio, obseruatioque seuerioris disciplinae consecuta est. diebus festis perpetuo aliqui communicant, nec male in nostros bona pars ciuium animata est: quæ etsi refugit a communionem Catholica, concionibus tamen fauet, amatque cultum templi, quod commodiore loco esse vellet. nec minimum nobis prodest de Religione disensio Prædicantium.



## COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

**E**PISCOPVS, vt primum ad suam Ecclesiam venit, nostros conatus promouere cepit, studio religionis: accedit sæpe ad nostram ædem sacro faciundo: mittit subinde sacerdotes, quos recte institui cupit: itaque & horum, & aliorum generales confessiones quam plurimæ exceptæ. Pijs commentationibus exculti non pauci: in his sacerdos voluntate regis huc missus, liberioris antea vitæ, nunc alterum virum mirantibus omnibus se ostendit. Memorabilis in primis conuersio Anabaptistæ, iuuenis vigesimum agentis annum, claris natalibus, & celeser ipsius baptismus magno hominum accursu. Ruthenus vir nunquam antea confessus, post peccatorum confessionem: similiter & mulier, cum Romana Ecclesia in gratiam rediere. Quidam Magicis addictus artibus, maloque dæmoni deuotus, ab impietate artis, & seruitutis vinculo ereptus. Sed & iuuenis patria & parentibus hæreticis, cum hic aliquot annos fuisset, clamculum exuerat perfidiam, rectam fidem complexus: dein reuocatus a patre subodora to fortasse aliquid, reditum differt: denique, quod futurus esset cum periculo, negat: spe hereditatis priuat pater iratus: at ipse confugit ad patrem pupillorum Episcopum, a quo relatus

relatus in alumnorum numerum palam se iam Catholicum profitetur: in Sodalitium quincemariam sanctissimæ Virginis nomen dedit. Ceterum tumultum aliquando inter nobiles excitatum in templo, vnus e nostris sacerdotibus aspectu & oratione fedauit.

### I A R O S L A V I E N S E C O L L E G I V M :

**E**X IIS, quos varij morbi inuasere, ereptus est Pater Ioannes Laus, vir eruditione, & doctrina liberali, præcipue autem scientia Dei colendi excellens. Concionum habitatum in vtroque templo huius vrbis magnus extitit fructus. Rectum iter euagantes, ex hæresi quattuordecim, e schismate triginta, in viam reducti. Noxas totius vitæ confessione eluerunt sexcenti quinquagintaquinque. Virgo, ne in discrimen Catholicæ religionis veniret, ab hæretico patruo profugit. Altera, ita superauit petulantiam iuuenis, vt ne intentam quidem eò nomine litem extimesceret. At mulier alia, imminente animæ periculo, a duobus iuuenibus diuinitus admonetur, migret e patria: dein confecto vno miliari, respectans, magno æstu animi, quod relinquebat, rursus ab iisdem firmata est, & ad proximum oppidum perducta: hic cum se se tradidisset matronæ nobili, auctores viæ iuuenes, & hortatores non amplius aspexit. Alia item cum do-

mina



minæ iram verita cesisset domo, & inter fil-  
 uas vagaretur, primum laruis quibusdam ter-  
 rita, vt & de extremis secum agitaret: mox  
 diuino munere vtramque culpam emendans,  
 & dominæ priori, & tranquillitati reddita est.  
 Attexam paucis duo quædam, ad astruendam  
 verissimam fidem. Duo corruptores populi,  
 qui se Ministros vocari volunt, in Podolia,  
 quoniam impia verba in cælites iactabant, im-  
 pune grauitatem sceleris non diu tulerunt. Al-  
 ter enim, vi quadam repentina, e suggestu con-  
 scio maledictorum, cum se ipse incitat deie-  
 ctus in præceps, a spectante populo non mul-  
 to post infelicem animam exhalauit. Tridu-  
 um alter humi procubuit, immotò corpore, lu-  
 minibus in terram defixis, perpetuo gemitu,  
 quasi tortore aliquo mentem eius interius cru-  
 ciante: donec plurimis qui confluebant atto-  
 nitis spectaculo exanimatus est. Tradita est  
 rudi populo doctrina Christiana singulis heb-  
 domadis in templo nostro, præsertim ieiun-  
 io verho, cum affluerent innumeri e diuersis  
 pagis: qui propterea in septem tributi classes  
 a fratribus nostris diligenter instruebantur.  
 Frater vnus proficiscens ad aliud Collegium,  
 dum in transitu paganos erudit, quemdam re-  
 perit, qui fere conualuerat ex particula agni  
 cælestis ad eum missa: itaque vehementer ve-  
 tuit acciri ad curationem veneficam anum.  
 Meditationibus spiritualibus, tres sacerdo-  
 tes,

res, & laici quattuor exerciti: e quibus vnus;  
 non vulgaris eruditionis, magnæque existi-  
 mationis in regno, incredibilis profectus ma-  
 gnâ argumenta dedit. is nunc pauperibus stu-  
 diosis domum commodam ædificare suis sum-  
 ptibus studet: illud inter cetera cupiens, vt  
 existat Parochus, in noua parœcia quam olim  
 instituit, Ruthenico Popo eiecto. Ceterum,  
 ex pauperum contubernio, præfectis locorum  
 rogantibus, tres ad iuuentutem instituendam  
 in scholis concessi: octo, nobilium virorum fi-  
 lijs: duo sacerdotes effecti: plures ad eundem  
 ordinem animos parant: in eorum numero est  
 Ruthenicus olim Popus, iam ita studiosus Ca-  
 tholici ritus, cupidusque litterarum Latina-  
 rum, quo plures errantes corrigere possit, vt  
 properet culpam in decus vertere, oblitera-  
 ta perfidia priore. Ducem Ostrogensem, schif-  
 maticorum caput, cum in suis prædijs prope  
 Iaroslaiam esset, nostri conuenerunt officij  
 causa: quod etsi nihil ei profuit propter per-  
 tinaciam, ad nomen tamen Societatis non  
 inutile fuit. Exortus est sermo de potestate  
 Romani Pontificis: iniecta que homini cupidi-  
 tas, ex nostrorum sermonibus, inspiciunda no-  
 stræ bibliothecæ, maxime propter Græcos au-  
 ctiores: igitur vnum ex aulicis mittit, simulque  
 petit explicationem loci, ex psalmo centesi-  
 mo trigesimo nono, Sclauonica lingua, qua hic  
 schismatici vtantur. locus erat, Caput circui-



tus eorum. Cum allata esset ex Græco Sclauonico idiomati respondens, vt sit, cum occupato animo sinistre interpretaris quæ dicitur, non arrisit, tum negotium dat monacho Thessalonicensi, quem Cœnobio euocatum apud se sustentat. Is post dies sexaginta ad Collegium Græcas litteras mittit plenas conuiciorum in Romanam Ecclesiam, vacuas rerum: nempe de sententia, quæ in quæstione erat, mirum silentium, ad eas nostri commode ac modeste responderunt. cognitum postea est ex educatore filij Ducis, qui tunc delitebat in tenebris, nunc ad veritatem emerfit, in digne tulisse Ducem audaciam scribentis: eosque qui mittendi auctores fuerunt, publice reprehensos. Missiones iussu Patris nostri Generalis obitæ per varia loca fructuosæ fuere. Ceterum, piorum hominum liberalitate, præcipue illustrissimi Ducis Slucensis, æmulante eum filio fundatoris nostri, Collegij necessitatibus subuentum: & sacrarij supellex veste argentoque non parum aucta.

### COLLEGIUM VILNENSE,

**H**VIUS initium Collegij ducemus a morte. Extincti, Pater Laurentius Arturus Faunteus, et Pater Antonius Arias Hispanus, duo Theologiæ lumina, quam in hoc Collegio diu profitebantur, duoque fulmina disputatio-

num

num ad euertendos hæreticos. Vigefimum ille annus in Societate egerat: hic alterum, & vigefimum. Vtrumque viuente Polonia fufpexit, Sed Pater Arias fupremis temporibus fic eluxit, vt fi ex oris habitu, & fanctitate verborum, imago animi, & Dei caritas cernitur, facile iudices hominem ita constantem et pium in calum sibi aditum struxiffe. ingens luctus in templo confpecto eius cadauere fuit: magnum uirj defiderium manfit: & nunquam moritura, fi dolori crederes effufo in laudes, excellentium ipfius fama uirtutum. Iam a Caluino, Lutheroue, rediere ad castra plures octoginta. A Græco difsidio Rufi Mofchiue fexaginta fex. Exercitationibus Societatis noftræ informati quindecim: decem ex his facerdotes, antequam primam hoftiam Deo offerrent. Virgo, vt caftitatem feruet, quam ultro uouerat, iam & Monafterium cogitet, adducta, fuit quoque fuus fcholarum prouentus. Difcipuli fere fexcenti: e quibus hærefim eiurarunt feptem: nonnulli infigni exemplo. Regimontanus adolefcens Vilenfes hæreticos, quorum fama (vt maiora femper creduntur de abfentibus) multos luferat, uifendi cupidine huc uenerat: tum ut omnia illis comperit non folum minora, fed nihil habentia præter inanem ftrepitum, contempfit. factum eodem tempore, Deo uolente, ut duceretur ad noftros: quorum opera collocatus in Semi-



nario Pontificis : mox & detestatus errores suos , in litterarum via & pietatis mirabiliter excurrit. In idem Seminarium perductus alter, ex colluie Ariana , tanta, in retinenda religione , ad quam postea se applicuit , constantia ac fide , vt quantalibet pollicitationum, ac blanditiarum vi a parentibus allectus, nihil mutarit. Denique, ne singulos numerem, simili Dei munere affectus quidam , de grege Caluini peracri ingenio adolescens : qui primum ad Gymnasium nostrum, deinde ad templum se adduci passus, nunc demum, vt expleat numerum, ad Societatem admissus , tot diuinis beneficijs egregie respondet . Ceterum inter omnes discipulos eminēt sodales sanctissimæ Virginis : sunt ipsi centum quinquaginta: flos scholarum, immo etiã Lituaniæ iuuentutis . Societatem ex ijs consecuti quinque : tres ad alios religiosorum ordines se receperunt : quodque in tanta sacerdotum penuria maximi faciendum, duodecim acceperere sacerdotium . Magnam sodalibus exercendæ caritatis materiam præbuit egentium multitudo : itaque ægrotos frequenter prosecuti in nosocomiis omni genere officiorum . Die sanctæ Mariæ Magdalenæ quadraginta pauperibus in commune collata pecunia epulum datum . Alio die, triginta studiosi, qui egestate oppressi aliena misericordia tolerant vitam , sollempni excepti conuiuio: in conclauē ornatum peristro-

ristromatis, epulæ exquisitissimæ, nec nisi au-  
 ro, argentouë, illatæ: et, vt meminissent hono-  
 rem illum haberi Christo, vacui eo munere fa-  
 muli omnes fuere: domini subiere vicem fer-  
 uorum: coctæ conditæque dapes ab ipsis: ipsi  
 conuiujs quibus pridie abluerât pedes, summa  
 religione ministrarunt. Hæc domi, atque in  
 vrbe. Extra urbem nonnulli multis animarum  
 saluti & præsidio missi. Itum ad virum opibus,  
 ac iustitiæ amore præter ceteros insignem in  
 toto Grodnensi tractu. is cum anno superio-  
 re coniugi, liberis, omnique familiæ ad Roma-  
 nam Ecclesiam transeundi potestatem fecis-  
 set, templumque suis ædificatum sumptibus  
 a Ministro transtulisset ad sacerdotem Catholi-  
 cum, opera nostrorum: hoc anno veniens Vil-  
 nam patefactis criminibus vitæ totius, profi-  
 teri voluit Catholicam fidem: aliamque ædem  
 a se olim excitaram ad conuenticula hæreti-  
 corum grandi impensa, Catholicorum sacris  
 dicauit, Ministro expulso. igitur ab hoc voca-  
 ti nostri, ætate media, duo: vt labore cura que  
 lucem aperirent reliquæ familiæ, alijsque do-  
 mibus, quæ in vicinia erant: ergo tres aliæ  
 familiæ ab hæresi purgatæ: a schismate vna.  
 Minister vicini nobilis cum subterfugeret no-  
 strorum congressum, suorum odium in se con-  
 uertit. Confessiones genera les ibidem audi-  
 tæ: amplius quadraginta: coniugum capita-  
 li odio inter se disidentium, redierunt in con-



cordiam, paria duo. Hæc inter, multorum in nos liberalitas enituit. Sigismundus Rex mille ducentos aureos Collegio attribuit: duo, florenos quingentos: alius, octoginta: quibus impedita ob superiorum annorum sterilitatem res familiaris adiuta est.

### MISSIO SAMOGITICA.

**P**RAESIDIS rogatu in Samogitiam missi duo, a Quadragesima ad Pentecosten usque, varia oppida pagosque peragrarunt, et adierunt complures nobilium priuatas domos, ubi opportunum erat, conciones habitæ diebus singulis, singulæ, binæ festis: nempe, ut Euangelia explicarentur, & doctrina Christiana. in pagis, si Topachæ Catholici erant, agrestium turba vnum in locum cogebatur, ut errores agnoscerent, quibus adhuc implicati tenebantur: cuiusmodi erant religio lucorum, veneratio Lunæ, ignis, fulminumque: quod si hæretici: diuertebantur ad aliquem, quem sibi antea conciliaissent: & priuatis in ædibus munera Catholica obibantur, fremente diabolo, Ministrisque: præbita enim Eucharistia tum alibi sæpe, tum maxime in cuiusdam Ariani oppido, ubi Ministri dominantur. At Catholici alacres lætique non poterant a nostris auelli: laudabant cupiditatem laborum, sceptorum scilicet sponte: at contemnentem pecuniam,

niam: munera quæcumque respici, maxima, mi-  
 nima, ita admirabantur, vt supra mortalium  
 naturam. quamquam aduersarij (vt qui ode-  
 runt, calumniantur etiam recte facta) perpe-  
 ram interpretabantur. illa omnia despici a  
 viris, qui opibus abundarent. fuere tamen qui  
 dicerent alios sibi videri homines nostræ So-  
 cietatis (humanos nimirum, comes, affabiles)  
 quam quos multi malenolorum sermonibus  
 antea depinxissent. Iam quocumque conuer-  
 terant pedem, ingens se ostendebat laborum  
 materia, ac seges: tam magna mortalium vis  
 audiri ab illis instruique cupiebat. Confessi in  
 vniuersum, qui numquam antea, ducenti se-  
 ptuaginta quinque, nemo eorum minor annis  
 pubertatis: qui confessionem iamdiu intermi-  
 serant, ducenti quinquaginta. a turpi vita ex-  
 tractæ mulieres tres: a diuturno pellicatu se-  
 prem. Vnum & triginta paria coniugum ma-  
 trimonij caerimonias ex Catholico ritu supple-  
 runt. fluctuantes in fide triginta sacramento-  
 rum vsurpatione firmati. Execrati hæresim  
 viginti quinque. Impij atque imperiti hære-  
 ticorum magistri nostrorum aspectum adeo  
 vitabant, vt vel domi se continerent lucifa-  
 gæ, uel diuerticula quærerent, ac deuios re-  
 cessus, ne illos forte obuios haberent: ad dis-  
 putandum certe adduci non poterant. vnus  
 vi a suis compulsus, valde trepidus, secumque  
 & cum oratione sua turpiter pugnans, vt irri-



fui esset: tandem se expedit, hoc dicto, quod imparatus accesserat: ita multum est apud suos de eius existimatione detractum. Sunt etiam, quod non parvæ rei initium est, quibus iniecta est suspicio, ne falsa sit doctrina, quam novi isti correctores Evangelij se obtrudere profitentur. ex eo numero alter, in concione publica, nostris audientibus, nihil docuit religioni Catholicæ repugnans: post concionem aggressus illos in hospicio, se uere, sine simula te, in rem Catholicorum multa protulit, aduersus hæreticos, eorum fraudes inconstantiamque palam redarguens: audiebatur, hæc cum diceret, etiam a nobilibus aliquot peruersarum opinionum: qui cum fremerent eum delaturos, nihil pendit: addiditque iamdiu se cogitare de deferendo munere, quod animæ detrimentum esse intelligeret. nimium quantum hoc responsum fregit aduersariorum animos, bonorum erexit. Baptizati hæc Missionis quædraginta: omnes supra annos infantie. inuenti in his duo, qui annos ipsos quindecim, sine baptismo vixerant nescientes.

COLLEGIUM POSNANIENSE

**N**OVVM. Collegium aliqua ex parte habitari ceptum: reliquæ strenue urgetur. Vendita villa, quam aliquot ante annis Abbas Vagrouccensis nos donauerat ( quia longius

gius vrbe aberat) vbi emptum erit vicinum,  
 prædium quod destinamus, augebit annuos  
 census. Discipuli in scholis, vt post pestem  
 motusque publicos, non pauci; amplius sex-  
 centi quinquaginta. Habitæ disputationes pu-  
 blicæ, Theologica præcipue, in instauratione  
 studiorum: quod ipsum non posuissem, quia  
 sollempnia hæc sunt, nisi aliquid esset scire, hæ-  
 reticum antagonistam, et si paratus venerat  
 ad certamen, bis inuitatum, mutasse in arena  
 consilium. tres quoque dialogi recitati: data-  
 que comœdia magno plausu. Pietatem hinc  
 coniciias, quod tres Franciscanis adscripti:  
 nonnulli initiati sacris. At ex Seminario, Vir-  
 ginisque Sodalitio, iuuenes ceteris præcellunt.  
 Nostra concionandi ratio, qua non præcipita-  
 mus verba, sed fundimus, vt dictio minus ha-  
 beat strepitus, plus familiaritatis, sic placet  
 vulgo doctisque, vt si qua concio, aut veteri  
 consuetudine, aut occasione emergente, ho-  
 noratior futura sit, eius cura nobis demandetur,  
 sed ex confessionibus præcipuus fructus.  
 Tempore Iubilei sacram Eucharistiam in tem-  
 plo nostro perceperunt mille quingenti. hinc  
 illa communia. pacificationes, restitutiones,  
 satisfactiones: fenora prohibita, concubinae  
 exactæ, mores correcti, liberati a terroribus  
 nocturnis, exercitia tradita: matrimoniorum  
 ritibus, virginum pudicitia consultum. A de-  
 prauatis sectis ad sanam religionem centum



perducti. Nec vero afflicti ærumnis, pauperes-  
 ne deserti: aditi ægroti, vin&ique: quin & col-  
 lecti floreni sexcenti, & speratur summa au-  
 reorum mille, eo conferenda, vt ex eorum fru-  
 ctibus prospiciatur derelictorum egestati. Ce-  
 terum tam bona hominum de Societate opi-  
 nio est, vt noui magistratus patrem Rectorem  
 adierint, expetentes apud Deum Collegij pre-  
 ces. Soli cacodæmonis affeclæ rumpuntur,  
 vrunturque. sed pessima res Inuidia, hoc  
 vnum in se boni habet, quod cum inuiden-  
 tium corda hausto per oculos veneno inflam-  
 met, nulli magis, quam auctoribus nocet.  
 Iam Misiones variæ & vtiles ex hoc Collegio  
 extitere: in vna per quadragintadiæ ieiu-  
 nium exceptæ ab vno confessiones, pleræque  
 generales, mille ducentæ. in altera ad oppida  
 remotiora, quæ iam pridem collutulauit Lu-  
 therus, purgati hæreseos labe Germani tri-  
 ginta tres. Ecclesiæ sex, quæ trigessimum fere  
 annum patuerant nebulonibus infuscantibus  
 veritatem, lucem antiquam receperunt, Ca-  
 tholicæ doctrinæ, ac cærimoniæ splendore,  
 veluti Sole reducto. Vnus ex ijs ceterorum  
 coryphæus, olim sacerdos, nunc multorum li-  
 berorum pater, errorem agnouit, eiecit pel-  
 licem, magistratu se abdicauit, Catholico, qui  
 nostris scholis dederat operam, viro nobili  
 suffecto. Duorum præterea imperitia dispu-  
 tandi reuicta est. At alius quidam cum ad im-  
 peri-

peritiam adiiceret impudentiam, multis verbis iactatis in magna corona, nihil egit aliud, nisi vt plures testes, ac testimonia conquiret inscientiæ suæ. Tales fere fuere reliquæ Missiones. In fine hoc vnum addam. Quoniam nostri prudenter & decore insinuant se in multorum amicitias, magnopere amicis prodesse: sic facile adducuntur ad conuiuium agni cælestis. Curauerat sibi vnus in parœcia insigni exedram confessionibus audiendis, vt loco magis commodo aduentoribus: ad eum præter ceteros accessit, amicus noster medicinæ arte, quam profitebatur, excellens: confessus laudauit exedram, eodemque die communicauit: postridie in reditu ab suis ægrotis, quorum valetudines regebat, quosdam gradus ascendens protinus expirauit: perutile fuit in tam repêtina morte fuisse præparatum.

## COLLEGIUM LVBLINENSE.

**V**T IN MEDIIS sentibus Anabaptistarum impietatis, non defuit aliquis ex nostrorum cura & labore, Deo incrementum dante, pietatis fructus. Numerauit Gymnasium discipulos plus quadringentos, nobiles fere omnes. ex Congregatione Parthenia, quidam ad varios religiosorum ordines aspirant: quattuor ad nostram Societatem datus accessus, in aliis etiam præclare opera ponitur. &



sunt nonnulli, quos nec violentia parentum, nec vesania, a vera religione abduxerit. magna spes est Lublinensi tractui, in huius institutione iuuentutis. Nec minus aliorum utilitati consultum. A schismate sedecim, ab hæresi quinquaginta quattuor resipuere: in his Ariani quinque: e quibus vnus desertor religiosæ familiæ, in qua vixerat ad annos viginti. is moriēs susceptam prolem ex incestis nuptiis reliquit nostris imbuendam. Mulier, quæ se vxorem illius dici volebat, quamquam manserat diu offirmato animo, tandem manus dedit. Venit etiam in nostras partes a Caluini stipendiis vir nobilis arbiter arcahorum regis: spes est fore, vt ad eius normam multi corrigantur. Baptismi duo celebrati cum illustri pompa: Iudæi videlicet, ac trium liberorum cuiusdam Anabaptistæ, quos helluo pater in magnam inopiam merferat: eo mortuo, coniux auersata hæresim filijs præiuit exemplo. Illustrissimus Slucensis familiæ egestatem liberaliter sustentat. interim accidere aliqua memoranda. Quidam terriculas dæmonum saluati confessione, & votiua religione abegit. Vir nobilis confiteri statuerat, sed diferebat: igitur cum piscatur aliquando animi causa, repente locus, vbi ipse erat cum piscatu & cymba, coopertus atra nube, tumente fluctu, mirisque monstris in aqua apparentibus, ut pæne ipse tempestate, ac formidine obruc-

obrueretur: cum tamen omnia circum tranquilla, & Sole illustria essent: redijt ad se animus, & timorem in emendationem prætermissi officij conuertit. Catholicus apud Ruthenum hominem seruiens seruitutem, cum sexta feria carnibus vescitur, sensit sibi constringi fauces manu nec visa: nec dimissus ante, quam abiecit inconcessas dapes & comedendi consilium. Operante cuidam die festo digitus contabuit: nec restitutus in integrum nisi post pœnitentiam facti. Nobilis virgo cum die festo sancti Andree de futuro marito superstitiose inquirat, excussa alapa in faciem percutitur, percussore non apparente. Alia cum sagas per nuntium consulit, tam acerbis doloribus cordis torqueri cœpit, vt salutem desperaret: vexari desijt, vt est de peccatis confessa. Idem cum alia fecisset, paralyti soluta est. Maritum tollere cupienti vxori, iamque hoc vt perficeret conclaue ingredienti, obtulit se species pulchræ mulieris supra mortalem formam, eiusque aspectus dulcedine cogitatio meditati facinoris excidit a mente.

CIEMERNICENSIS, ET LEVARTOUIENSIS Misiones.

**C** I E M E R N I C Y M oppidum septem leucis Lublino distat. Huc missus sacerdos rogatu Palatini Cracouiensis, sub serias Paschales,



les, quadringentos audit, per eos dies, & de  
 omni quidem vita confitentes vigintiquat-  
 tuor. Virgo hæreticis parentibus, inque hæ-  
 resi educta, confirmata est in recta fide, ad  
 quam se applicauerat diuino impulsu. hæc ad  
 orthodoxæ religionis propositum votum ca-  
 stitatis adiunxit, Germanus adolescens Lath-  
 ro infectus, nostrorum consuetudine inductus  
 ad Catholicam fidem, cum peracta confessio-  
 ne hæresim verbis conceptis abiurare incipit,  
 repente attonitus ita hæsitare cœpit, vt neque  
 animo competeret, neque lingua: mox cum  
 admonente, & præeunte sacerdote preces fun-  
 dit, mentem recipit, & facultatem loquendi:  
 affirmavit deinde inuasisse eo tempore mon-  
 strum in fauces, atque os oppressisse, vt ne vo-  
 ci excitus daretur, Maius quiddam accidit in  
 oppido vicino: neque omnino silendum, Inui-  
 tata Hebræa puella a Christiana in templum,  
 cum curiose circumspicit, interrogatque, &  
 circumit omnia altaria, præcelsum taberna-  
 culum, in quo asseruatur venerabile Christi  
 corpus, quamuis monstratum, non videt: mi-  
 ranti, & causam querenti, cur res tanta, quan-  
 ta dicebatur, tamque conspicua, effugeret o-  
 culos, subiecit Christiana (haud dubium Dei  
 admonitu) grande arcanum esse, rem maxi-  
 me sacram, fontem immo omnium sacrorum,  
 arcerique proinde oculos, qui non sint persu-  
 si Christi lace, eius aspectu. ex eo tempore

exar-

exarsit Hebræa studio Christianæ religionis; & clam matre orationem Dominicam, & salutationem Angelicam discit. Ceterum ita imminens eius animo cura erat de suscipiendo baptismo, vt domo profugerit incautus, quam vt fallere posset: assecuta eam mater, & verberibus affectam includit domi: iterum tentantem fugam durius coercet: sed vtebat interior Deus: itaque tertius conatus superior fuit: ad sacerdotē oppidi peruolat: ad eius pedes abiecta, vt saluari aqua abluatur, magnopere perit: neque enim se amplius ad matrem redire uelle, confirmat eam sacerdos, diuinum instinctum agnoscens: traditque in manum ac fidem illustrissimæ atque optimæ femine vxoris Palatini Craconiensis: apud quam cum commode esset instructa, postmodum renata est Christo: hæc postea ad Palatinum cum venisset, qui Ciernernici erat, confessa apud nostros, et sacrosanctis epulis, quarum antea vel repositorium videre non fuerat digna, recreata est, iisdem præsentibus.

LEVARTOVIA oppidum est, a Lublino milliari quarto; hæreticorum in hoc tractu Lublinensi receptaculum ac sedes. huc e remotioribus etiam Poloniæ locis mittuntur adolescentes ad scholam impietatis: quasi eos non putent parentes, satis improbos natura fieri, & domestico exemplo, nisi accesserit etiam disciplina. Hic diebus, qui anniuersario



rioritu præcedunt natalem Domini, ipsisque ferijs natalibus, eodem (credo) Palatino rogante, iidem nostri fuerunt, qui Ciemernici, ingenti vicinorum Catholicorum voluptate, ac fructu. Ad sacra mysteria accedere ducenti quinquaginta sex. nouem ad sinum Ecclesiæ redierunt. Mirum, in hoc oppido quanto minacius vetabantur oppidani, ne conferrent se ad nostras conciones, maior hominum frequentia complebat templum: vt qui ingredi non poterant, exclusi multitudine, per fenestras prospectarent: cum interea magistrilli iactarent se, clamarentque, vt ad confertissimum populum, in synagoga deserta pæne ab omnibus, ad tres quattuorue dormitantes aniculas, quasi testes ipsorum solitudinis. Habita concertatio cum ludimagistro, homine, vt in suo genere, minime inerudito, de Ecclesiæ notis, magno Catholicorum æque, & aliorum concursu: et altercationis seruore eo tandem angustiarum redactus est miser, vt qui affirmarat antea inter veræ Ecclesiæ notitas, hanc esse maxime propriam, quod sit Catholica, eam quam profiteretur ipse, Catholicam esse negaret. ita, qui alios faciebat prædam, induit se in plagas, quas texerat.

## MISSIO TRANSILVANICA.

**V**T NOSTRI e Transilvania cesserint, memorauimus abhinc anno quarto: post id tempus Princeps Serenissimus, cuius studium nos retinendi non ignotum fuit, vt quamprimum reuocaremur, curam intendit. vrebant pium animum sacrorum infrequentia, & Catholicorum templa deserta. Igitur hoc spectans, ad nostram Societatis magistrum, & ad patrem Prouincialem Austriae, ad patrem item Ioannem Lelesum, quo, vt traditum est alias, vsus olim pueritiae educatore, litteras dat, pane supplices: vt superioris communem calamitatem temporis, quae vitari non potuit, e memoria deponentes, mittat, curentque aliquos, qui & in praesenti labantium piorum animos erigant, & in futurum alios adiungant. Verum, ne manentibus adhuc aemulis, reuiuisceret aemulatio, & res spei maximae maximaeque utilitatis impediretur nouis consilijs illorum, si animi asperarentur, mature potius agendum ratus cum securitate, quam praepropere cum periculo, rem hac ratione tegere constituit, vt veluti a locum tenente regni Hungariae Episcopo, & Xitriensi sacerdotes aliqui, suppresso Societatis nomine, quam non ignorabat futuram scopulum & nodum rei, venirent itaque ex Au-



stria sacerdotes duo, cum socio missi, octauo idus Apriles Albam Iuliam, vbi sedes Principis, iuerunt. Postridie (is erat Dominicus ante Pascha: Palmarum appellatur) magno virorum conuentu, coram proceribus regni ac senatoribus, cum salutant, redditis litteris, quas locum tenens Episcopus mittebat: excepti a Principe sunt benigno vultu: gratumque illi fuisse eorum aduentum, vt mos ferebat, significatum est a Cancellario regni, oratione Latina. erant nostri mutato habitu vestis, vt ne qui essent, agnoscerentur. itaque statim labori se accingunt: duobusque alijs ex Moldauia vocatis, duas Sedes constituunt, Albæ vnã, Fogarasini alteram.

## S E D E S A L B E N S I S.

**A**LBAE assignatum est Collegium, templumque Sancti Stephani, quod olim nostrum fuerat, cum commodo annuo vestigali. Diebus celebrioribus, Latina & Hungarica, habetur concio. Hungarica tantum, reliquis diebus festis, coram Serenissimo Principe, aulaeque eius, ac populo frequenti. Ad eas affluxere ex aduersa schola complures, neglecta ferula magistrorum, & ira contempta. hinc ferijs nascentis Christi, ac resurgentis ab Inferis, sacro eius corpore vescentium multitudo non poenitenda. Ad Catholicos se rettulere qua-

quadraginta quinque: in quibus Christianus Franchem, nostri olim ordinis, mox & Catholicae religionis tertio desertor, triumque sectarum, Lutheranae, Calvinianae, Arianae emansor. Utinam, qui multa probauit, nunc tandem quod bonum esse comperit, tenere animum inducat: has omnes sectas, detestatus est Principe coram, eiusque aula, ac populo uniuerso (in quibus cum Catholicis haeretici permixti) magno dolore ac pudore, quorum vultus, ac rubor indicium erat. tum ab omnibus precatus est veniam, simulque libros, quos contra religionem ediderat, scripseratque contradicendi libidine, aut plausum captans ingenij, sua manu conscidit: quin & cupiebat habere omnia exemplaria, ne cuiquam obessent. Tres Calvinianae mulieres Catholicorum nuptias ambientes Catholicae effectae. Aliam quamdam conuerterant nostri, quae iam cum Calviniano erat: haec postea, ut rettulit, viri minis perterrita, cum vacillaret, senem vidit, cuius insidebat in vultu magna auctoritas: & ad eam, super cetera. Iste tuus maritus, inquit, tibi auctor inconstantiae, oculis laborabit. Vix ea dixerat, abieratque, cum mulier virum exaudit conuerterentem graues dolores oculorum: ergo visum conueniens cum facto magna ei perseverantiae causa fuit. Ceterum Venus statim post baptismum animam emisit. Quinque & groti iam nulla spe vitae producenda, ut



confessi communicarunt, integram receperunt valetudinem, medicis vix credentibus, quod videbant. Ex his duo, ante hoc vitæ periculum, alieni a vera religione erant. inter nobiles aliquot controuersia composita, excitatione magnas tempestates, nisi sedarentur, in nostro templo baptizati plures. Scholam puerorum domi habemus: doctores adhibuimus externos: omnia tamen reducantur ad normam, ac præcepta Societatis.

### SEDES FOGARASINENSIS.

**V**T PRIMVM Sacerdos noster Fogarasi num uenit, statim auctoritate illustrissimi Balthasar Bathorei, qui illic dominatur, Arianus Minister discedere coactus, relicta ciuitate adeo infecta, vt vix vnus alterue inueniretur, qui liberos suos, ante pubertatem Christianos fieri vellet. nunc res ita mutata est, vt vix tertium quartumue diem a puerperio expectent. Templum, more cultuque Catholico, instauratum, ornatumque: vt vel amuli ipsi mirifice eius aspectu capiuntur. igitur exclamant. Nunc templum est, vbi spelunca fuit. ex ijs auxerunt rectæ sentientium numerum nonaginta sex: misis alijs, qui in morbi atrocitate idem præstiterunt, studio adipiscendæ sepulturæ, quæ hæreticis scilicet negatur. nempe apud has gentes magnus honos fuit.

funerum, ac sepulcri. Arianorum filij baptizati duo, quadrimus, & sexennis. In vtraque Sede complures retexuerunt vitam confitendo, vel ex eo tempore, quo per ætatem iudicium facere potuerunt. Inter pagos vrbis Fogarasinensis, vnus Saxonicus est, nomine Bethlehem, ceterum Lutheri: vetus sectator hic etiam, vt pulsus est corruptor populi, more Catholico instructum est templum, & quo fit aliquis animarum esurientium cibus, euocatus est Alba frater noster linguæ peritus: is suo labore Deique auxilio paucis hebdomadis plus quadraginta quattuor decerrantes, in quibus aliquot patres familias, reduxit, ad Christi ouile. Dum hæc per nos aguntur, Serenissimus Princeps, quo liceat nobis non amplius personatis in eius regno versari: ad Calendas Nouembres comitia indixit, cum prensaret in terea, donisque ac pollicitationibus studeret pertrahere senatores, ac nobilitatem in sententiam suam: et erat spes, si constitisset fides: Sed (adeo humanis ingenijs parata simulatio est) qui Deo promissa non seruant, non mirum fuit, si & hominem fefellerent. in alia omnia magna conspiratione animorum abiere fere omnes: Princeps solus relictus. Sed ipse tamen non cadit animo: rem iterum experiri decrenit, feliciores, vt sperat, euentu: neque enim mirum est, si quod magnum est, caro emitur: et sæpe fit, vt quod vna atque altera agresio-



ne a volentibus non exprimis, sæpius idem  
tundendo, vel ab inuitis extorqueas.

COLLEGIVM CALISSIENSE.

**A**RCHIEPISCOPVS fundator  
Collegij vt ad urbem venit, familia in ædi-  
bus suis relicta, quas satis amplas & splendi-  
das in loco celebri habet, in Collegio nostro  
manere voluit, vt nostrorum consuetudine  
frueretur. Diebus festis sacrum faciebat, et  
populo interdum Euangelia explicabat. Con-  
firmationis sacrorumque ordinum sacramen-  
ta pluribus impertijt: in discessu scyphum tem-  
plo argenteum magni ponderis (quadringen-  
tis taleris æstimatur) et florenorum quater  
millia ad emendam partem villæ, Collegio  
donauit. Rhetoricæ classis aperiendæ auctor  
fuit, non parua auditorum frequentia. Scho-  
læ, quæ hæctenus longius a Collegio aberant,  
in Collegium introductæ, non sine spectaculo  
dramatum. Discipuli fere quingenti: & abiece-  
re nonnulli perfidiam parentum. in Sodalitio  
Parthenio instar centum: de hoc prætermitto  
apud scientes, quæ alias dicta. In templo pri-  
mario habentur ordinariæ conceiones: in aliis  
extra ordinem: accipite specimen fructuum.  
Lupæ extra lupanar oberrantes vrbe expulsæ:  
effectum, vt hæreticorum nulli detur ius cini-  
tatis: ita vxores quidam in vrbe ducturi cie-  
cerunt

cerunt antea animi pestem. Ceterum triginta repudiatis erroribus agnouerunt veritatem religionis. Iudæi tres, e quibus vnus iam uxorem duxerat, alij adolescentuli erant, abluti Christiano ritu: rem numquam alias visam in hac vrbe infatiabilibus oculis populo vsurpante. Mulier sacramento confessionis, & consecrati in cera effigie agni, a ludificatione dæmonis liberata. Alia a meretricio traducta. Qui ad supplicium ducebantur, adiuti: vnus etiam, nostris deprecantibus, spe vitæ melioris a morte ereptus. Vir, vxori adulteræ iam carnifici traditæ, vt in eam lege ageret, vitam concessit, et delicti gratiam fecit. Tres adolescentes, fures nocturni, ex hæreticorum stirpe morte expiaturi culpam, vt conuerterent se ad rectum iter religionis, exierunt periculum, vitam pecunia redimentes. Generalis maioris Poloniæ Capitaneus Calissij Quadragesima fuit, suoque exemplo, nempe quater apud patrem Rectorem, & quidem de tota vita confessus, plures incitauit: ex custodiibus eius corporis Hungari quattuor in melius mutati. Sub finem ieiunij, vnus ex aula ipsius, missionem petijt, quod in Franciscanorum familiam admitti vellet. At sacerdoti nostro, qui Collegij procuratori præest, quiddam accidit in has litteras inferendum. incidit in hominem hæreticum, adolescentem, furiosum, in Collegij subditos iniquius se geren-



tem: porro eos dum verbis defendit, pugnis primum contunditur, dein vulneratur ab eius famulis ferro: sensit amens, nondum plane perditus, indignitatem sceleris: quod dum tege-  
re molitur: grauius addit: conuocatis pluri-  
bus, sacerdotis nostri nomen ad magistratum defert, tamquam iusta iræ causam dedisset. Sed non semper pœna tardis pedibus venit. Eo-  
dem die, sub vesperam, furiosus, & alter qui-  
dam nobilis adolescens Catholicus, qui tamen steterat contra sacerdotem, leui ex causa ad-  
iurgia prolapsi, pugnam conserunt: nec diri-  
mi potuere, ante, quam vterque alterum con-  
fecit: etsi Catholico tantulum fuit temporis,  
vt animum expiaret: ab hæretico etiam aiunt errorem agnitum: cum paulo ante ad Colle-  
gium, iam furore restincto, precatos misisset. Tragicum fere exemplum: & inter pau-  
cos memorabilis casus.

### POLO CENSE COLLEGIVM.

**A**D DISCIPVLORVM augendum numerum non parum momenti attulit Nabuchdonosoris historia in scena populo data. mirabilis visa est, & laudem maximam tulit. ita noui subinde traduntur in manum nostram adolescentuli: &, qui olim reuocati erant a parentibus labe infectis, remittuntur: plerique cum docentur litteras, hæresim dedo-  
centur

centur . Adolefcens octodecim annos natus, patre schismatico, hæretica matre, vtriusque minas egregie perfert in veræ constantia religionis. feliciores alij placatioribus parentibus vtuntur : Congregatiõ Maria Virginis tam multis inclaruit exemplis, vt omnium ad fe oculos conuertat. Populi Catholici, & multitudo crefcit, & pietas: adiuncti Ecclefiæ schismatici fuprà viginti, hæretici aliquot. Sacra etiam fupellex non mediocriter aucta.

## COLLEGIVM RIGENSE.

**A**NTEQVAM Rigæ Societas rediret in poffeffionem Collegij templorumque, in arce nouem e noftris, inter quos facerdoes quinque, verfabantur: atque, ut fit in sterili folo, maiore conatu, quam fructu: etfi hic tamen non omnino contemnendus fuit. Sex hærefim exuere. Ante actam omnem uitam plures recoluere confitendo. Fonte fagro tincti centum triginta. octoginta coniugum paria matrimonio ritu fagro fociata. exercitationibus fpiritualibus inftituti duo. Totidem ad Societatem adducti. Ceterum, hoc tandem anno Dei beneficio, fūma erga Societatem noftram Sigifmundi regis voluntate, in publicis totius regni comitijs (quamquam Rigenses aperte pecunia nos oppugnarent) abftulimus decretum, vt reftituemur Rigam: appella-  
bant



bant illi futura comitia: sed cum indulgerent iræ verbisque, nos postridie calendas Apriles vocati ex arce ad res nostras reuertebamur: siquid iterum noui consilii capiat Senatus Rigenſium, auctoritate regis, & comitorum, quinquaginta millium aureorum pœna indicta: & iam aliqui remittere de iracundia cœperunt, nos, qui studemus benefacere omnibus, conferētes cum hæreticis peruertentibus plebem, comparatione deterrima. Igitur vtroque in templo res diuina peragitur. Polonice, Germanice, Lotauice ad populum fiunt verba. Domi quoque a patre Prouinciali constitutum inchoatunque Tyronum Domicilium nostræ Societatis: quo e variis Proincia partibus plures affluxere. Domus etiam ipsa iam amplior facta, accessione videlicet Monasterii, quod a virginibus duabus iam ætate, vt alias admonuimus, decrepita, inuita ciuitate omni, tenebatur, ingenti laude constantiæ: vtraque scilicet defuncta. Itaque iam nunc ædes ipsas, quæ vetustate, atque incuria detectæ prolabebantur, reficiendas curamus.

DOMVS CRACOVIAE SAN-  
ctæ Barbaræ.

CLARVS funeribus annus fuit. Pestis, domi Patrem Simonem Nicouium, & fratres duos: totidem, æquato numero, Lascaronæ, quo

hæ, quo nostri se receperant, abstulit: Patrem  
Lucam Zelasium, qui nuper Romam redierat,  
& duos alios fratres: Ad hæc, vnus euasit, de-  
formato oculo miserum in modum. Nec ta-  
men in templo nostro, atque aliis, ad populum  
conciones omissa: ab vno adiutum Cœnobium  
exercitiis patris Ignatii, quibus tres e primo-  
ribus instructi. in altero monachi per dies ali-  
quot ad perfectæ religionis laudem concioni-  
bus excitati: Misi etiam aliquot ad loca vici-  
na cum fructu: Publicæ custodiæ visitata. no-  
bili adolescenti capitalis pœna nostris oranti-  
bus remissa; quam tamen post paulo ex simili  
maleficio non effugit: Vt vno verbo plura com-  
plectar: ex alia sentientium vario genere re-  
stituere se Catholicæ professioni homines am-  
plius quinquaginta. sex a pellicatu: duæ a tur-  
pi quæstu: aliæ ab incantationum arte retra-  
ctæ: sed & vna, quæ propter virum, & filios  
extinctos peste, doloris impatientia se laqueo  
suspenderat, accursu ancillæ deposita, ante-  
quam expiraret, confessa, & tranquillata ani-  
mo est. Alia item mulier cum viro, certi mor-  
tis, ad melius sperandum adducti. sex suspen-  
darii in morte firmati. Ceterum, præter mul-  
torum liberalitatem, qua sustentatur domus,  
vnus quidam quingentos florenos misit orna-  
tui sacerdotum, ita suppresso nomine, vt ne  
nunc quidem emanarit: nouum humanitatis  
genus. nempe volebat nos beneficia affici, &  
nemini debere.



DOMVS PROBATIONIS CRA-  
couiæ ad Sanctum Stephanum.

**I**NNOVARVNT se ad integritatem religionis viginti. Vacillans mulier, ac pænedeficiens, erecta. Rixæ complures, ac contentiones extinctæ: ex his quattuor, nisi ibatur obuiam, multis exitio futuræ. Ceterum, sæuens pestilentia attigit hanc etiam domum. Nascente vere, Nouitii tres febre correpti, oppressique sunt: prædicere mortis diem, vel præfagire animo visi. vnus ex eis sub mediam noctem, valetudinarium vocat. Surge, inquit, frater, nobis eundum est domum: dissimulantem, aut differentem, eadem voce vrget vehementius: tum ad eum valetudinarius. At tu frater, quoniam te iturum intelligis, fac parato animo sis. Tum æger. Tu mihi comes futurus es. non vane dictum. postero die moritur ipse, non ita post multo valetudinario sequente. sed ille antequam decederet, (e Mînistro hæretico natus erat) difficile prælium sustinuit: & ad magistrum nouitiorum conuersa oratione: O si scires Pater, inquit, quod mihi certamen cum diabolo fuerit, vt Catholicus esse desinerem suadente: sed non assensusum: nec assentiar vmquam: profiteor nunc iterum, ac profitebor millies, ad extremum vsque spiritum retenturum Catholicam fidem.

Post

Post hanc liberam professionem quietior fuit, igitur, glifcente tam importuno malo, Tyrones in villam secesserant, et interea tamen instituta non inutiles aliquæ Missiones. Nec minus, qui mansere Cracouiæ, concionando, confitentes audiendo, visitando infirmos, afflictos consolando, magnum pieratis fructum tulere.

SEDES LEOPOLIENSIS.

TANDEM, hoc anno, quod diu ante obtinixus erat Demetrius Solicouius Archiepiscopus, sedem Leopoli Societas fixit, ex eunte Septembri, magna ipsius laticia, & gratulatione ciuitatis. in principe templo partiti sumus cum concionatore sacerdote externo concionandi laborem, summa eius voluntate. pomeridiana conciones omnes nobis concessæ, matutina alternis habentur. quatuor præterea templa assignata ad exercendum munia Societatis. interea, optimus idem Antistes prospexit fere omnia, necessaria quæ essent instruendæ domui, sacroque faciundo. eius liberalitatem plerique ciuium amulantur. igitur, Deo fauente, extendere cepimus retia in capturam: paucis mensibus, quadraginta in Petri lagenam excepti. Die festo Sanctorum omnium, Iudæus adolescens, & Turca, a Chelmenfi Episcopo baptizati. Po-

pus



pus ex schismatico Catholicus factus. Armeni filia ad pœnitentiam admissa. multi Catholici ex Armenorum locupletissimis familiis exonologesi expiati. repetita confessio culparum omnium, vel ab ipsa pueritia, ab hominibus amplius quadringentis. e durissima Turcarum, Tartarorumue seruitute erepti non pauci: ijdemque, atque alii, externa ope adiuti. Hæc propter, atque talia, immutati animi multorum, qui nobis erant offensi: susceptaque in commune cogitatio de fundatione Collegii, locus destinatus est saluber, amœnus, amplus: quin & aqua perutilis permittu Senatus per fistulas inducta. tanto maior est nobis cura imposita, vt cum eorum beneficiis vtimur, nostris ipsi vicissim officiis subleuentur.

### COLLEGIUM NIESVISIENSE.

**V**T CONCITATOS animos flecti, quam frangi, tum tutius est, tum etiam facilius: sic contumaces plerumque lenitate magis corrigas, quam vno impetu prosternas. magnam enim vim habet Veritas: rapit homines, sicubi eam ostenderis: non ita cito interdum, vitio aliud agentium, rapit tamen. Hæc de Niesvisiensibus spes est: rigidi fuere hæcenus: nunc mollescere incipiunt: & paulatim, nostra

nostra admirantes dogmata, sua aspernantur: breui multos habebimus ( vt se dant principia) qui se nobis formandos, ac fingendos tradant. in vrbe, extraque, in excursionibus lucrari sumus Ecclesiæ Catholicæ circiter septuaginta. In eandem Tartari duo cultores Maumetis ingressi per baptismum: alter sollemni apparatu: inciderat nempe in eum diem, quo illustrissimus fundator in noui Monasterii possessionem lectissimas uirgines misit, de quibus aliæ huius regionis documentum caperent, & exemplum. Vtrumque spectaculum iuxta celebre, ac iucundum fuit. Triginta fere totius vitæ maculas confessione delerunt. Excursum & in loca vicina, multorumque correcti errores: aliqui saltem detenti. rediere complures ad matrimonia, quæ deseruerant Poporum concessu, qui nuptias pretio nundinantur: itaque iam re patefacta, et eorum Vladicis in suspicionem venire ceperunt. Ad sacramentum confessionis multi, qui eius antea vim ac necessitatem ignorabant, adducti: & quia hoc ipsum nondum expertis magnam difficultatis speciem præbet, pudoris maxime obtentu, in ea amolienda feliciter nostri laborarunt. Vir nobilis, sed prætermisso iam diu remedio confessionis, vetus peccandi, vexante conscientia, decreuerat vti opportunitate sacerdotis: itaque, vt obuium forte habuit, sponte pollicetur postridie peccata de-



ta detecturum verum non ignarus superven-  
tura a diabolo tentationis, sua manu litteras  
facit, vt noster postea aduersus tergiuersan-  
tem ex syngrapha agat, non aliter opus erat  
facto. nox hominem mutat: itaque suis ipsius  
armis, vt ipse docuerat, euectus est. Sic ple-  
rumque vis adhibetur phreneticis, vt sanen-  
tur. lætatus postea est ipse, & gratias egit.  
Confessionem porro sentire multi non ani-  
mis modo vtilem, sed & corporibus saluta-  
rem. Hac vsus sacerdos quidam externus, ad  
abigendas varias imagines dæmonum, quæ  
formidini erant. Illustris mulier vi morbi ad-  
ducta ad supremum periculum vitæ, effugien-  
tem iam animam circumstantium votis reti-  
nere visa: non ingrata ipsa, neque immemor  
beneficij mundum muliebrem, qui tunc ipsum  
ex Italia venerat, maximi pretii, in variarum  
ornatus ædium distribuendum curauit. idem  
& mulieri alteri contigisse perhibetur. Cete-  
rum, parœciæ duæ de integro fundatæ. restau-  
ratum templum vetustate collapsum. data o-  
pera est vt Catholici tantum admittantur ad  
publicos magistratus. visum est hoc consilium  
infligere hæresi grauissimam securim. e nume-  
ro accedentium ad sinceram religionem fuit  
familia vxoris fundatoris nostri illustrissimi:  
primum enim ipsa, dein mater, filiique, po-  
stremo soror pertinax, manus dedit. datum  
hoc videtur pietati viri optimi, vt non vxo-  
rem

rem modo, sed affines etiam haberet in eiusdem religionis veritate consentientes.

D E R E P A B L I C A T E N S I S  
Collegium.

**T**ERNAE conciones habitæ in vrbe pro discrimine linguarum, gentisque: Polonica, Germanica, Estonica, diebus festis mane: Estonica etiam vespere. extra urbem, iisdem diebus, binis in locis, ad vicinos pagos, idem factitatum: quin & præbita paganis sacramenta, dum Curionem nanciscuntur. igitur Quadragesima aures commodauimus Polonis ducentis: ad cælestes epulas toto anno conuenere mille quingenti quadraginta. pellices aliquorum militum iam coniuges factæ. Ad partes Catholicæ religionis redire quindecim. Polonus nobilis graues exercebat inimicitias cum altero ordinis eiusdem: e quibus extiterant multorum cædes vtrisque: hoc tandem anno se finisse odia professus est. in eodem numero reponendæ essent duæ pacificationes insignes. Tres capitibus supplicio luituri graues culpas, nostris intercedentibus cõcessi ad meliorem vitam, plures etiam excursiones susceptæ, et, vt nota, vulgata, dicta, prætereantur. quingenti absterfere confessione animi sordes. malefici quidam damnati capitibus adiuti in supre-



mo discrimine. Exequeretur nunc aliqua de scho-  
 lis, & discipulorum fructu: nisi pollicitus bre-  
 uitatem, videretur immemor propositi: exci-  
 piam hoc vnum. Quidam cum parentes in-  
 uisit, matrem, quam agram offendit,  
 edocuit erroris expertem fidem:  
 ita, quantum in se fuit, suam  
 ipse parentem genuit  
 ad uitam bea-  
 tiorem.

PRO.

P  
 ne  
 na  
 Ol  
 du  
 vig  
 cin  
 filu  
 gro  
 A  
 tin  
 gin  
 in  
 qua  
 sub

227

P R O V I N C I A  
A V S T R I A.



VIVS PROVINCIAE

Prioris anni capita, aut non transmissa, aut amissa: exceptis Brunensibus. fere igitur de posteriore tantum. Agunt, septem Collegijs, vna Probationis Domo, & Missione vna, socij ducenti ac fere nonaginta. Viennæ quinquaginta sex: Pragæ vndetriginta: Olomucij triginta octo: Græcij sexaginta duo: quadraginta novem Brunæ: Crumlouij viginti duo: Comotouiz decem: septemdecim Varalix: Vratislavia quattuor: In Transilvania duo. Præter hos vita egressi sex: ingressi Societatem viginti octo.

COLLEGIVM VIENNENSE.

**A**TTINGEMVS singillatim multa, vt in transcurso, in quibusdam paulo diutius immorabimur. Ventitant ad scholas triginta supra octingentos: ad concionem, quæ in nostro templo, diebus festis, perinde multi, quam olim in Paschate. patrefecerunt culpas, sub lege præfinitum tempus, super tria homi-



num millia, septingenti quadraginta: vel ex ea ætate, qua primum sapere cœperunt, circiter quadringenti: a contaminatis gregibus ad sanum reducti ouile centum quadraginta. ex horum numero tres non prætereundi. Scotus vnus multa claritudine generis, & inter regios aulicos non improspere: alterum magistrum sectarij vocabant: immania tertius dogmata multos iam annos pro suggestu inerti populo doctor vmbaticus exposuerat. Fuit qui, post diuturna Lutheri deliramenta cum resipuisset, Christi desertor publice iudicaretur, a Iesuitis pecunia corruptus rabula proclamante. Non defuit, qui inter tam multas opiniones de fide, cum dubitaret iamdiu, quã potissimum eligeret, & inclinaret in veram, noluit prius nomen dare, quam (quoad veritatem religionis) chirographo præbuisset vnus e nostris indemnitate cautionem in decretorio die, consilium aliud de relinquenda hæresi, nocte quamquam obstrepente damone, & commissa scelera obiectante, numquam abiecit. Mulier tætram mariti vmbam, qui extra sinum Ecclesiæ animam effuderat, turbantem somnos, metusque afferentem, nunc hominis imagine, nunc canis, re communicata cum nostris expulit, recepta Catholica fide (ad quam etiam par filiorum adduxit) & consilio melioris vitæ. Rusticus quidam, cum pro anima matris vitæ sanctæ neque exequias cele-

celebrari voluisset, neque vllas preces vellet Deo offerri, integrum fere annum per noctes angebatur a tristi ipsius effigie, ingratum atque impium incerepantis: donec ab eius vxore vocatus sacerdos rescivit rem, deditque consilium, quod exitus ostendit fuisse viuentibus æque vtile, quam mortuis salutare. Ingenuus adolescens venerat in dubiũ de impura Lutheri disciplina, superque ea re nostros consulere meditabatur: nec clam id fuit virum nobilem, apud quem erat: prohibuit atroci interdito: sequenti nocte (an quia aspicimus sæpe in somnis, quæ agitauimus per diem) vidit iuuenem euntem ad nostros, & dantem manus veræ doctrinæ: narrat somniũ ludibundus: at bonus adolescens diuinam comonitionem eam esse intelligens, fecit, eo nesciente, vt ne frustra esset. Raptata mulier a diabolo hominem assimulante triduo per siluas, erroris finem & fraudis in confessione inuenit. Adolescens cum Caluini venenum bibisset ab infantia, eo animo ad conuictum nostrum accessit, vt & Conuictores peruerteret, & magistros. meliora Deus inscio cogitabat: conuersus est ipse: et si contanter, sed cum magna spe: quæ præcisa cum fuerit propra admodum eius morte, sed pia & inuidenda, amissum dolorem leuauimus recordatione recepti. Accipite nunc argumentum comædiæ, nisi tragediam magis libeat appellare. Mercator



prædiues peregre in Italiam profecturus rem  
 familiarem omnem focero committit: mox  
 illam ab eo negligentius tractari certior fa-  
 ctus, reuertit: focer interea desperatione,  
 seu pudore, festinauit occumbere iacto corpo-  
 re in profluentem: hic nihilo prudentior, com-  
 perto damno domestico, sese excrucians &  
 mærore conflictans; ostendit sua sibi cario-  
 ra esse, quam se ipsum, igitur cum esset veren-  
 dum, ne de se statueret, sacerdos accersitur,  
 vt solamen afferat, & leuamen mali: quæ no-  
 ster ut vidit adhiberi frustra (quippe omnes  
 iam aditus tristitia occupauerat) vinciedum,  
 ac custodiæ tradendum vxori suadet: paret  
 consilio: attinetur in conclau miser, in adifi-  
 cantur fenestræ maiores, aut clatris ferreis  
 obducuntur, vna tantum paruula immunita  
 relicta: per hanc ille nactus tempus incu-  
 stoditum, præcipitem se dedit: eo casu obtri-  
 tus est totus, & afflictus in mortem: vocatur  
 iterum noster ad spiritus ægre trahentem: Cu-  
 ius suusus huc te malorum impulit? interro-  
 ganti, Mali dæmonis, cum gemitu respondit.  
 Satin id placet tibi? Minime vero. V in con-  
 fiteri peccata? Nihil est; quod cupiam ma-  
 gis. Simul absolutus noxis, simul corpore solu-  
 tus animus est. Hic quasi fabulæ exitus. At  
 domi summa pax crabronibus exactis. Alum-  
 nus quidam e Conuictorum contubernio, post  
 decursa ferme studia discedens, quod sacris  
 initiari

initiari nollet, Argentinam concessit: hære-  
 tico dat operam tamquam filij educator: ei  
 cum satis non faceret, diuersus animi, vesper-  
 tilio, qui se auem, ac murent videri vellet, in-  
 ter Catholicum, & hæreticum, Viennam re-  
 dit emota mentis, hoc tantum pro sano lo-  
 quens, luere se improbitatem linguæ, qua Ie-  
 suitarum innocentiam vbique allatrasset, in  
 Xenodochio cubat. Serenissimus Hernestus  
 cum religiosissimam Deiparæ ædem ad cellas  
 inuiferet venerabundus, vnum e nostris a con-  
 fessionibus habuit comitem viæ. idem Dyna-  
 stæ cuidam eadem occasione petenti, negari  
 non potuit, magno ipsius, & familiaris bono.  
 Apud nos aliquamdiu diuersatus vir illustrissi-  
 mus Radiuillus Cardinalis: & alio tempore  
 Alexandrinus Patriarcha. quin & sæpe, ex sa-  
 cro ordine viri Principes, qui Viennæ agunt  
 ad Collegium adeunt, nostrorum industriam,  
 discipulorum modestiam & ingenium admi-  
 rantes. Neque hoc præteribo, quamquam non  
 nullis leue visum iri putem. Adolescentes duo  
 iam in rectam viam adducti, a parente, atque  
 auunculo iniecta eius rei suspitione euocan-  
 tur in Boemiam: hic cum virorum nobilium,  
 qui quasi quæsitores constituti erant in re pri-  
 uata, callidas interrogationes prudentibus  
 responsionibus elussissent, paucis post diebus,  
 cum res aperte requireret gloriam confessio-  
 nis, multa affirmatione, magnaque animi con-



stantia, ac vultus, Catholicos se esse testati sunt: indignante quamquam familia tota, & ad terrorem minasque ruentibus auunculo, & patre, ea de re postridie scripserunt ad nos, vt opem deposcerent precum: nam interea matris, auix, materteræ, blanditiæ lacrimæque accesserunt, arma muliebria. Sed magnum est latere sub vmbra auxiliij diuini. Ceterum iunctum non nihil instrumentum sacrum, & laxatæ non parum angustix Collegij.

P R A G E N S E C O L L E G I V M.

CERTATUR hic etiam in euellenda malorum semente. Præter viginti duas familias, & alias præterea centum, sub ditione viri nobilis, quæ aut emerferunt, aut ibi sunt vt emergant, falsarum seminibus opinionum expurgati centum triginta vnus. a damnato calicis vsu adstinere viginti nouem. Corruptores libri, & corrupti, a viginti sex traditi, igne corripiendi. Restituti floreni viginti super quattuor millia, restituentis pietatem cum admiraretur quidam in recipienda grandi pecunia, imitari etiam voluit, vel tota, vel magna eius parte in pios vsus impensa. Visitatus carcer, adiutique, qui afficiebantur supplicio. vnus item atque alter ex collatitia stipe redempti. Quantum poterant excitare

memoriam ad cogitationem præteriti temporis, deterferunt omnes animi fordes duodecim supra centum. Cum Angelorum panem manducaret virgo claris parentibus, mirifica se voluptate perfusam perhibet, visu Angeli, incredibili splendore. Matronæ aliquot nobilissimæ quater conuiuium instruxerunt pauperibus, ministraruntque in plena mensa. Sed & ab ijs, alijsque, inopes, ij præcipue, qui litteris dant operam in re tenui, elemosyna adiuuantur. Ac ne virorum pietas fileatur. Quidam illustri familia mendicorum pedes lauit die anniuersario ad Christi Domini exemplum. Alter de consilio nostrorum impurum declamatorem e ditione exegit, fuit & alius, qui vt lucrum participet nostrorum operum impetrauit a Magistro nostræ societatis. Ceterum donata nobis tenfa liberali munere pium, circumgestandæ Eucharistiæ, ex holoferrico puro, opere materiam superante. In Seminario Sancti Alexij historia in scenam producta magna spectatorum approbatione, animorum motu. At in Collegio, uictoria beati martyris Laurentij, quo die ad excitandos discipulos, uictoribus præmia tribuebantur. Ceterum, concessit e vita sacerdos, et tres suppleuerant locum illius: ni vnus leuitate, an paruitate animi, alium prætendens religiosorum ordinem, pedem in limine rettulisset.



## COLLEGIVM OLOMVCENSE.

**C**ONIVNXERVNT SE, vt hinc incipiam, cum Ecclesia Catholica centum octoginta: altera tantum specie communicant, contra quam alias fecissent, viginti supra centum. Ad tria millia pœnitentium numerata in Paschate: expunxerunt rationes veteris vitæ totius, vt meliorem ordirentur, fere quadringenti. cœtus eorum, qui Dei patrem patronam adoptarunt, in hoc Collegio iam duplex: minores nati Conuictores adolescentuli conueniunt & ipsi, ijs legibus quas a maioribus acceperunt: vtrique præsentis factibus prosequuti Christi corpus, cum primum prælatum est in hac vrbe per publicas vias, sollemni pompa. certe iam diu nulla species viventium oculos maiore admiratione affectit. non desuere, qui pro Catholicis ritibus quasilibet iniurias, & verborum contumelias æquo animo perferrent. In quos securi, aut laqueo lege actum, in eos nostrorum cura extitit, vt plerique Catholica religione imbuerentur. Quadragesima quotidie ducibus templis rudis ætas & plebs edoctæ, quæ scire interest hominis Christiani: hoc officium sic probatum est illustrissimo Principi: vt in præcipua ciuitatis paræcia deinceps continuari toto anno, diebus Dominicis mandarit. Iam de confirmatis

firmatis nutantibus, a vitiorum turpitudine,  
 & pellicatu ereptis, sublatis odijs, restituta pe-  
 cunia, expulsis e domo vna spectris nocturnis,  
 visitatis nosodochio & carcere; cum labore  
 fructuque subleuatis pauperibus precario vi-  
 ditantibus, ex cultis nonnullis doctrinarum stu-  
 diosis, & Nouitiis Cantonicorum regularium,  
 confertim pono, quia audiuntur singulis an-  
 nis similia. Obijt diem frater expertus dome-  
 stici, in hoc Collegio, operis, & bene tolera-  
 ti in aegritudine doloris. Quinque in Socie-  
 tatem adscripti. Ceterum, circum pagos op-  
 pidaque aliquot, mensem per vnum sacerdo-  
 tes hæsere duo, cum fructu non spernendo. mit-  
 to de frequentibus concionibus, de confes-  
 sionibus pæne innumeris, de explicato in locis  
 omnibus Catechismo. Moschouita vanam im-  
 piorum sectam cum vera religione mutauit.  
 repertique, qui iam nonum agentes annum, in-  
 ter hæreticos, hauserunt auidè Catholica my-  
 steria, diuturnam sitim explentes; haud facile  
 credas, quanto cum honore, & amore, venien-  
 tes exciperentur; quanto cum mærore dimic-  
 terentur. ita dum agerentur grates, optaba-  
 tur reditus celer. Has ob res maior quotidie  
 nostrum erga ordinem humanitas illustrissimi  
 Principis Episcopi Olomucensis. Is synodum  
 cum coegisset, quintodecimo post anno, inte-  
 resse nostros voluit loco honoratiore: quos in-  
 terim consulebat: eorum vniis orationem ha-  
 buic



buit ipsius nomine, loco temporique consensu-  
 taneam: & recepta primum in hac Ecclesia,  
 concilium Tridentinum, Romanum Breuiar-  
 ium, iussu editum Pij. Quinti, & quæ perti-  
 nent ad diuinum cultum ritumque, concordi  
 consensu. Impulit optimus idem Præses ad  
 vnius speciei vsu populos omnes quibus im-  
 peritat: abnuentes cedere maluit, quam vt a  
 manentibus videretur contemni. hi pauci fue-  
 runt. Ceterum empta hoc anno duobus flore-  
 num millibus, prope Collegium domus Conui-  
 ctorum vsui: additaque illi prope contigua  
 cum sacello altera, quam desolatam iamdiu  
 desertamque Episcopus attribuit. iam si con-  
 tinuentur, vt opportuno loco, caloque salubri  
 (nempe in cliuo ciuitatis porrecto ad ortum)  
 spes est, ea vt ædificatio Conuictoribus, alu-  
 mnisque Pontificijs sit multum utilitatis alla-  
 tura. At in nostra æde absolutum altare ma-  
 ximum septem ante annos extrui coeptum,  
 consecratumque ab eodem sacrorum Antisti-  
 te, principibus Apostolorum Petro & Paulo,  
 die ipsorum sollempni: qui & aliquot Prouin-  
 ciæ proceribus, & adolescentibus (qui paucis  
 ante diebus Absalonem exhibuerant splendi-  
 dissimæ orchestræ) et seorsum præterea no-  
 stris, apparatus prandium dedit.

## MISSIO VRATISLAVIENSIS.

**N**ON SOLVM dolo pugnant hostes, vt narratum est proximis litteris, sed & armis, verum infirmis, nec alte penetrantibus: vt etiam in pugnatoribus ipsis plus agnoscas animorum, quam virium. Aduersus Purgatorium instituerat conciones magister nequitia, & prima actio (vt facile assentiuntur homines asseueranti quæ falsa esse nollent) ita secundis animis accepta est, vt clamores tota vrbe fuerint, vel hac vna velitatione triumphatum de Purgatorio: ante victoriam scilicet: noster enim qui concionabatur in maximo templo, publice refellit dicta, veramque sententiam, quod facile fuit, tot comprobauit auctoribus, tam validis firmavit rationum momentis, vt fractus alter obmutesceret, non de spe tantum, sed etiam de conatu depulsus. Habita quoque conciones de meritis Christi, tanta fama, vt plurimi ex aduersarijs curauerint sibi describendas: & iam animati melius incipiunt esse in Catholicorum fidem. Studiosi iuuenes, qui frequentes in hac vrbe, nobiscum, & in concionibus assidui: disrumpuntur Gymnasiarchæ: neque desinunt coercere edictorum multitudinem, & pœnarum metu: sed vincit utilitas. ex eorum numero decem extricarunt se varijs erroribus: super hos deinde



de duodeuiginti . Porro accidisse videntur  
quædam, quæ transire non possum. Agebat an  
num nonagesimum sextum senex ita obfirma-  
tus in peruersis opinionibus, vt cum fatigaf-  
set decennio viros doctos, amicosque, aslere-  
ret, se de vita prius, quam de sententia mi-  
graturum, igitur deficientibus omnibus con-  
silijs, restabant vota: hoc agitur: & exaudita  
fuisse comprobauit euentus. Sponte ad nos ve-  
nit animo immutato, quorum antea conspe-  
ctum horrebat: a quibus & instructus, semel  
atque iterum, & absolutus: est tarde, sed non  
fero: eodem enim anno rite perceptis sacris,  
senectute diem obiit supremum. Idem fere ac-  
cidit adolescenti e Lipsiensi schola: cum enim  
a socio iam recte instituto adductus ad nos,  
nostras rationes, & conatus irideret miseran-  
dus, cui præ Caluino omnia desperent: nescio  
vnde (haud dubie respiciente Deo iustorum  
preces) tantam vim adhibitam animo sensit,  
vt æstu quodam cogitationum dies noctesque  
fluctuaretur anceps, donec tandem consilium  
Romanæ Ecclesiæ sedit: quod eius factum æ-  
qualibus, qui priorem obstinationem non-  
erant, visum est cum exemplo utile, tum etiam  
pertinere ad veritatem religionis. Alter in ea-  
dem Academia iam pridem Philosophi insi-  
gnia adeptus, relicto Caluino, altius spirans,  
ad religiosorum familiam se adiunxit ueteris  
disciplinæ. Sequitur aliud in hoc genere ad me  
moriã

moriam infigne. Præclaræ indolis adolescens  
 ad nos aliquando concessit curiositate ma-  
 gis, quam cupidine discendi: in sermone cum  
 dicerentur multa ad excutiendam illius per-  
 tinaciam, Nullus mortalium erit vñquam,  
 qui mihi eripiat Lutherum, indignabundus in-  
 crepuit. Cui noster. Meliora de te speramus,  
 Deo miserante. mox abije animo paratior ad  
 resistendum. Postridie eius diei mane ad eum-  
 dem Patrem redit attonitus: narrat speciem  
 sibi Dei Matris niuço amictu oblatam in som-  
 no, dextera demulcentis caput, eodemque ta-  
 ctu sacerdotalem veluti coronam imprimen-  
 tis. itaque alia tunc mente, execrari Luthe-  
 rum, & toto pectore amplecti Catholicam fi-  
 dem. omnino tantus in iuvene ardor animi, vt  
 mutationem esse clames dexteræ excelsi. A-  
 lius denique item ex numero studiosorum,  
 quasi non satis putaret se Deo reddidisse, cu-  
 piebat habere alios, & facere participes eius-  
 dem boni. igitur sapienter sodales admonet,  
 ut missis inanibus ad salubrioris contendant  
 uota consilii: ubi salutis est damnum, nul-  
 lum esse lucrum doctrinæ, & rem (Deo du-  
 ce) cautus promouebat, nisi olfecessent dia-  
 boli canes: a quibus cum quæreretur ad la-  
 niatum morsusque rabie accensa, dum feruor  
 despumet, tutiorem in locum secessit. Inte-  
 rea etiam duæ virgines se in Cœnobio conse-  
 crarunt: alijs ex vi concionum eadem volun-



tas cum voto. Neque tamen defuimus agris in extremo certamine: ea sedulitate, vt assistentes beatos se futuros prædicarent, si tali præsidio contingeret mori. Sed & in erudendis Curionibus tribuum rusticarum est positus labor: horum ignoratio tanta in rebus diuinis, vt non satis esset doceri, nisi dedocerentur. Ceterum parœcia erat ampla & vetus sub ditione olim praua sentientium: ita curiales omnes in eadem prauitate mentis: egit nobiscum de ea restituenda vir nobilis: & oblatum est qui susciperet curã pari pietate præditus & doctrina: nebulone igitur exacto, qui cum sibi semitam non saperet, monstrabat alijs viam, omnes non magno labore rectum iter ingressi: quin & magister ipse circa se habens duas filias eiusdem consilij, formandum se illi præbuit sapientium præceptis. Permo- uit recens conuersæ parœciæ rumor aduersarios circumiacentes: vt Parochum non e quo- libet hominum genere, sed Iesuitam esse suspi- centur: ea certe est apud omnes existimatio- ne, vt suis eum e popina & gurgustio bala- tronibus nemo non præferat, consulantque multi, incerti rerum suarum: nec falsa nos opinio tenet, huius curam atque operã multum splendoris & commodi rei publicæ allatu- ram. Neque tamen non ingeniosis vñ sumus maleuolis nostris, hoc anno: nacti nempe oc- cassionem adolescentis, quem e Vratislauen- si ciue.

ciue natum compotem fecimus sacrorum my-  
 steriorum: auelli a nobis furtim filios e com-  
 plexu parentum, imbutosque malis artibus  
 amandari in longinquas terras vociferantur.  
 hæc dispergunt vulgo suspicaci & credulo:  
 at ad Episcopum libello supplici eadem defe-  
 runt: adduntque exemplo iuuenis, quem  
 falso ablegatum infimulabant, turbatores nos  
 esse pacis, quotidianisque concionibus illice-  
 re omnes ad discordias. hæc vt pro falsis acci-  
 perentur, veri erant, veritas effecit: que cum  
 in iactationem venit, subsidente mendacio  
 semper emergit. FINE ANNI alter e duobus  
 sacerdotibus, qui præerat Missioni, post per-  
 spectam satis patientiam diuini morbi, vber-  
 resque perceptos fructus, vt in sterili agro,  
 quieuit. Paulo ante, quam clauderet oculos,  
 iucundo viso, vt ipse rettulit, Patris nostri  
 Ignatij est mirifice recreatus. funus honore  
 non caruit. etenim publice a Canonicis in æde  
 principe tribus religiosorum, familijs ordine  
 prosequentibus, & celebrante Clero vniuerso  
 sepultus est.

**COLLEGIUM GRECIENSE.**

**V**T IN REGENTI adhuc Collegio fru-  
 ctus non exigui, contubernium pauperum  
 studiosorum suos processus habet. ex Semina-  
 rio Pontificio sex, a Philosophia, iam & Theo-  
 logia



logiæ præsidij instructi, in vineam Domini ad laborandum missi. Conuictorum cætus abundat numero, ac flore nobilium. Sodalitium Sancti Spiritus probat se ita principibus viris, vt expetatur a multis, opem ferunt vinctis. assistunt supplicio afficiendis, ne interea circumueniantur a malefica hæreticorum turba. Ad templi ornatum altare accessit præclari operis: pauimentum deinde ante aram maximam, albicante constratum & nigricante marmore, pulcherimo distinctu. Natalitij Domini venerunt ad synaxim nougenti: Paschalibus, duo millia tercentum quinquaginta: ad communionem sub vna tantum specie perducti sexaginta quinque: ad criminum confessionem annorum omnium centum viginti septem. ad incorruptam religionem amplius quadraginta. feminæ aliquot, immo & viri, a turpi flagitiorum consuetudine, & ex ijs quidam, vt liberarentur monstrosis mali demonis imaginibus, abducti, erit hæc vna narratio instar multarum. Vir nobilis, magno quodam, & furori proximo amore distinebatur, vt nullum eius, neque humanis neque diuinis admonitis, faceret finem: ita vesano completa igne torrebantur tota præcordia: hac ratione furere desijt, terrore diuinitus incusso. Leuicula correptus febris, cum iaceret noctu lecto affixus, ante se videre visus rhedam flammiferam, subiectumque equum

quum flagrantem igne: tum rhedarius, infor-  
 me monstrum, tætrumque, atque ipso (vtar ver-  
 bo ipsius) malo dæmone truculentius, quo ni-  
 hil terribilius mortalium timori est. Quid ces-  
 sas inquit? quin conscendis currum dignum  
 promeritis tuis? horrui miser, subito fauore  
 defixus: tandem recepto animo, corripit gla-  
 diū proximum lecto, vibratq;: vt subueniatur  
 interim, magna voce domesticos inclamans:  
 trepidi accurrunt famuli, domusque tota so-  
 pore discusso: quin etiam exciti vicini nonnul-  
 li, quærentes clamoris causam: dein prætexen-  
 tes impositū fuisse oculis auribusq;, formidine  
 alleuandæ, verum, cum fremeret adhuc esse  
 in conspectu, nec finiretur metus, insinuaret  
 se potius in pectora aliorum, intempesta licet  
 nocte, venitur ad Collegium: mittuntur duo,  
 qui lustrali aqua, crucis signo, & in cera con-  
 secrata imagine agni, timorem tantisper le-  
 niunt, dum affirmaret æger dæmonem absces-  
 sisse in præsens minaci vultu, sæuæque iræ ma-  
 nifestum: detectis deinde peccatis, turpi per-  
 inde amore, quam tristi animum terrore libe-  
 rauit. Virginum interea pudicitia multarum,  
 & quattuor, qui miseriarum finem a reste, a  
 flumine, a ferro, a præcipitio impetrare molie-  
 bantur, incolumitati consultum. Persuaserat  
 cuidam malefana paupertas, suggerente dia-  
 bolo, vt violenta morte, se, vxorem, duosque li-  
 beros eriperet vitæ miserandæ: sed cum ca-



ptanti tempus attulisset quidam e nostris necessaria ad victum, amavit mentem vitamque meliorem. Attulit enim hic annus, siue morborum copia, siue inopia frugum, magnam materiem nostris in utroque genere laborandi. Ceterum bibliothecæ dominorum consensu lustrata, & sepositi libri suspecti nominis, nostrorum arbitrato. Hæc domi: nec minor fortasse utilitas in pagis propinquis. At serenissimi morum principum nostrorum, Mariæ viduæ, filiarumque eius, in societatem nostram benevolentia, & Christiana pietas, silentio inuoluenda non est: aut inuoluatur potius, quoniam pro dignitate explicari non potest. ipsa quidem, præter octiduanâ confessionem, & frequentationem cælestis conuiuij, quot hebdomadis secunda feria, duodecim pauperibus, loco aulae destinato, epulas parat, præbetque, sua manu tamquam administra: matris exemplo, liberis afferentibus in mensam: interfunt huic pio spectaculo ipsius rogatu etiam nostri, quorum sæpe opera fit, vt siquis non Catholicus accubuit, interno alio, ac salubriore cibo pascat animæ famem. Eadem fere de serenissimo Hernesto dicerentur: sed modus est tenendus, cogitanti quæ proximis annalibus dicta. quamquam hoc etiam anno, procul aulae strepitu, & turba famulantum, cœnati apud nos cum se ipsi inuitassent, missa aduentitia cœna: eo die donatum nobis poculum ex ebore peregre-

gregium, quo serenissimus olim Archidux Carolus maxime delectabatur. honoratum utriusque munus, atque acerbum, seu reliquias nobis referat mortui, seu delicias viventis. Cum Radiuillus Cardinalis in proximo suo ad urbem Romam aduentu huc flexisset, non committendum putauit Herneſtus, ut ante discederet, quam Collegium videret: quamquam Cardinalis, hoc non semel, cum exceptus est vario carmine, aut iterum, cum Theologicis disputationibus publicis interfuit, sed & tertio praestitit, cum in sacello domestico sacrosancta participauit mysteria, atque idem ut facerent diebus sequentibus familiares sui omnes, quos secum ducebat, auctor fuit. Reuertor ad Herneſtum, qui nos fouere quotidie magis, atque ornare non cessat. is enim quo facilius consuleret studiosorum pauperum contubernio, Seminarioq; Pontificis, bona quaedam, quae antea destinuerat patruus Carolus, dignus aeterna memoria, de Senatus sententia attribuit: idque ut ratum, fixumque esset, publicis litteris testandum curauit. Haec pauca de proluxa serenissimorum erga nos Principum voluntate, quos etiam reliqui imitantur. nam etsi pauci ex primoribus de religione recte sentiant, illi tamen omnes nostri sunt: ceteris utimur, si propter communionem sacrorum minime consentientibus, propter approbationem, ut ipsi loquuntur, morum ac vitae, non val



de maleuolis. itaque & saepe nos adhibent, cum vident difficile esse consilium, in rebus suis, quamquam interim non desunt (ut est omnis populus bellua multorum capitum) qui nostros conatus, quod in directam viam reducamus errantes, quod, ne defleat admoneamus morientes, quod qui capite pœnas expendant, restituimus, constituimus vacillantes, ita ferunt ægris oculis, vt sermonibus carpant. Sed tamen est aliquid vel apud aduersarios in aliqua gratia esse. Nobilitate quidam, & sincera in Deum pietate excellens, anniuersariæ pompæ, qua circumfertur sanctissimum Christi corpus, urbem extra, concursu maximo pagorum plurium, cupiebat dare operam aliquos e nostris: itum est libenter, effectumque, vt vetusta ædes, quæ sub hæretici potestate ad similem occasionem iamdiu numquam patuerat, eo primum die, magna cum admiratione, & gratulatione, visentium, sponte domini, admitteret intrantes: datum hoc nostris, qui & concionati ibidem ingenti omnium, & in præsens lætitia, & in futurum spe, vt ex hoc eodem die quotannis simile factum nostrorum aduentu renouetur. Ceterum bis hoc anno missi, bini Millestadium: oppidum est in superiore Carinthia, sedes olim magistri ordinis sancti Georgij, hinc Collegio Greciensi priuatum annum vectigal. Habitæ conciones, expositus Catechismus, instituti pueri

ri in schola, & cetera, de more nostro. expref-  
 fa quasi in theatro, *Quadragesima*, maiore he-  
 bdomada, *Maria Virgo* illacrimans filij mor-  
 ti, miro cum aspiceret populus, sensu dolo-  
 ris. mox *Eucharisticis* sollempnibus imago man-  
 nã de cælo delapsã: celebrataque supplica-  
 tio tanta frequentia, tamque illustri pompa,  
 vt eius loci homines in omni memoria nul-  
 lam fuisse similem arbitrentur. Actum est  
 cum hominibus amplius viginti (inter quos  
 duo e procuratoribus publicis, ac ludi magi-  
 ster) vt satis esse existimarent ad communio-  
 nem mysteriorum, si sumerent alteram tan-  
 tum speciem ex Ecclesiã præcepto: nec du-  
 bium, quin plerique omnes susciperent re-  
 ctam fidem, ni magistralli hæresim obtinentes,  
 eamque vix nunc lacinia, retinerent mordi-  
 cus, ne tota elabatur: improbi corruptores po-  
 puli, qui imperitia, siue inertia, æmulationem  
 maiorum pro necessitate habet. At illustris  
 Comes *Ioannes* ab *Ortemburgio* *Carinthiã*  
 præfectus, hic in vicinia habitans, sub *Anasta-  
 sim* Domini nostrorum opera vsus est: & cum  
 vxore, liberis, familia, Catholicorum mune-  
 ribus rite perfunctus. Quin & aliquos habere  
 voluit secum in votiua peregrinatione ad bea-  
 tã *Virginis* in valle: dein in reditu ex oppi-  
 dulo *Traburgo* clamatorem perfidiosum ex-  
 trusit, vigesimum iam sextum annum perni-  
 ciam animarum: piam substituit, vulneribus



sanandis, quæ ille imposuisset: optimus omnino vir, nostrique amantissimus, hoc vnum studet, vt quantum potest, omnem Prouincia & errorem demat improbæ superstitionis, & veram religionem addat.

### DOMVS PROBATIONIS

Brunensis.

**V**BEREM materiem, latamque: qua scholas quaternas consideres: qua conuersiones diebus festis ternas, Boemicam, Germanicasque: qua maxime Nouitiorum (siue cum recipiuntur, siue cum in peregrinationes varias, explicationemque doctrinae Christianae, de more, mittuntur) experimenta: qua fructum denique consentientium, communicantium, ad frugem, religionemue redeuntium: suppeditat, vtroque anno, Brunensis Domus: vt ipsa sibi obsistat multitudo rerum, ac diuersitas distrahat animum scribentis, vt vnde incipiat constituere non possit, nisi sine delectu. Quamobrem plura simul dicenda sunt: ac primum quæ accidere intrantibus. Tres a parentibus, vt fit, varie tentati: ante ingressum vnus: recens alter ab ingressu: post ingressum tertius, cum ui fuisset extractus: sed neque insidiantis sæculi illecebræ, nec lacrimæ proximorum in ostentationem paratæ, nec minarum sonitus, aut virgarum inten-

intentus, quicquam permouere novos milites Christi: etenim cogitabant breuem huius voluptatem vitæ, breuiaque commoda: aestimabant paucos dies incertosque: et, certi licet plurimique essent, si cum æternitate comparerentur, nihili faciendos: negligenda omnia caduca, illa tantum expetenda, quæ finem non habent: immanem vanitatem ac peruersitatem esse consilij institutorum hominum sub disciplina Christi, si breui tempori maximam curam impendant, maximo, curam breuem: hoc vnum denique in lucem editi hominis officium esse differebant, vt omni cura suum agnoscere, agnitum deinde suspicere studeat auctorem: id porro ex eo intelligi, si dicta factaque omnia, aut ad Deum dirigat, aut corrigat propter Deum. His & talibus, peruicere demum, liceret sequi vocantem, & vitam quam accepissent, diuinum donum, in diuinum cultum conferre. At ex ijs, qui huc, ut probarentur, aliunde missi, fuit aliquis, qui cum vecordia mentis, an astu diaboli, sui magis propositi tenax, quam regentum arbitrij, immodica vexatione corporis, contumaci- que silentio, nec nostris legibus permisso, incertum ne leuitate, an quasi virtutis ostentandæ, tædium mouisset sui, sæpeque licet ac serio admonitus, nihil remittere vellet de pertinaciâ, nullam spem emendationis fecit, nisi quasi morbo insanabili adhiberetur remedium

supre-



supremum: igitur non parvæ alioqui futurus  
 utilitatis in rebus domesticis, eijcitur domo,  
 alterutro consilio, siue vt nunc tandem resipi  
 seret, siue vt esset alijs exemplo: nec frustra:  
 vix pedem e limine extulerat, vix occlusam  
 ianua aspexerat, cum haud secus atque redi  
 disse ad se, a quo cœtu exisset, quantumque  
 amisisset boni, tarda æstimatione respexit.  
 tum vero, effusus in lacrimas & questus, gra  
 dum figit, reflectit sæpe oculos ad sacra æ  
 dem, gemitus adhibet precatore, mutatio  
 nem promittit, & se dementem fuisse procla  
 mat: sed obseratæ erant fores, auresque, &  
 Olympus iam clauserat diem: non discedenti  
 tamen, nox visa, dum rediret lux, nimium  
 longa. vix diluxerat, cum in vestibulo, mo  
 do hunc, modo illum magnopere accersere, fa  
 tigare precibus, non ficto, nec tacito fletu  
 implere os, vt ignoscatur sibi, vt liceat esse vel  
 in famulorum numero, suppliciter ac demisse  
 orare. placuit experiri: mittitur in hortum  
 suburbanum: det olitori assiduas operas: ci  
 bario pane vescatur: in palea cubet. hac velu  
 ti medicina, vanitate compressa, ac castigata  
 contumacia, octauum post diem recipitur:  
 ita pro pertinaci & refractario, iã modestum,  
 & ab satisfaciendi cura enixe facientem impe  
 rata habemus. Alio in genere alter maius exē  
 plum constantiæ dedit. Fuerat inter nos an  
 nos ipsos tredecim, verum nō ianua ingressus:

in sol-

in sollemni interrogatione minime confessus de matrimonii vinculo, præcludi aditum non ignarus: sed nec veste ignis, nec humanum quodlibet facinus diutius occultitur ævo. prodita res fecit hominem nostræ Societatis exortem: rediit mærore prostratus ad compedes, quas non decebat abiectas, tamquam addiceretur in servitutem, certus pro heræ coniugem pati. tulit imperium parem numerum annorum: cum interea nihil omitteret ex veteri vita. post vxoris obitum redditus sibi, venditisque rebus omnibus, earumque mercede in pauperes collata, reditum orat in Societatem, & impetrat. est iam nobiscum homo grandævus, nescias emanfor ne magis, an Tyro recoctus: magnum exemplum, sicut olim callide, sic nunc sapienter vsurpata nostræ veteris disciplinæ. At, quam levis vnus alius, & præceps doctrina, si quæris, atque optimarum artium studiis eruditus, sed animo (vt res ipsa aperuit) & consilio imbecillus. cum enim in ipso statim aditu, forsitan facti pœnitens, suspensa oratione, & verbis tectus, appareret ambiguus manendi, & lubricus, nec se indicaret magistro quamvis interroganti: nulla palam causa, misistare discuperet litteras, obtenderet denique votum alterius ordinis (etsi hoc quoque solui poterat nostrarum legum indulgentia) transiit demum ad nuncupatum Cœnobium: sed hinc

quo-



quoque trium quattuorue dierum spatio digressus, non vilam sibi religiosæ vitæ Societatem fraudi esse ostendit, sed inconstantiam mentis. Iam si numeres quot ad Dominicam cœnam die præstituta accesserint, millenos fortasse comperies. Vtriusque vsurpationem speciei abdixerunt priore anno septuaginta, altero quinquaginta septem, atque in his multi claris maioribus, futuri aliorum exemplo: ita paulatim praua consuetudo senescit: neque id clam auctorem mali, qui eam vt ruentem sustineat, assidue pugnat. Ad Catholicorum partes vno anno triginta duos accessisse accepi. Iam e multis seligimus aliqua, quæ propriam narrationem desiderant. Matrona, suafu mariti Catholici, per nostros redierat in sinum Ecclesiæ Romanæ: cum agrotaret sic, vt morbum sustinere non posset, peracta confessione, viatico instruitur, & inungitur oleo sacro: infremuit diabolus, miseram aggreditur, eo maxime tempore capacem doli: ita iam morti proxima querebatur se a marito deceptam, Lutheranam velle mori: addebat quædam adeo impia, vt piarum aliquot mulierum aures assidentium in officio supremo non ferrent. reditur ad nostros multa licet de nocte: accurrit sacerdos, piacularem aquam aspergit, ad quam mulier inhorruit: tum eo præeunte, professâ fidem Catholicam, eo maiore omnium gaudio, quo propius me-

tum

tum res fuit, placidissime obdormiit. Aliæ mulieres ad superioris uitæ detestationem, uel immisso morbo, uel nescio quo intimo animi motu, mirabiliter adductæ: concubinæ ad faniolem mentem: eiecta pellice reuocauit ciuis uxorem iamdiu dimissam: nec defuere qui repetita peccata ab ineunte ætate per confessionem expiarunt, in hoc quidem munere audiendi enituit fructus: ut testatus sit sacerdos externus, censere se, neminem securum esse conscientia, nisi cuius Iesuitæ introspexerint. Visitam degentes in ptochio pauperes, in carcere fontes: & addictis supplicio uisi utiles sumus. Hoc loco illud appingam. Insignis latro iam firmatus a nostro sacerdote, diuinisque instructus præfidiis, actus erat in rotam pedibus fractis, cetera integer, mortis cum pœna producendæ: cum eius os interea nihil aliud, quam Dei laudes, & Sanctorum invocationem sonaret. inclinante iam die, ad uisendum affluentibus multis, idem sacerdos accessit, opinione sua, solator tam grauiam patientis, re ipsa spectator patientiæ futurus. ille enim tamquam debita morte sceleratam uitam puniens, meliorem ut uitam quæreret morte, spe futurorum leuabat dolorem præsentem: & grates Deo agebat, qui in ira memor clementiæ, sic castigaret, ut parceret. alter utrum tamē orabat, in illa prolixitate supplicii, quæ ultra triduum putabatur duratu-



ra, siue ad finiendum ardorem dolorum, cele-  
 ritatem obitus, siue ad mitigandum, oppor-  
 tunitatem imbris: vtrumque affuisse notatum  
 est: nam & sub occasum Solis demissa pluuia  
 ingens, & ipse post paulo defungitur. ea res  
 valde Catholicam religionem, & nostrorum  
 industriam affirmavit. Sed inuidit diabolus,  
 aliis quibusdam, quibus obsisti non potuit, su-  
 premum huius pietatis officium sibi depo-  
 scentibus: itaque ex eo tempore ne in carce-  
 rem quidem admittimur: ne dum bene mere-  
 ri liceat de capite damnatis. Hæc inter, sedata  
 dissidia: vnum præcipue inter primores  
 duos a litigio ortum, destitutum in eadem.  
 persuasum enim vtrique, vt rem potius transi-  
 gant æqua portione, quam iure controuerso.  
 Vir in senatorio ordine non postremus, abre-  
 ptus æstu tam diuersarum de religione opi-  
 nionum, aut æqualium, amicorumque flamine  
 aduerso, vigesimum iam annum aberrabat a  
 portu: cum tamen interea iactaret aliqua in  
 vsus pauperum, veluti naui alleuandæ: & in-  
 terluceret quiddam, ex quo rectum cursum  
 agnosceret in cæcis procellis: nam vxorem fi-  
 liasque permisit a nobis instrui Catholice, ac  
 filios iussit in Gymnasio edoceri: in ea fami-  
 lia solus ruebat: mox, Deo volente, corripit-  
 tur morbo: tum primum agnoscit nil prodes-  
 se amicos aduersum fulmina: Parochos suos  
 aduocat: obit confessionem, Eucharistiam  
 per-

percipit sub vtraque specie: nihilo secius in-  
ualefcit morbus: ita cum indubitata senti-  
ret mortem, acciri celeriter nos iubet, & sin-  
gularum momentorum expectatione solici-  
tus, an adhuc venerimus, quamdiu expecte-  
mur, an in propinquo simus, interrogat: cum  
primum accessimus, haud dici potest quanta  
lætitia exceperit, quanta religione prisca  
despens delicta, eiecerit se e naue fluctuante,  
& euehendus paulo post, vt confidimus, in lo-  
ca piorum, transfulerit in Apostolicam cym-  
bam. Copiosus alter & nobilis, post multorum  
nequitiam annorum, & peccandi licentiam,  
in optimam frugem conuersus est: persuasu-  
rus idem, vt pollicetur, famulis, & clientibus  
suis: eritque, pro eorum numero, non spernen-  
dum lucrum. Adolescens extra hanc urbem  
magni ingenii, hæretice institutus, sed propter  
magistrorum seueritatem, relicto studio litte-  
rarum, artem aliquam cogitans, alterius hor-  
tatu, quem conuerteramus biennio ante, Bru-  
nam se contulit, & nobiscum versatus, non  
repetijt solum studia intermissa, sed et rectam  
suscepit fidem: quin etiam Societatem medi-  
tatur, voto maiore. Ac ne hic ullum esse lo-  
cum spiritualibus exercitationibus cogiteris.  
Dynasta, cuius in his regionibus auctoritas  
magna, vt cum Christo excitato ab Inferis  
nouam iniret viuendi rationem, sanctiore  
hebdomada domi nostræ se abstruxit, sacrarū  
rerum



rerum contemplationi vacans, magno tū suo cum fructu, tum exemplo aliorum, qui in diuinis, in templo nostro, mysterijs eum viderent prospectantem; e specula, neque verentē oculos, aut sermunculos maleuolorum. rararum spectaculum in his terris, atque omnium fere oratione famaue celebratum. Alter in Cæsaris regia vigesimum iam et tertium annum minime postremus, huc appulit Praga: atque vtiliter excultus, statuit neglecta aula, in obscuritate hominum contemptuque, humilem persequi vitam, vt fulgore opibusq; sic secundo curarum ambitu, atque vitijs carentem. Ne agrotorum quidem curam abiecta. Vir magnæ nobilitatis, cum apud regulum esset, ab eius familiari tribus vulneribus mortiferis affectus est: rogat dominum, vt liceat astante vno e nostris animam effundere: cum impetrasset, ad ipsius aduentum exclamat. Iam morior libens. tum expiatus sum mis precibus exorat libertatem parricidæ, qui tenebatur in custodia. Audite rem admirabilem: liberatus hic, vt erat uita indignus, coniecto, sua sponte corpore in flumen, ad Inferos inuenit viam: vulneratus ille, ac sine spe vitæ, cunctis mirantibus, & vim sacramentorum deprædicantibus, conualescit. quod & alij quibusdam accidisse memoratur. Mercator aliquot miliaribus Bruna distans, cum iam diu laboraret ex pedibus computrescentibus adeo,

adeo, vt reliquo seruando corpori, secandi essent, neque id tentari posset sine periculo mortis, noluit hoc prius aggredi, quam ab accito e nostris sacerdote præpararetur Ecclesiasticis armis, quasi ad vltimum certamen. quo tempore illud etiam fuit diuinæ prouidentia, quod eodem in oppido plane hæretico, reperi etiam Catholici duo, quibus animam agentibus, qui illuc venerant, omni officio studioque effecerunt, vt ne ad piam & Christianam mortem aliquid deesset. Hic autem non est committendum, vt de obitu illustrissimi Domini Adami Dietristani, qui fuit supremus aulae Caesaris præfectus, nostræque Societatis cum primis studiosus, nihil dicatur. Decubebat Nicolpurgij, non infima earum ciuitatum, quibus imperitabat: quinque leucis Bruna distat: vocauit huc vnum e nostris, ægotanti auxilium, seu morienti solatium. ter eo morbo sese aperuit, ter percepit panem vitæ, ad extremumque Oleo inunctus, pia morte decessit. has vltimas preces reliquit pectoribus nostris, vt Lauretanam ad ædem tres mitterentur, voto soluendo. quod etiam factum. non exiguam pecuniæ summam reliquit, qua & sacra supellex, & bibliotheca instructa. Quamquam in Cœnobio quoque sacrarum Deo virginum, in hac vrbe nulli secundo, extitit labor: cum enim, an per Præfectorum socordiam, irrepsissent aliqua, quæ priscum ad mo-



rem recidenda essent, Brunensis Antistēs adhibuit cohortationes nostrorum: tantusque feruor, Deo inflamman- te, est iniectus mentibus, vt nulla non fuerit confessa de omnibus culpis: arctioremque disciplinam complexæ omnes, diruptis quibusdam fortasse nexibus, quibus antea implicabantur, non solum primam, sed solam hanc infixam animo curam habeant, vt sancte ac rite Deo famulentur. placuit ijsdem virginibus, quo gaudium esset cumulatius, lustrari & numerosam familiam, quam ipsæ subiectam habent: quod dum fit, non pauci ab hæresi absoluuntur. Addam vnum, quod speciem habuit miraculi. Virgo quædam de seruitio Senatus Brunensis, mirum in modum, diu noctuque, præcipue cum sola erat, a malo dæmone vexabatur, cuius & monebatur præsentia, & instigabatur vocibus, vt se recte suspenderet, vel submergeret aqua. cū quid grauius metueretur, sistitur Senatui: placuit cōtinuo cum tutore mitti ad nostros, vt si quid possent, opem ferrent: instruunt ipsi, hortanturque, vt recipiat sese ad cogitationē peccatorum, quæ postridie patefaciat: interim dant consecratæ ceræ particulam: rediit die sequenti: narravit sibi melius esse factum: visum quidem dæmonem, sed procul, & tamquam accedere non audentem: ita expiatis criminibus, perceptisque rite mysterijs, metu simul, & periculo liberata est. Oblitus

tus eram, exuberante materia, reddere de scholis: sed si omnia attingantur, quis finis? plenæ ipsæ, nec spe tantum, sed re etiam secundæ: argumentum sunt Partheniani adolescentes: e quibus nonnulli Societatem affectant. qui ad nos veniant, coniciēs hoc exemplo. Adolescens nostras scholas frequentandi cupidus non desistit tamdiu orare, atque vrgeri, alterius alioqui sectæ, parentes, donec exorsit. hic vero ita auide corripuit Catholicorum præcepta, vt quadraginta dierum ieiunio maluerit pane simplici, eoque emendicato, clam suis, tolerare vitam, quam, si domi esitaret, carnibus vesci: verbera, hanc propter causam, non solum contumelias expertus: quin & minati sunt, ni mutet sententiam, ex ædibus eiekturos: sed perfert omnia, & vincit amor cedere nescius, oblatum quodcumque damnum & periculum, grande lucrum animæ, & experimentum fidei putans. Superest vt de peregrinantibus Novitiis, siue Christianam doctrinam serentibus, pauca ponamus. ergo de illis prius, sed quasi compendio. Viginti enim anno priore: quinque in remota loca, quaterni: sequenti, duo & viginti, tributi item in partes quinque, uisendis templis, uetustate aut religione inclytis, missi sunt: &, exerciro corpore, corroborato spiritu, ut in terra fere semper hostili, fructum laboris & patientiæ rettulere latantes. iter difficile plerumque, & impeditum: via lute-



fa ac lubrica, interdum & grassatoribus infe-  
 sta: nec sudo semper cælo, sed interim pluuio,  
 ac fœdo imbri. cum interea non sibilis modo  
 exciperentur irrisuque, sed conuicijs, & aspe-  
 ritate verborum. etenim perfuga, latrones, im-  
 puri, impostores, venefici, dæmonum satelli-  
 tes, immo & filii, vocitabantur: deuuebantur  
 diris (tamquam aliquod scelus) cum omni na-  
 tione exterminandi, laqueo, igne, ferro. fuit  
 aliquando cum tota vrbs, dissipato aduentu  
 Iesuitarum, fenestras compleuit viaeque, vt  
 omnium erat sermo, ad visenda monstra.  
 quamquam non stetit intra linguam homi-  
 num furor. compresserunt palmas in pugnum,  
 acuerunt iras, feroci vultu, toruo lumine mi-  
 nitantes. infligati canes, coniecti lapides, sclo-  
 pi intenti, stricti gladii in perniciem, nisi ad-  
 moniti occupassent fugam. non defuit, qui ba-  
 culo impacto vnus frontem affligeret, & tan-  
 tum non oculum exculperet, obliquo ictu: mul-  
 tus cruor effluxit, & tumidus lior ad aliquot  
 dies: exuta crusta in cicatricem resedit: vir  
 erat hic familia iuxta & perfidia nobilis, cu-  
 ius filius iam pridem fuerat in nostra schola  
 doctior, & eo inuito, melior factus. hæc igitur  
 merces. Mitto multiplices curiosorum in-  
 terrogationes sapienti responso, stultiloquium  
 silentio, muliercularum petulantiam prudenti  
 consilio discussa. cœna sæpe tenuicula, sæ-  
 pius nulla: nam reperti, qui ne venalem qui-  
 dem

dem panem addicerent porrecta mercede, prohibiti nonnumquam oppido, prohibiti hospitio. Cubandum sub dio nonsemel, quod si sub tecto, humi, in horreo, aut in stabulo: pro deliciis palea erat: inter pecudes, mutas quidem illas, sed tætro halitu, & hinnitu molestas: vt quamquam fessi diurno itinere, tamen noctes ducerent infomnes: tum præcipue, cum subolfecerunt lupas insidiantes. quominus mirum, si tam multa inter incommoda, non nemo nactus est morbum: sed vt non vnus est hominum sensus, & rerum vicissitudo, facta mutatio in loco: excepti honorifice a quibusdam, & tractati perhumaniter, donatique, cum magna laude Societatis. ipsi eos aduersarii sponte requisitos inuitarunt, ignaros qui essent: & (quod interdum Catholicorum pudeat) Husita, licet reluctantibus, pedes lauit. Hæc inter, nostri neque deiecti aduersis, neque sublatis prosperis, afflictis exterius, intus alacres, eorum vicem miserantes, his grates agentes, nota pro omnibus fundentes, ut malefici, sed nocentes homini, ut fallaces, sed fidei non fluxæ, ignoti, cognitique, obuios quosque, pastores, rusticosue erudiebant, male institutos dedocebant, erectos firmabant, erigebant iacentes: quin etiam tres quattuorue impulere, vt respicerent, damnarentque primo, mox etiam exuerent superstitionem hæresis, qua diu implicabantur.



Nunc de ijs pauca, qui explicarunt Catechismum: cuius vel auditum nomen subiicit cogitationi, rudis ætatis, atque hominum generis, institutionum fructus. nam etsi diebus festis erudiuntur plurimi in nostro templo, tamen sex etiam in pagos propinquos, duoque suburbia, die quolibet Dominico, itum est, utroque anno, sub hiemem: quo tempore ea loca incolentes minus occupati, & frequentiores domi, quam æstiuo, esse consueuerunt: compensatus docentium labor amore discantium, vel fructu: ij, in omnibus conuentibus, minimum quingeni: nec solum gaudent scire, quæ sit summa rectæ fidei, sed integritatem vitæ sic auidi complectuntur, ut iam se Christianos esse gratulentur. interea rixæ componuntur, extinguuntur odia, noui quidam & vani ritus tolluntur, ut reducantur integri & prisci. Sed internenit res quædam mirifica nostrorum conatui promouendo. Persuaserant, ut triduo ante sollempnes ferias Domini ascendentis, preces fierent pro frugibus, circum agros a Clericis populoque, Cruce præeunte: eam rem, ut leuem atque inutilem, explosit deinde, in villa media inter Catholicorum pagos, vir infirmi iudicii & corrupti: ita neglecta eo in loco fuit, aut potius contempta: neque absuit vindicta: demissum celo bibere imbrem circum circa fata omnia: æstuans feges frigida: in diuinis rebus villa perpetua

ti exaruit. Ceterum prohibita scelera, aut cor-  
recta: ad sumendam Eucharistiam ritu Catho-  
lico plus viginti: aliqui ad religionem veram  
adducti: adiuti interim morbidi, aut moribun-  
di: quin & quibusdam videtur, dum redirent  
ad Ecclesiam Romanam, mors protracta, & gre-  
tantibus nonnullis, vt loqui non possent, im-  
petratus primum linguæ vsus effusarum vi-  
precum, concessa deinde incolumitas Christi  
corpore percepto. eodem exemplo liberata  
mulier a vesano spiritu obsessa. Et excitant  
hæc quidem apud multos nostri desiderium,  
& benevolentiam: sed non desuere obtrecta-  
tiones & probra, apud ingratos præmia bene-  
factorum. interdum aliqui manu stringebant  
gladios, expediebant minuscula militaria tor-  
menta, in fessis vijs, per quas erat transeundû:  
sed nunc senes, quibus melior mens, repreffe-  
re impetum adolescentiæ, nunc mollia nostro-  
rum verba, & prudens cohortatio in tempore  
adhibita: vt mutarent conceptum sine causa  
odium, capti humanitate & grauitate ora-  
tionis.

**GOLLEGIUM CRVM LOVIENSE.**

**C**OMMUNIA prius. Conciones in vrbe  
tres, Boemica, Germanica, apud illustris-  
simum Rosensem tertia. Catechesis toto an-  
no, octauo quoque die: Quadragesima, quoti-

R 4 die.



die. excursiones cum fructu factæ: scholæ au-  
 tæ: drama datum magnifico apparatu illu-  
 strissimo confectu: Collegium inuisum a pro-  
 ceribus, Dynastisque. Magistratus Crumlovi-  
 ensis, nomine Senatus, atque omnium ordi-  
 num, Calendis Ianuarijs honorifice salutauit  
 Patrem Collegij Rectorem, nobisque omne stu-  
 dium obtulit verbis amplissimis. Sollemnia  
 Dominici corporis splendissime celebrata.  
 Plures solito acceperunt in Cineribus diui-  
 num admonitum condicionis humanæ. Vene-  
 randæ Dei matris vsus, repetita ad certum nu-  
 merum salutatione Angelica, eiusque orandæ  
 fixis humi genibus ad pulsus campani æris, in-  
 uectus, actum cum multis vt matutinum opus  
 aggrediantur a fronte signo crucis impressa;  
 neque antea discedât ab audiendo sacro, quam  
 a sacerdote dimissi: vt esurialibus feriis ab-  
 stineant carnibus: auditi de omni noxa, qui ca-  
 rant in custodijs publicis: qui agebantur ad  
 necem, subleuati, siue ante mortem; sermoni-  
 bus pijs: siue post mortem, vt omnes, qui con-  
 ueniunt ad spectaculum procumbentes in ter-  
 ram pro eorum animis comprecantur Deum,  
 consuetudine inducta. Afficiendus vnus sup-  
 plicio, ad patibulum ipsum retractauit cri-  
 men, quod cum altero communicauerat, alio-  
 qui capite luendum. Leuati quidam carcere. vt  
 decim omnino liberati, nostris deprecâtionibus.  
 Aerumnosa familiæ collatis rebus ad victum,  
 cultum que

cultumque opportune subuentum. In octo pagis adumbrata peccatorum confessio abolita, sincera introducta. Cautum alibi (quod negligebatur) vt nemo sacrosanctam Eucharistiam excipiat, non ante confessus. Iuniores facile ad alteram speciem se conformant, non duntaxat consuetudine deprauati. Hæc igitur veluti communia: sequuntur alia, & tamquam propria. Vir senatoria dignitate, agendis rebus exercitus, in negotio non parui momenti, incensus aliquando non dolore solum ad irritum cadentis spei, sed ira furoreque, cum arrepto cultro vitam sibi ademptum iret, ab uxore prohibitus est: dein mori adhuc certus, fortuitum in ferrum incumbens, quamuis hebeti acie, pectus sibi aperuit, non profundo vulnere: inops consilij vxor nostros accersit, quorum aspectu ac sermone paulum requieuit. Cum interrogatur, vnde tam demens eohsilium relinquendæ vitæ, pueriles quoddam timores causatur: demone suggerente: ad integram detestationem scelerum hortantur: at ille, serum iam est, inquit: quinquagesimus fere annus est, ex quo a ritu isto confitendi peccata, quem vos docetis, abhorruï: quin & nuper in iubileo, in confusa turba, ab vno e vobis Eucharistiæ sacramentum percipere ausus, in ore fugiens & euanidum sensi, nullo gustu. Ac, ne multis, perductus tandem ad confessionem generalem, salutaremque perceptio-



ceptionem corporis Christi, post paulo mofitur. Eadem amentia agitati alij duo, fimili ratione fanantur. Sed et quidam, qui miseriarum remedium, confilio improborum vſus, a malo dæmone quærebat, cum ſecretus aliquando agitaret, monſtrum vidit horribili forma, rogans, Numquid velleritū ille magnopere territus, Nihil, inquit, nihil. poſtridie ſædiorum ſpeciem excuſſit oppoſito ſigno crucis, & non irritato voto conſtitendi. impij duo, vnus Solem venerans, eiusque radios, vt numen diuinum: alter trigefimum iam annum nullum omnino eſſe Deum credens, noſtrorum admoſitu reſi-  
 puere: hic poſterior, cum prope ſinem eſſet, repente quodam morbo audiendi ac loquendi poteſtate priuatus, noſtris nutū perſuadentibus, vt piacularē ebibereret aquam, conu-  
 luit, vtraque recepta. Afferri ſimilia poſſente ſed fere ad hæc capita rediguntur. Claudatur Collegium iucunda commemoratione fundatoris: de cuius pietate dici fatiſ pro merito non poteſt. Micto octo adoleſcentes educari ea mente, horarias vt preces recitent, more Romano in arcis ſacello ( quod etiam eo audiente, & interim adiuvante, fieri cœptum eſt) imbecilla quamquam valetudine frequentatſe pēdibus vna cum coniuge, ſupplicatio-  
 nes inſtitutas peccatorum veniæ conſequenda: diſtributam magnam pecuniam per Patrem Rectorem noſtrum in vſus egentium: ſu-  
 ſcepit

ſcepit æs alienum Collegij, ad centum taleros, quod ipſe diſſoluat : quingenos annuos, pro claſſe Rhetorices adiecit : libellos plurimos pios diſtribui voluit, ſuo ſumptu, vt cum impijs mutantur: qui intra, extraque urbem, diligenter conquiſiti, & in ignem coniecti : graue olim hoc malum: ex quo laus præſentis ſubſi-  
 dij augetur.

### COLLEGIUM COMOTOVIENSE.

**C**OMMODVM in Collegium verterat Miſſio Comotoniensis, cum nihil fere erat, quod in noſtrorum ſiue cura, ſiue opera deſiderares. Conciones diebus ſolitis quinquæ: in templo maximo urbis, & in vicinis quattuor pagis: ita opus factò, ne pagani, alio, præſenti periculo, dilabantur. ex ijs potiſſimum hæreſim exuere centum ſexaginta, excitati ritus, qui exciderant, antiquæ religionis: ita in vrbe foriſque renouata conſuetudo diebus Rogationum publice ſupplicandi: in pagis agmen (more maiorum) ad ſata eductum, decantatumque carmen vernacula lingua, imploranda diuina miſericordia, & calitum ope, quale olim ſolebant: agnouere plerique ex præteriti recordatione ſtatum præſentem. feſtis diebus ſacroſanctæ Euchariſtiæ præcipuis in paræcijs inter apparatus viarum & ſollempnia pompæ diuinus cultus ita auctus, vt qua erat inceſſus,



cum consonarent cantu omnia, & luminibus ardescerent, superfluens lætitia ex intuentium vndaret oculis, quam pectora non tenerent. Die nuntiati Virginei partus, fundatoris nostri eximia liberalitate, honestissimum ædificium, vbi centum alantur iuuenes, ipsius sumptu, ad bonas artes institui cœptum, primo lapide sollemni carimonia in fundamentum iactato. Crupnam (ciuitas est Boemiæ, Misniæ contermina) quo ter anno vis magna mortalium confluit, religionis ergo, toties excursum multiplici fructu. Sensere quoque nostrorum operam morbo affecti, vt sua esset animæ salus corpore moriente. Illud non reticendum. Cum admoneretur anicula iam perdita valetudine, vt hæresim excuteret, & aperiret noxas, obstinatione iraque muliebri audire noluit, sed expulit admonentem: is erat vnus ex nostris: qui altero post die cum redisset pietate vrgente, prostratam repperit humi, in feralli lecto, cinctam, similem expiranti, propinquis appellat eam contenta voce, non auditur, aut contemnitur: tum conuersus ad astantes. Talis, inquit, est finis negligentium Christiana mysteria. tum mulier, veluti experrecta somno, cunctis admirantibus, confiteri se velle testatur: confessaque primum, remotis arbitraris de omni vita, postmodum volens viatico refecta, viuendi finem fecit. vxorem vir imitatus, parentes deinde filius, simili remedio vsi, simili

li morbo corporis ægrotantes, et animi perfidia. Publicæ custodiæ crebro obitæ: tum maxime, cum concitatæ seditionis ministri scelerum pœnas dedere: prouisum, ne capite damnati ducerentur ante ad supplicium, quam expiati criminibus & sacrosancta Eucharistia rite percepta. Porro e carcere, nostrorum precibus, erepti aliquot: non nulli mitius tractati: duobus etiam capitalis pœna remissa. Hæc inter, pauperes, siue in Xenodochio agerent, siue precario producerent vitam, adiuti liberali impetrata eleemosyna a fundatore nostro sustentandæ inopiæ: cui magnum subsidium, hac difficultate temporum, in industria nostrorum. hæc veluti illecebra multis fuit ad amorem castæ religionis. His tam prosperis initijs interuenit ab hæreticorum nube tempestas, cuius morum, exitumque expediam, Cautum erat, fauore Catholici ritus, vt quisquis sacræ expers confessionis diem obisset extremum, ad sepulcrum duceretur, sine supremo honore æris campani: hoc propterea constitutum, exemplum vt esset pertinacibus, ne tali infamia notari vellent. Moritur forte ex ea colluue anicula, postridie calendas Quintiles: conuolant improbi, parati ad quidlibet audendum, irreppant in turrim maximi templi, adductos funes prope re expediunt, pulsantur campanæ, eo violentius, quo vetita magis accendunt: sed non latati longum,



gum: comprehenduntur a Prætorē posttridie  
 in carcerem abducendi, iussu Senatus: cum  
 obniterentur trahentibus, & clamore edito  
 quirirarentur: accurrunt alij de plebe, arma-  
 ti ferro, simili audacia, et, simul strictis mu-  
 cronibus, simul ad multiplicandum terrorem,  
 exploso sclopo in Prætoris latus, vi soluūt fon-  
 tes, saluosque deducunt extra mœnia vrbis:  
 mox patrato facinore, denso scloporum ictu  
 calum euerberant per lasciniam, lati victo-  
 ria. Vbi hoc compertū illustrissimo Domino,  
 litteris ad Senatum missis, eius perstringit ni-  
 niam quietem, occipiente turba: excitat di-  
 ligentiam, ac fidem: non defensum Prætozem  
 aduersus furiosorum insolentiam, non affectos  
 pœna turbatores, grauiter exposulat: proin-  
 monet etiam atque etiam dent operam, ne  
 paucorum impunitas in publicam perniciem  
 erumpat. Recitatae sunt pridie idus, (is erat  
 Dominicus) in Prætorio, Senatui populoque,  
 maiore expectatione, quam fructu. etenim,  
 die insequenti, cum, quasi ex condicto, nescio  
 quis ex eadem hæresi animam efflasset, & fo-  
 nitus campani æris negaretur interdicto, aui-  
 di nouarum rerum, concursu, vt prius, ad ædē  
 principem factō, moliuntur fores, & funebri  
 sono omnia complent. frequens is erat dies,  
 ac celebris: mundinarum nempe: & de vicinis  
 quamplurimi confluxerant in vrbe causa cō-  
 mercij. eo cum tulissent indignius Præfecti, vr-  
 bis,

bis, senatoribus coram accersitis in arce, vio-  
 latam maiestatem Principis, neglectumque  
 imperium atrociter conqueruntur: gliscere  
 in dies impunitam perditorum audaciam:  
 quod contatione delictum est haecenus, Seue-  
 ritate corrigendum. decernitur, vt seditio-  
 num ministri vinciantur: cū citarentur a sena-  
 tu, se sistunt vnus atque alter: conijciuntur in  
 carcerē: rem alij subodorati vocati iterū ac sa-  
 pius, aiunt, nihil sibi esse magnopere, quod  
 in arce agant: tergiuersantur: denique, omif-  
 sa simnlatione, ituros in carcerem negant.  
 concurrant interea domos, cient turbam: & o-  
 pinio est delecturos fuisse nocturnum tempus  
 talibus motibus opportunum: insanam vide-  
 licet, siue obtegentibus tenebris, siue accen-  
 dentibus, audaciam. verum, an quod effron-  
 ta ferocia, spe sceleris concepta, sit periculi  
 patientior, quam moræ: an quod in nouandis  
 rebus tuta festinatio: ne quid deesset ad ma-  
 gnitudinem sceleris, rem audent temerita-  
 tis ac furoris non ferendi. coacta manu, arre-  
 ptis armis relisque, militaribus, agrestibus,  
 quæ cuique fors obtulerat, aut ira, non aliter  
 ac si ducerentur in hostem, strepente tympa-  
 no se ad dimicandum parant. tum e muro (clau-  
 sa enim erat repentino terrore ciuitas) fu-  
 burbani conuocantur: nec diutius contati il-  
 li, eadem rabe infecti: effracta porta in urbem  
 irruunt, quasi victam: propero agmine, in



forum: omnesque viz, atque aditus obsidentur. Hæc intuentes Præfecti, cum quemadmodum sedarent, nescirent, & quorsum eaderent, timerent, magis id adeo ut facerent officium suum, quam vt sperarent profecturos quicquam in tanto consensu multitudinis, per seruum publicum confestim armari ciues, armatosque ante arcem consistere, edito iubent: irrito consilio: vltimam enim edicentis vocem consonus irrisus excepit scloporumq; strepitus tribus in locis: diceres ex compacto. In hoc tumultu vrbis, ac fremitu armorum, nostri ignari rerum, trepidantes (vt est maior ex incerto metus) ad solita confugiunt precum subsidia: vnum in locum conueniunt, misericordiam numinis, & cælitum suffragia expetentes vno animo, verbis requirentes. At adulta iam seditio ad arcem peruolat: tum Præfectorum vnus e suprema specula, vt exaudiri posset. Quo vos (inquit) agitis? an vestram in arcem armamini, pro qua iurati estis arma capturos? Hæc ne vestra illa fides, qua polletis præter ceteras gentes, celebrata veterum annalibus? hæc iuris ac Principis reuerentia? videte ne quam rem tentatis in præsens lymphatis animis, plenam flagitij, sit futura in posterum periculosa. Longiorem orationem non admisit instructus furor: quin eo magis exarsit, vbi se timeri intellexit. Proin cunctos senatores, qui tum co-

Et erant in arcem in rem præsentem consulta-  
 taturi, quasi per vim tenerentur, dimitti, mi-  
 naciter petunt. cum impetrassent, paulisper  
 quies. sed quoniam prima prouenerant, ad  
 grauiora se accingunt: facto agmine arcem  
 inuadunt, reuellunt claustra, suggesti, in pe-  
 netrale ipsum, ubi causæ iudiciaque actitari  
 solita, infestis armis feruntur, animisque per-  
 rumpunt ualuas ingenti hiisu, euertuntque:  
 cum Præfecti non apparent, qui quærebantur  
 (quippe per secretam ædium partem se  
 opportune subdlexerant) recta ad carcerem:  
 disiectis repagulis e custodia educuntur con-  
 citatores turbæ, ut qui donantur libertate, u-  
 surpata lætitia, mox aucti numero viribusque,  
 non in composito, ut dudum, agmine, sed qua-  
 drato, ueluti ad expugnandam urbem, ad  
 Collegium iter intendunt. primo statim in-  
 cursu increpère tormenta ænea, plurima q-  
 grandio plumbea insiluit in specularia: dein  
 ruitur ad ianuam dolabris securibusque per-  
 fringendam: eaque iam sonabat multis & as-  
 fiduis ictibus. nostri primo præter terrorem  
 & minas nihil ultra ausuros rati, ubi vident  
 rem serio agi, & adhuc persistere: neque esse  
 quemquam, qui iratum populum demulceat,  
 siue metu, siue quod paterentur omnes, quæ  
 plures uellent: ueriti, ne si obicerent se insa-  
 norum procellæ, insanire uiderentur, confe-  
 runt se in impluuium interius, inde in ædifi-



cium nouum: tum (quod fieri in subita formi-  
 dine solet) cum omnia metuentibus præsen-  
 tia maxime displicerent, an quod illac quo-  
 que turba furens minitaretur ingressum; re-  
 grediuntur in impluuium. Hic cum inter se  
 aspectu tacito, vota, sublatis manibus, in cæ-  
 lum inferentes, pro vario animorum motu,  
 pars ire obuiam hosti, armisque verba oppo-  
 nere meditantur: plures ipsius diei memores  
 (erat iduum Quintilium, quem propter illu-  
 stres exitus pro religione, sociorum: sine qua-  
 draginta duce Patre Ignatio Azebedio, vige-  
 simo ante anno: seu quinque, proxime octa-  
 uo, duce Patre Rodulpho Aquiuuio, sollemp-  
 nem Societas nostra habet) implorato cuncto-  
 rum auxilio, excitant se, vt gerant animos  
 nostri muneris professione dignos, vsque ad  
 constantiam opperienz mortis: famulus e vil-  
 la, boum custos, diuino instinctu, Me sequi-  
 mini, inquit, inueniam effugium. placuit spem  
 vltimam experiri: sequuntur, quid fugerent  
 magis, quam cui fiderent certi. O fides, quam  
 sæpe in iis desideraris, a quibus abesse non de-  
 bes: lates in pectoribus, in quibus non quere-  
 remur, nisi adesses. Ingrediuntur domum,  
 quæ continuata nostræ nobis est empta, sed  
 tunc quidem tantum ex parte possessa, reli-  
 quam Præfectus vnus vrbs cum familia obti-  
 nebat. Hic ipsius vxor, cum leuiro, & alio ci-  
 ue (nemo erat Catholicus) non secus, ac si  
 præsto-

præstolata esset aduentum, festina occurrit, atque illico bono animo esse iubet: clauem, quam habebat in manu, latibulum aperit, obferatque munito circum fornice, ac robore postium obductum, non intuto recessu. monet deinde conscios, vt rem tanti periculi tacitam velint, remanserat in Collegio, dilabentibus ceteris, vnus e contubernio pauperum, siue quod tardius molitur fugam, siue quod spe citius hostes aduentant. circumstant iuuenem armis probrisque: vi subigunt, ad indicandum, vbi Iesuitæ delitescerent: nec verberibus parcunt: nihil extorquent: dein conuersa interrogatione, Vin fieri Lutheranus? Superi meliora, respondet magni animi adulescens, verbera repetuntur. Ad extremum. Vis credere in Deum? Ego vero numquam fidem mutavi. Hoc dicto excanduerunt impij adeo, vt affectum pugnis calcibusque, proturbarent e scalis, quibus institerat: vnde, repentina alio tendentium illorum excursionem fere obtritus, vix incolumis euasit. Ceterum quam vacuam hominibus domum conspexere, vacuefacere student quouis instrumento. igitur vestem omnem domesticam, forensam, stragulam, linteamue conscindunt: supellectilem, fictilem, ligneam, vitream, frangunt, elidunt, comminuunt: contundunt denique corrumpuntq; quicquid ad manum, aut in promptu: & ne quid supersit integrum, scrutantur



abdita, & omnia rimantur: ipsam etiam plu-  
 mam e diffusis culcitis dispergunt in ventos:  
 vitri specularis facti infectique fragmina cū  
 farina permiscent. in ipsam vero bibliothecam  
 refertissimam libris optimis, monumen-  
 tis sanctorum Patrum, furenter debacchari,  
 concerpunt primo certatim, tum quoniam  
 multitudo defatigabat, aut impatientia lon-  
 gioris temporis, e laniena, accitis bipennibus,  
 in partes conscindunt, iactantque in subie-  
 ctam aquam, incenia interfluentem: vt ne par-  
 uulæ quidem reliquæ e tantâ vastitate exi-  
 sterent, ferociter interminantes. non secus,  
 ac si disperditiōe librorum, qui alunt scienti-  
 am, corroboratam quoque virorum scienti-  
 tium memoriã obliteratam iri arbitrarentur.  
 Sed super cetera, o scelere furor: horret  
 animus referre: pucherrimam IESV Chri-  
 sti imaginem, illa flebili specie, qua cum capi-  
 te spinis obsito laceratum, ac vexatum misere-  
 rum in modum Pilatus populo ostendit, inci-  
 tandis animis ad misericordiam, arreptam sa-  
 crilega manu violant, conficiuntque imposi-  
 tis totidem plagis, quot ille olim in Cruce  
 pertulisset: quod spectaculum ita indignum  
 visum mulieri cuidam, vt exclamarit, per mo-  
 dum vaticinantis, futuram vltionem. At illi,  
 his quasi alimentis magis ira succensa, intro-  
 spiciunt omnes recessus domus, explorat an-  
 gulos cum fremitu, & clamoribus dissonis:  
 nec

nec reliqui quicquam faciunt, quo minus ten-  
 rent, excutiantque quod latebram dare pos-  
 set: & audierunt nostri, videruntque per ri-  
 mam, canes odorantes: quo magis veluti iam  
 propinquante exitu, mutuis sese hortari ser-  
 monibus, ad constantiam accendere, diuinum  
 agnoscere beneficium, grates agere, tum per  
 confessionem expiare noxas omnes, petere ge-  
 neratim singuli delictorum veniam, & dare,  
 inuocare Sanctorum patrocinia nominatim,  
 in supremo periculo, sese veluti hostiam liben-  
 ter offerre, vt pulcherrima obsignarent mor-  
 te Catholicam fidem. Deo aliter prouidente.  
 septem iam horas ea disquisitio tenuit. Disper-  
 gitur interea, frustra quæri Iesuitas, iamdu-  
 dum per posticam celeri fuga elapsos. itaque  
 triplex in eos rapitur agmen triplici via: præ-  
 mitrunt, qui dispiciant contentiore cursu: sci-  
 tantur obuios: adultas ipsas etiam segetes  
 intrant, indagantes latebram, aut vestigia fu-  
 ga. quærendo denique, & currendo fessi, re-  
 deunt in urbem, ad spoliū Collegii, donec  
 exhausta iam penitus & exinanita domo, im-  
 manis illa rabies aliquantis per confedit: mox  
 quasi re bene gesta, tota belli moles in cellam  
 vinariam incubuit: Italicum vinum sperabāt,  
 Bacchum spirantes, in quo eos res sefellit, Boe-  
 mico reperto. Enimvero erat magna iam si-  
 tis, qua clamore, qua iracundia, qua discursu,  
 collecta. Cæterum, dato veluti signo, cum



virtutem extimulassent patrio affatu, concurrunt, vulnerantur dolia, sanguis vix effunditur, canitur, potatur, vomitur: non semper felici victoria. multi sauciati sine ferro, sine hoste turbati, sine pugna interfecti, ut tamquam mortui aliorum manu fuerint exportandi. feruntur & ebrii nonnulli, forte quod non esset amplius, in quod furerent, furore aucto, in mutuos ictus arma vertisse. Hæc finis belli. ea certe materia visa est ad restinguendam omnem flammam seditionis apta. alioqui fama est, in Prætorium, & vrbis cuiusdam Præfecti domum, contumaci spiritu impetum fuisse facturos. Sed nostri, cum iam deflagrasset tumultus, gratijs Deo actis, modico recreati cibo, quem matrona attulerat, comitibus Præfectis vrbis, & aliis quibusdam, in arcem eiusdem illustrissimi Domini (Rubeam vocant) dimidio milliari Germanico Comotouia distantem se recipiunt, nocte protecta: mox in oppidum Libochouicum, vbi quadraginta fere dies versati sunt. Habet hoc natura immane quodlibet facinus, ut non nisi perpetratum agnosceatur, fallat in perpetrando. Quippe Comotouienses, postquam ira decesserat, furoris ebrietate veluti discussa, perpendere magnitudinem perfecti sceleris, si tristiora Princeps quam mitia vellet, exitium patriæ allaturam: ita inopes consilij, implorato primo in suffragio, ac patrocinio

Cæsar

Cæsaris: pudore victo ( tantum valebat cu-  
 pido obtinendæ veniæ, ac sæpius experta no-  
 strorum benignitas, a quibus nemo vñquam  
 frustra auxilium petisset ) non ignari vbi  
 essent, nostros quoque precatores parant:  
 neque hi adhibere vllam memoriam iniuriæ,  
 aut moram: misis litteris diligenter scrip-  
 tis, excusantes mobilem impetum populi, nec  
 semel incitatum facilem esse ad cohibendum,  
 Principem orant, vt ( quæ est eius clementia )  
 pœnitentia malit ciuium, quam pœna conten-  
 tus esse. Legit libenter litteras optimus Prin-  
 cepti, & vehementer admirans tam subitam  
 obliuionem contumeliæ, Comotouiensibus o-  
 stendit, cum hoc dicto. Videte, an tale auxi-  
 lium tam dementi facinore commeriti sitis:  
 tamen, prudens moderandi, maluit alieni iu-  
 dicij rem esse: regni proceres, quorum consi-  
 lio vtitur Cæsar, eo permittente, accipit in ar-  
 cem Rubeam, inuitatos simul, vt causam co-  
 gnoscant: de horum sententia ( illa solum at-  
 tingimus, quæ ad nos pertinent ) cum re audi-  
 ta, non in plures quam in duos animaduerti  
 placuisset, statuitur ut resarciantur damna.  
 Collegij: nostri legatione publica reuocentur.  
 Ergo, decimo calendas Septembres, missi ali-  
 quot e senatorio ordine cum equitibus curri-  
 busq; illustri magnificentia, quibus & vnum  
 Princeps adiunxit cum primoribus ex aula,  
 tamquam ex proximo, ad Patres reducendos.



incidit reditus, siue de industria dilatus est, celebratis fugiendæ, sub obscurum diei, nec tamen vitata omnis gratulatio est. Ea nocte recepti in arcem. Postero die (festus erat beato Barptolemeo Apostolo) Senatus omnis, cum frequenti populo, communis lætitiæ celebrandæ, in templum venit, pro conseruata vrbe grates Deo actæ: neque diuina sollempni more confectæ, reditum in arcem, veniamque Senatu petentæ, & datis dexteris, non siue lacrimis consalutatio repetita. Augebat gaudium recordatio præteriti temporis. Inde in Collegium longo ordine, & magnifica pompa, ingressis deformata facies apparuit, vario animorum sensu. mæsti omnes: sed illi, communis vestigia sceleris tacita cogitatione recognoscere nostri (tum demum animaduertentes quale effugissent periculum, & liberatorem Deum) in quem furorem prolapsus populus, in quam cæcum errorem inductus, ex tam miserabili rerum imagine æstimare. At Senatus horare tanto impensius, vt capiat obliuio presentium, polliceri recentia damna beneficiorum magnitudine compensaturum, nec fuit difficile placare animos sua sponte ad misericordiam flexos: quibus & interea, dum repurgatur domicilium, atque instauratur aliqua ex parte, parcæcia, quo deducti eodem comitatu, diuersorium fuit.

VA RALIENSE COLLEGIVM.

**H**IC ETIAM, sex pagis, fere cunctis, Catholicam fidem complexis, paganisque confessis rite, & hoc primum anno caelesti epulo refectis, haëreticorum contra nos impetum diabolicus furor armavit. Die sancti Iacobi, Turociensis Comes collectis agrestibus ad quattuor milliaparociam sancti Georgij, quam procurabant nostri, violentus inuadit: quo minus eorum caede litarent impietati suæ, Dei prorsus beneficio, & Rectoris pronisu, factum est, quemdam certe audiimus suum deuouentem caput, nisi Iesuitarum sacerdotem vnum ea luce mactasset: et apparuit signum aliquod numinis offensi: etenim vxor Comitiss anteà decumbens, eodem die, quo illa agitabantur, inualecente tabe adeo correpta est, vt et filium, & nurum, & maritum afflauerit: neo miserior, sibi que & domesticis iam grauior morte ipsa, quod funus extendat, nec infelicem vitam desinere possit, cum maxime cupiat mori. quin & Comitiss frater in præclara acie antesignanus, non multo post afflictus morbo, alterum fere pedem amisit. Alius equo effusus, inspectante sacerdote, haud multum absuit, quin exanimaretur. nec defuit, quem fures domum eius irruentes inter prandendum veste auroque spoliatum pæne interemerunt.

Minister



Minister quidem animam fudisse dicitur, cum  
 cruore, super mensam. At contra, exiit in Ca-  
 tholicos diuinum auxilium, siue vbertate fru-  
 gum, siue cælesti agno in manifestis periculis  
 opem ferente: siue senibus (numero quinque) ex-  
 trema ætate ( plerique enim nonagesimum an-  
 num exceſſerant, vnus etiam centesimum o-  
 ctauum ) propagata hætenus vita, dum mor-  
 ti proximi per nostros cum Ecclesia reconci-  
 liarentur. nam vnus quidem nunc est nonage-  
 nario maior, qui eorum insiftēs vestigia, eum-  
 dem exitum expectat. At vetula mulier, ex  
 hæreticorum gurgustio huc veniens, ad diui-  
 nam lucem primum, mox etiam egressa ex er-  
 gastulo corporis, ad cælum, vt confidimus, e-  
 merſit. eius animam eadem hora vidit quidam  
 ad ortum Solis se ferre pulcherrima forma.  
 Hæc inter, quædam etiam abſuere propius  
 a miraculo. Mulier hæretico loco diutius æ-  
 gra, vt consuetis remedijs sanari non posset,  
 admonita secundum quietem a viro, quem  
 canicies iuxta & maiestas venerabilem facie-  
 bat, vt medicinam peteret a lustrali aqua, cum  
 paruiſſet, persanata est: eademque in re simili,  
 vt idem experirentur alij, exemplum, & au-  
 ctior fuit. Sed & adolescentis pietas spectata,  
 cum deprehensum domi furem, & coniectum  
 in vincla, liberum esse iussit, hac tantum ve-  
 luti lege, vt quam primum de peccatis fatea-  
 tur, indicta: quidam triginta, & amplius, millia  
 ribus.

tibus Germanicis ad nos se contulit gratia  
 confessionis. interim et aduersarij furtim per-  
 repunt ad nos, suorum Ministrorum fraude in-  
 tellecta: et inuenti, qui receptam religionem  
 constantissime tueantur. nobile exemplum  
 senis, quem neque carcer trimestris, neque  
 contumeliæ, neque obiectorum infamia cri-  
 minum, neque acceptum non exiguum dam-  
 num in re familiari; potuit quicquam de pro-  
 posito demouere. Varaliensium porro, trium-  
 que pagorum adiacentium pietas Catholicis  
 ritibus colendis, inter perfidiam hæretico-  
 rum (cum rei diuinæ ad finem vsque dant ope-  
 ram nixi genibus, in summa hieme, quasi bel-  
 lum frigori geluque indixerint: cum seruant  
 ieiunia: cum per ætatē ac sexum distincti fre-  
 quentant sacra mysteria: cum supplicatio-  
 nem obeunt circumlato Christi corpore fre-  
 quentes: cum denique nulla re magis, quam  
 Christianis operibus delectantur) non com-  
 mittenda videtur litteris: cogitetur potius,  
 quam dicatur. Anniuersarius agitabatur dies  
 nostri templi: populus in oppido plurimus: af-  
 fluxerat, ob propinquitatem locorum, virilis  
 ac muliebris sexus: secundum epulas duce-  
 bantur choreæ: illuc vnus e nostris: citharce-  
 dum, vt se sequatur admonuit: illum deinceps  
 cum saltantes sequerentur, & spectan-  
 tium circumfusa turba, perducti omnes in  
 templum: & lasciuia cantio in sanctam muta-  
 uit.



uit. Adiuuant discipuli, quorum iam schola  
 lxx quattuor, proxime addita schola Humanita-  
 tis. Ceterum missi tres in pagos alioqui non  
 inutiliter, diuina prouidentia rei bene geren-  
 da occasione in praesente: mortuo duce ini-  
 quitatis, qui corruptus corrumpebat gregem.  
 Itaque scellix sic uiret recta religio, ut vicini  
 Catholicam fidem scelliensem appellent. fere  
 omnia exercita hic officia nostrae Societatis.  
 Soluti peccatorum uinealis ad sexaginta sex,  
 detegentibus plerisque, quod in uita uniuersa.  
 Septem confenserunt in rectam religio-  
 nem: idem ut faciant, in finitimis pagis alij  
 plures, spes est ab infecta luce, qua cum volu-  
 ptate omnium explicatur, Christiana doctrina.  
 Factum est alicubi, ut cum sacerdos inci-  
 disse in mortui funus, multa prolocutus de ul-  
 tima necessitate, quotquot aderant omnes in-  
 duxerit, pro fidelibus defunctis, ad preces Deo  
 effundendas: quae consuetudo multis ante an-  
 nis exoleuerat in illo tractu. Haec inter ac simi-  
 lia, non desuere, qui caeci fraude & ira, tribu-  
 lam aliquam aspergere nostro nomini conati  
 sunt. Sed breni, Deo adspirante, diluxit dolus:  
 et inflata crepuit iracundia, inani ictu.

PRO-

PR O V I N C I A  
P R O V I N C I A  
GERMANIA SUPERIOR.



BTIN VIT ANNO superiore, vñdecim Domicilijs socios ducentos sexaginta duos; altero, nouem plures, vtroque amisit, vt coniuncte ponantur, sex, admisit triginta quattuor.

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

DISCIPVLORVM industriam & pietatem acuit exemplum Philippi & Ferdinandi serenissimorum Bauaria Principum, Ducis Guilielmi filiorum: serenissimi item alterius Ferdinandi, vetustissimi liberorum Caroli Archiducis Austriaci, qui & ter, vno anno, specimen dedit sui profectus, perpolitata oratione, & eruditis auribus digna; & auxit spectaculum dramatum quinque perelegantium datorum apparatu plausuque iuxta insigni. Congregatio Dei genitricis triplex, fertilis bonorum operum: castigatio corporis, flagello inflicto, numquam aequa assumpta, tum Quadragesima tota, tum maxime hebdomada suprema, excitatum sepulcrum Domini prælucens facibus mirifico instructa: assidentes, adole-



scentuli senī, in spēciem Angelorum, diuinas  
 laudes cantu assiduo personabant: ex ijs, in  
 horas singulas, dictabat aliquis materiam  
 Christi cruciamenta meditantibus. Sollemnis  
 supplicatio, iam & propria Congregationis,  
 in Parasceue ad quinque vrbis templa (sive  
 procedentes consideres pueros, cum Christi  
 insignibus, Angelico cultu: sive indutos sacco  
 veste ferali, nudipedes, sese acriter templis in  
 singulis diuerberantes: sive intermixtos, qui  
 crucis argumenta præferrent sublati signis:  
 sive accensa funalia, lucentemque viam, lon-  
 go flammaram ordine, nocte sublustri: sive co-  
 mitatum ciuium primorumque vrbis, & ma-  
 gnum præterea numerum vtriusque sexus, ve-  
 ra cum significatione pietatis) celebrata an-  
 no priore, vt numquam antea, illustrius. Vi-  
 ruit sodalium religio, vt semper, & eluxit  
 quodam flore virtutis, mitto communia. De-  
 ploratæ vnus iam vitæ remedium a castitatis  
 matre repperit, credente vix familia, perpe-  
 tuæ castitatis voto concepto. Porro ex Con-  
 gregatione ipsa transire in Societatem no-  
 stram quinque doctrinæ ac pietatis expertæ.  
 Ad binas illas conciones, de quibus alias scri-  
 ptum, addita tertia, concionalibus diebus  
 omnibus, in nostro templo. Quod & in Xe-  
 nodochio, locisque varijs, vrbem extra, vsur-  
 patum frequenter. Catechistæ sex iuuentu-  
 tem instruunt, vrbani duo, pagani ceteri: ne-  
 que

que interim præſidiarij milites neglecti. Vici-  
 nos quosdam in locos Roſarij cōſuetudo poſt-  
 liminio reducta. ornari templa, inſtaurarique  
 cœpta. permulti libri, vt etiam in vrbe ipſa,  
 quos habere nefas, exuſti. Coniuges duo, cum  
 prole familiaque, & alio quodam vicino, Ca-  
 tholicorum Eccleſiæ redditi. Lutheranorum  
 ciuitati, quæ per nos adita, religionis ſcrupu-  
 lus, noſtræque Societatis cupiditas iniecta.  
 conſitentium in vrbe, quanta non alias mul-  
 titudo: vt quibus audiendis ante, quattuor ſa-  
 cerdotes, nunc ne octo quidem ſatiſfaciant.  
 in his eluerunt totius vitæ maculas ducenti  
 duodecim. Mille ſeptingenti natali Domini  
 communicarunt: totidem, iubileo indicto, a  
 prauis opinionibus ſe eiecerunt ſexaginta  
 quinque. adiuti etiam qui attinentur in publi-  
 cis vinclis. in his tres florentes ætate iuuenes,  
 iam biennium, ita ſeruant pietatem, vt car-  
 cer verterit in Cœnobium. pluribus menſibus  
 mulieres aliquot magicæ artis ad bene mo-  
 riendum inſtructæ. Sed interea, non incom-  
 modum erit non præterire nonnulla, quæ a  
 Deo videntur profecta, vt non ſolum ad tem-  
 pus eſſent vtilia, ſed etiam ad exemplum. Ado-  
 leſcens ad octiduanam confeſſionem incita-  
 tus voce ſecundum quietem ad animum per  
 aures demiffa. Aerumnosa mulier, leuitate  
 naturæ, ſiue grauitate ærumnæ, implorato dæ-  
 moni ſeſe deuouit, vt opem ferret: & tum  
 qui



quidem non sensit præsentem : verum in potestatem vt redijt ex marore , dedit pœnas iacti verbi , terroribus non tantum pauida , sed & verberibus tunsa : vt etiam ab aditu nostri templi prohiberetur , virgarum quas solû ipsa conspicabatur , intentu . Cum rem narrasset matronæ cuidam , adducta ad sacerdotem nostrum , ab eoque confessione purgata est , omnique molestia liberata , cerea cælestis agni imagine ad collum appensa . idem remedium alteri fuit eodem morbo laboranti . Notum alia virginitatis , & monasticam vitam , cum incestis nuptijs mutarat propinquorum impulsu , non impune , nempe cõiuncta est cum viro nequam , neque deserebatur vniquam ab angore conscientiæ : ita misere viuebat , cum afflctaretur aliquando his curis , & caret solatio , domo egreditur : mox daemone cum ingenti terrore conspicit , fugatque cruce obiecta . sed confestim tamen , non secus ac furijs iacta , quoduis facinus in mane meditatatur . intermicabat in his tenebris aliquid lucis . confugienti ad preces , vt ad exortum Solis nebula , timor abscessit . subit cogitatio confessionis , & recordatio fidei violatæ : nimirum hoc seminarium mali . cum accessisset ad ædem , multo magis cum perumpere conaretur ad sacerdotem a confessionibus , retraheretur quasi manu iniecta . donec tandem aliorum auxilio exemploque , & seipsam , & malum daemo-

dæmonem vicit. Hoc admirabilis. Cultui  
 beatissimæ Virginis deditus quidam, graui  
 perpetrato diurno scelere, quietem capiebat  
 nocturnam: cum sub primum somnum exci-  
 tus est ab incerta voce obijcientis commissum  
 flagitium recens: & venisse se, vt supplicium  
 de eo sumeret, obstrepentis: non oblitus est,  
 in supremo periculo, veteris patrônæ eâ inuo-  
 cata aduentum non differt, pellitque hostem  
 immanem, hæc cum fremitu ingemiscentem.  
 Enimvero summa iniuria est, me, vnicum pro  
 pter peccatum quod admisi primus, æternis  
 pœnis adictum: istum, tam multis cooper-  
 tum sceleribus, ad spem veniæ reservari. Ex-  
 citauit strepitus domesticos omnes: qui metu  
 attoniti missam exaudire vocem cum strido-  
 re horrendo. Hac de re hæc tantum accepi:  
 reliqua credo in audientium opinione ponun-  
 tur. Serenissimus Dux Gulielmus, cui prope  
 omnia Collegium debet, Herbipolim discesu-  
 rus, rem diuinam, concionemque apud nos au-  
 dit, cum serenissima coniuge, quæ sacerdot-  
 is ornatum, altarisque, auro sericoque inter-  
 textum reliquit: & cum Maximiliano Duce,  
 filio natu maximo, nostraque e disciplina  
 haud dudum egresso: qui ad alia munera adie-  
 cit magni pretij vrnulas, pateramque, aptas  
 sacrificijs, sui erga nos amoris & pietatis mo-  
 numentum. Nec minus etiam ciues, nostri  
 amantes, templum nouum frequentibus de-



nīs exornant. Ceterum, priore anno, extremum diem obiit Pater Gaspar Stauderius, vir singulari mansuetudine, atque animi demissio, ne excellens.

### COLLEGIVM DILINGANVM.

**D**E TRIPERTITA hic quoque adolescentium Sodalitate, addiscendæ pietatis & exercendæ, supplicatione anniuersaria, sollemne ad sepulcrum immortalis vitæ auctoris procedente agmine illustri, eadem fere, quæ proxime in Ingolstadiensī, paucis mutatis, dicerentur: nisi satius videretur indicare, non iterare, fatietatis vitandæ: et hoc satis Dilingano esset: in quo maiora, & potiora habentur. Caritatem tamen vnus e sodalibus filere nō possum. Animaduertit quemdam tristem, ac demissos cum vultu animos sapius gerentem, lacrimantem procidere domi in genua dies noctesque ante Crucifixi imaginem, & congressus præterea hominum & colloquia vitantē: suspicatus, id quod erat (quod & hic postea rettulit) ne commissum aliquod scelus & tacitum agitaret hominem, furizque tæterrimis visis insectarentur, blande se in eius sermonem insinuat: atque (vt plerumque faciles sunt ad loquendum in calamitate mortalium animi) eruit quod latebat: tum facile fuit sanare agnitum morbum, ad medicum

## GERMANIA SUPERIOR. 291

cum ægro, idest ad sacerdotem, adducto. sodales porro omnes vel ex eo discas, quod exijs, sedecim ingenio ac virtute præstâtes in Societatem adscripti duobus annis, super eos, qui alia Cœnobia præoptarunt. Conuictorum Collegiū adeo excreuit, vt (quod rarum alias) in solo Humanitatis Gymnasio triginta Monachi numerentur: horum omniam de ardore virtutis, afflictatione corporis, pioque studio in Matrem Magnam, dictum olim: neque nunc repeti est necesse. Superiore anno dysenteriz molesta quædam lues huic vrbi, Collegioque incubuit, & vulgabatur contactu: ea adulescentes quinquaginta laborarunt: & non nemo extinctus. correptus est ex horum numero quidam illustri familia, sed magis virtute, cum intelligeret appropinquare mortem, ad vltimum se certamen comparabat sub patrocinio Virginis: quæ & clientulo affuit, in tabula præferens eius nomen, & aliorum quorundam, aureis litteris: addidit, migraturum ad cælites, post exactum breue aliquod spatium in igne purgante. Narravit hoc latitiz ac spei plenus sacerdoti vicino: & sacerdos illico, Per ego te Dei genitricis amorem rogo, vbi ad beatorum sedem deueneris, his Collegij incommodis tam grauibus ac diuturnis finem a Deo impetra: & quam nostras propter noxas diuinam meremur iram, auerte. recepit, & abiit. mirum dictu: ab eius discessu, illo mor-



bi genere, nedum mortuus sit aliquis, ne agra-  
 tauit quidem. Nec minus proficitur in studio  
 litterarum. Serenissimus Bauariæ Princeps,  
 cum coniuge liberisque cum hac iter haberet,  
 inuiseretque Collegium ac templum, Latina  
 oratione, & pulcherrimo dramate exceptus  
 est: hoc profecto admirabilius, quod, impro-  
 uiso fere aduentu, decimum intra diem prope-  
 randum fuit. Ex auditoribus porro nostris,  
 quattuor excellenti doctrina, vnus præterea  
 aptus rei domesticæ, ad Societatis tyrocinium  
 admissi: sed abeamus a scholis. Ad Patris  
 nostri Ignatij exercitationum formulam se  
 excoluere non pauci: in his, Abbates duo, ma-  
 gno, cum suo, & eorum quibus præsent, Mo-  
 nasteriorum fructu. Initia religionis Christia-  
 næ, edito etiam Cathéchismi compendio, tra-  
 duntur de more teneræ ætati, rudique homi-  
 num generi, vtiliter: nec sine addiscentium  
 alacritate, aucta munusculis, Episcopo præ-  
 bente. Affigitur passim per domos tenuio-  
 rum vna aliqua imago elegantior, conspicuo  
 loco, quam mane & vesperi sua quæque fami-  
 lia veneratur, ad eam rationem, vt singulis  
 pæne hebdomadis domestici omnes Cate-  
 chismi capita percurrant. in ægrotos, eadem,  
 & elephantiacos, quæ alijs annis, præstita.  
 Veneticæ octo anus vlttricibus flammis addi-  
 ctæ: ad easque, de more, subiectæ curru, vno  
 e nostris sacerdote non inutiliter supremam  
 opem

opem ferente. mirum erat, id ætatis & studii mulieres, tam vero sensu respuisse. Ad rectam fidem rediere, vno anno, quingenti amplius & quinquaginta. Sed & adolescens nobilis, opulentis quidem parentibus, sed infectis hæresi, Dilingam venit, Catholicum se fore professus: acceptus est perhumaniter: fruiturque interea tum nostrorum doctrina, tum discipulorum liberalitate. Infans puer lenta tabe paulatim deficiens consecratæ ceræ particula adalligata ad collum valerudini redditus. Magna vis peccata confitentium. recensiti in Paschate, & Natali Domini, supra sex millia vno anno, aperuere eodem, noxas totius vitæ quadringenti quattuordecim. & apparuit fructus. Superstitiosa mulier, quæ laboranti sibi filijsque certas quasdam notas nexusque adhibebat improbæ artis, confessionis remedio sanitati restituta est. Eadem ratio viri cuiusdam, qui cantionum ope ac veneficiorum, faciebat medicinam iumentis, vnde lucellum illi cum gloria, vt intellexit per nostros fraudem dæmonis, ad meliorem artem, et sapientiore, reducendi fuit. Matriona grauissimo conflictata morbo, & a medicis deserta, exers confessionis obstinauerat mori: sed cum inuiseretur ab vno e nostris, deiecta de sententia, mox etiam de criminibus audita, & sacro Christi corpore refecta est: post hæc, melius est agræ factum, præter spem medicorum: quos



illa valere iusfit, vtiliore iam pharmaco, quod constituit sapius vsurpare in posterum, reposito. At malefici quidam homo ingenij, & audaciz promptæ, multa de morituris, distantibus quantumlibet locis, vaticinabatur, ludificante diabolo: a quo cum singulis pane noctibus excerceretur, incitabatur in rediu, oblata specie angustiore, ad grauiora flagitia. fluctuabat miser, etiam vulgo miserandus: sed, Deo adspirante, miseriarum tandem perfugium (quod alij etiam fecere complures) in portu confessionis inuenit. Vtilis etiam hoc anno nostrorum opera exitit multorum Cœnobij: in quibus religiosæ vitæ disciplina, vel infirmior munita, vel laxior correctæ: vt parietes intra eosdem, domum etsi non aliam, alteram tamen esse cœnobitæ ipsi mirentur. Vtroque anno repetita sapius Eluanga, illustrissimo Principe reuocante, numquam non cum messe, ac fructu. posteriore (nã de hoc solo discrete est traditum) statis diebus pœnitentiæ, piacularæ sacrum obiere mille quingenti quinquaginta septem: quæ præter ius fasq; admiserè in omni vita, prætere tringenta: in quotidiana Catechesi distributæ: institutiones piæ eiusdè Principis sumptu, qui & magnam vim pecuniæ ac frumenti contulit in vsus egentium. vere pastor populorum, ac tutor. ei cum obtigisset pagus ex obitu Lutherani cuiusdã, qui illum diu tenuerat, pollueratque: nihil habuit prius, quam,

quam, vt instituendum Catholice ac reforman-  
 dum curaret. excepti nostri a paganis proce-  
 dentibus obuiam vltra mille passus, horrida li-  
 cet tempestate, maximis signis eximij affectus  
 & cultus. tantus cunctorum discendi ardor,  
 consensus, gustusque Catholici ritus, vt refer-  
 rent imaginem Ecclesiæ nascentis. Euasere e  
 tenebris trium & viginti annorum ad vnum  
 omnes, insolitam aspicientes lucem, infinita  
 lætitia. cingebant porro omnem ambitum  
 templi densa corona, poplitibus flexis, eo ha-  
 bitu, vt sine lacrimis aspici non possent: et sa-  
 ne, qui aspiciebant, Catholici hæreticiue la-  
 crimabantur: sed diuerso motu: hinc, vt ag-  
 nosceres indignationem in vultu: illinc, vt in  
 animo voluptatem. quamquam in alia quo-  
 que excurrisse oppida pretium fuit. Religio-  
 nis desertor, & monasticæ vitæ, duodequadra-  
 gesimum post annum ad vtramque nostro-  
 rumque opera reuertit. Ad Cœnobium alter  
 quod reliquerat, vt adhæreret pellici, iam  
 anno trigésimo. Oetingæ (hoc oppidum æquis  
 ex partibus, Christum colit, aut Lutherum to-  
 lerat, ad exemplum dominorum, qui illud di-  
 uisum habent) ab hæresi soluti aliquot: multi  
 in fide firmati. auditæ confessiones, vno anno,  
 trecentæ. Vertingæ, Ginsburgique, nostrorum  
 sua su, per magistratus publicos, multorum li-  
 bido, et peccandi licentia coercita est. et ij,  
 iam vitati periculi gaudia liberati agnoscunt.



Suus etiam extitit Guaspurgæ, Vittislingæ, alijque in oppidis fructus, ex muneribus nostræ Societatis. repertus, qui viginti iam annos cum dæmonem se habere diceret inclusum vitro; recipiendis rebus furto ablatiis, per scrutandisque thesauris et effodiendis, ingentem thesaurum habebat mali: & vt errore agnito, in rectam rediret viam, instructus. In alia Eluacensi excursionione, iussu illustris simi Principis visitata omnia templa eius ditioni subiecta, commodo multorum. Ab hæreseos nexu septem, a peccatorum vinculis perpetratorum vel ab ipsa pueritia, erepti undecim. Monachus, propter nescio quid turbarum, coniectus in carcerem, hanc veluti infamiam ita impatienter ferebat, ut attonitus maestitia simul, ac desperatione, quartum iam diem abstineret cibo, & iam quintus imminebat: cum ei se obtulit dæmon noctu, in amici veteris effigie, solamen afferens mali, quin & effugium, Cœnobio relicto. apparuere postridie indicia fluctuantis: sed affuit vnus e nostris, qui opportuno sermone, labantem animum ac tristem, ad saniozem cogitationem, & ad spem vitæ melioris erexit. Vir præterea nobilis ita impotenter irascebatur cuidam, a quo fuerat violatus, vt placari vlla cuiusquam oratione non posset. hic nostri, quando flectere pertinacem non licebat, conuersi ad Deum, eum obsecrante, emolliat hominem. nec frustratæ pre-

tes. ipſemet, olim inexorabilis, ultro aaceſſit, ſuppliciter petens, vt, quandoquidem depoſita iniuriarum memoria rediſſet cum inimicis in gratiam, reponeremus in gratiam apud Deū. Ceterum, ſubleuata, vt ante ſapientius, Collegij inopia ſubſidio piorum. Praefectus ſacris ſcrinijs bibliothecam nobis moriens teſtamento reliquit. Sacrum inſtrumentum, auro, argento, ueste, auctum. Eos inter, qui promouent rem noſtram, primas tenent illuſtriſſimi Principes, Eluaceniſis Praepoſitus, & Auguſtaniſ Episcopuſ. Sed ſuam erga nos liberalitatem litteris expromi vetant. tanto magis par eſt nos memori mente recondere: vt cum illiſ ſumus obſequentes, ne ſimur ingrati,

### MONACHIENSE COLLEGIVM.

**I**NSTITVTVM ſeruabimus. Ad ſacram ſynaxim, vtroque anno, acceſſere vicena millia: treceni amplius, vniuerſam vitam relegere conſitando: ad hoc nonnulli adducti viſis ac terroribus nocturnis. nec deſuere, qui ingenti dolore capitiſ, aut corporiſ, laborantes, ſimul abſoluti ſunt criminibuſ, & morbo leuati. A meditatoꝝum perpetratoꝝne ſceleꝝrum, ſibiꝝque nece aſſerenda, complures deteriti. Virgo, quam ſceleſta mater deuouerat dzmoni, a quo & frequenter inuiſebatur noctu, Chriſto reddita. multarum etiam puella-

rum



rum pudicitia seruata. impuræ mulieres ad honestatem traductæ. Hæresim eiurauere tredecim. Iudaicos ritus dedidicit vnus. pax composita inter dissidentes. erga morientes, ac supremo destinatos supplicio assiduitas operæ non defuit. inter hos, egregius quidam artifex (si velles credere) fingendi auri, ad tam infame adductus exitium, quod non aperiret magistro motus omnes animi, & cogitationes suas, insidiante diabolo, cum inter Cappuccinos ageret, vt lacrimans ipse referebat, & sero reprehendens stultitiam suam. igitur, maleficiorum conuictus nostros accersit, a quibus erat ante alienissimus: nec quod reliquum fuit vitæ, a se vniquam dimisit. iudicis sententiam denuntiantis vltimam necessitatem nõ æquo solum animo, sed & libenti tulit: affirmavitq; vero gaudio, siue quod spes exempta exemerat metum, se ita animo cõposito esse, vt ne liberatione quidem iustæ morti præferret. hanc ille alacritatem immortalis Dei matri, a cuius famulatu numquam discessisset, referebat acceptam. Inuisi deinde monachorum cœtus, ac restituti obseruantia moderatorum, & veteris disciplina. Hæc inter, excursum interdum in suburbana, non pœnitendo fructu. Numerus ad nos confluentium causa doctrinæ, diuisus in classes vndecim, ex flore iuuentutis diuersarum gentium, adeo magnus, vt congeminarint inferiores tres classes,

classes, quibus iaciuntur fundamenta litterarum. proxime accessit schola de conscientiarum questionibus. Ceterum, cū instaret dies, quo & dedicandum erat sollempni carimonia templum, & celebrandum Gymnasium nouum, (inceptum vtrumque insigni magnificentia optimi Principis, ac p̄ne perductum ad finem) sexto idus Maii, anno priore, turris improviso decidit, eodemque lapsu testudinem secum præcipitans trahit: hoc solatium, vt in malis, Deo prouidente neminem oppressit. arrexit hic casus impiorum cornua, & exacuit linguas obrectantium, oblata materia: iamque ferebantur in aures Principis, contra nos collocando in illis domicilio sermonum, nisi declinasset eius modestia, aut retudisset, quippe nihil territus aut iactura veteris impensa, aut necessitate noui sumptus, perpurgato statim loco, & eiectis ruderibus, maturam instaurationem operis in ampliorem formam proferari iussit, animo regali. quin & nostris in veteri adhuc Collegio degentibus, nec satis tuto, recentem propter ruinam, per fugium apud se esse voluit per amplam filiorum domum, vbi interea morarentur: donec, sequenti anno, pridie Archangeli Michaelis (ita per scriptum in commentariis) quarto opinor Calendas Octobres, augustum in templum, etsi non absolutum omni ex parte, iam consecratis altaribus, sollempni ritu ex antiquioris angustis



gustis immigrauimus, carimonia illustri. cele-  
brata vespertina preces Musico concentu: pa-  
ri latitia postridie sacrum, cohonestante reli-  
giosissimo Principe, cum vniuersa familia, ma-  
ximaque frequentia vulgi, & Prouinciali Pa-  
tre ad populum verba faciente. Missio cœtu,  
(itum in Collegium nouum iam fere dimidia  
ex parte perfectum: splendidumque nobis, au-  
licisque, epulum ab serenissimo datum. Secun-  
dum hæc habita oratio. Vt ex his rebus at-  
que aliis constet, quantum Principi maximo,  
aut parenti potius optimo (talem enim se ip-  
se appellat, nobisque præbet) iure debeamus,  
professus est enim ad nos litteris peramanter  
scriptis, se non tantum Bauariæ Collegijs, sed  
vniuersæ etiam Societati parentis loco futu-  
rum. quin etiam nuper, mille aureos, dissol-  
uendo æri alieno, fundum præterea aquis, pi-  
sces, silua, agro, diuitem: serenissimæ dein  
matris Annæ vitæ sanctæ instructam penum,  
& quadraginta lignorum plaustra ad nos com-  
portari iussa, liberaliter dedit. neque alia est  
voluntas, aut oratio vxoris eius serenissimæ,  
sine vilo de nobis benemerendi fine: idem filio-  
rum consensus & sermo. Iam hæc nobis cura,  
hoc studium, habenda gratia omnique indu-  
stria conferenda in vtilitates populorum, qui-  
bus imperitat genus inclytum bono publico  
natum, vt etsi non laudabimur successu offi-  
cii, excusemur professione pietatis. Ceterum  
aui-

alicuius sacerdos tripartitam Sodalitatem sub  
 tutela Reginae Angelorum ex assie heredem fe-  
 cit. Ex primo ordine cuiusdam, cum esset  
 iam morti proximus, hoc accidisse narratur,  
 in lectulo, vt potuit attollens debilitatum cor-  
 pus, nixus genibus, se per horæ spatium patro-  
 næ suæ commendauit: mox, cum iustinare am-  
 plius laborem non posset, & recubisset effor-  
 mato Crucis signo, statim animam efflauit.  
 Ab vniuersa Sodalitate ad Montem Sanctum  
 his quoque annis peregrinatio suscepta est.  
 sed sit finis Collegij Monachiensis exitus  
 vnus e nostris, anno priorè.

## COLLEGIVM AVGVSTANVM.

**H**IC QVOQVE euenere, Dei benefi-  
 cio, quæ augeant lætitiã Catholicorum,  
 vrant hæreticos inuidia, quorum non tument  
 solum contra nos odia, sed diuersa intonant  
 minæ, sed interea eorum ex numero renuntia-  
 runt confutatis opinionibus sexaginta minus  
 vno, ex his non neminem, mali suæ for homi-  
 nem simulans, iterum peruertere conatus:  
 præsidio fuit tum peccatorum confessio, tum  
 adeptio consecratæ ceræ cum imagine agni,  
 vt & alijs sæpe, prætens enim hoc multis da-  
 tum remedium in horrificis a diabolo mon-  
 stris, & terroribus nocturnis: alicui tamen,  
 quasi contemneret dæmon, palam apparens,  
 & ma-



& magna oblata vi argenti ad flagitia impel-  
 lens, retinaculo perrupto, abiectoque inuo-  
 lucro, I E S V, & M A R I A E innocata no-  
 mina salutis fuere. pugnatum contra supersti-  
 tiones, superiore stragem anno iumentorum  
 faciente, & consulente veneficos inope confi-  
 lli rusticorum turba. libri impii & improbi  
 exusti, siue mutati cum piis probisque, ma-  
 gno legentium bono. Neque omittendum il-  
 lud, venire in Collegium saepe ciues peregrino-  
 suae cupidine visendi, & de religione, vt co-  
 rum est mos, sermone arrepto, sic permoueri  
 compositis rationibus, vt nonnumquam, qui  
 accessere veluti exploratores, transfugium  
 meditentur: & eorum iam aliqui numerentur  
 in nostris castris. Huc addi potest, e virili, mu-  
 liebrique sexu nonnullos Catholice institutos,  
 in domibus haereticorum esse, condicione ser-  
 uili, animo libero: sic vt neque vi, neque frau-  
 de, neque blanditiis, neque minis, a recta ra-  
 tione defleant. Episcopo, Vicario, Decano,  
 valde beneuolis utimur. Ac Vicarius quidem,  
 in uisitandis Monasteriis, unam sibi e nostris  
 comitem adlegit. duobus locis, persuasum vir-  
 ginibus, vt iuxta formam Tridentini Concilij  
 ne vagentur extra septa, arduo admodum  
 principio, prospero fine: liberae tres aliae vir-  
 gines, quas nostri instituebant, se sponte reli-  
 gionis vinculo obligarunt. reductus fugitiuus  
 vnus ad Cœnobium, vnde discesserat. abster-  
 serunt

serunt per confessionem sordes annorum omnium, homines amplius centum septuaginta. Sacris meditationibus dedit operam vnus. Mulier in letali morbo ad Montem Sanctum cum viro familiaque omni peregrinationis voto concepto, statim leuata morbo breui conualuit. A turpi quaestu, & pellicibus, traducti non pauci. Serenissimus Bavarix Dux, cum hac iter faceret, nostrum Collegium inuisit beneuolentia singulari. idem fecit Maximilianus filius parentem æmulatus. Magna est discipulorum frequentia, pietas, industria: in nostram religionem vnus, octo in alias, cooptati: in eorum vsum, quorum studijs aduersatur paupertas, collati floreni octingenti quinquaginta. Beatissima Dei genitrix Virgo sollempne illud suum patrociniū in tuendis clientibus seruat. Ceterum auctum Collegium agro aliquot ingerum, & templum sacro instrumento. Excursum, vtroque anno, in varia loca, non sine fructu. Fridpergæ, vbi suburbana nostra domus, Catechesis instituta. Ferijs natalitijs, in pago duobus ab vrbe milliaribus conciones habitæ, exceptæ confessiones octoginta, pleræque generales, doctrina Christiana tradita, quo rudioribus populis, eo vtilius. aditum etiam, & magna ex parte auditum Cœnobium illustre, hebdomada sancta: Cœnobiarcha, eique in regimine qui proximus, pijs apud nos exercitationibus excolti. Vno deinde



de in loco septuaginta: ducenti in alio, sese sacerdoti aperuerunt. In his atque alijs, eo consilio apponitur paucitas, vt qui hæc audiunt leguntque, simul æstiment duritiem materiz, & operis difficultatem. adde quod rarius in sterili legitur spicum, quam in vberitate manipulus.

## LANDSPERGENSIS DOMVS

Probationis.

**T**YRONVM domi spectata patientia: foris, in animarum lucris, ad quam nisi interim, industria: etsi nonnumquam etiam illa: vt cum tres, de more peregrinantes habitu mendicorum, quodam in oppido stipem quærere prohibiti, dein discedere iussi. vtilitas proximorum ex occasione non neglecta, incidit sacerdos in rusticum euntem, ut consuleret veneficum, auertendi fascini sibi pecorique: nec desistit tandem obijcere fraudem dæmonis, numinis offensam, sceleris pœnam, donec veneficium cum sacro cereo sigillo, & quam tum capebat uiam cum mora confessionis faciendæ mutauit. At domi, præter ceteros, tentata constantia vnius, qui non solum atrocia verba cum minis, & inanes blandicias cum lacrimis permixtas contempsit patris, sed eius animum ita placidum reddidit prudenti oratione, vt placatus

di-

discedens postea, & natum nostræ disciplinæ,  
 et seipsum cunctorum precibus commenda-  
 rit. Longe mens alia parenti alteri nobili in  
 primis, et claro, qui prætentatum antea fili-  
 um, ipsemet ad nos, repugnante quamquam  
 domo & cognatione vniuersa, quattuor aut  
 quinque dierum itinere grandæuus adduxit.  
 in simili ferè sententia Abbas, germani fratris  
 ingressum per litteras gratulatus, precatus-  
 que vt eueniret feliciter, nec vlla vnquam il-  
 lius subiret pœnitentia. Mortem obiit e Noui-  
 tijs vnus explorata spe vitæ melioris: nam et  
 paulo ante decessum, visum sibi cacodæmo-  
 num appellans, Tuum, inquit, conspectum non  
 horreo, bestia truculenta, ope diuina fretus, et  
 integra conscientia. Conciones, his etiam an-  
 nis, vt proxime scripsi, habitæ tribus locis: vt  
 les omnes fuisse probauit euentus. quædam  
 erat consuetudo, vt statim a concione sese pro-  
 ripèret populus e templo, quod reliquum erat  
 sacri pro nihilo habito: hanc vt noster tolleret,  
 tale commentum excogitauit: orat, vt secum,  
 post adoratam hostiam, certas ad Deum pre-  
 ces pro afflictâ Germania effundant: consili-  
 um pro meliore fuit: subijt paulatim officij hu-  
 ius dulcedo, & inuisa primo cômoratio, nunc  
 a cunçtis amatur. Auditi vno anno de tota vi-  
 ta quadraginta duo. a falsarum errore opinio-  
 num deducti nouem. Præpositus quidam cum  
 alio sacerdote Societatis commentationibus



instructi. Intra extraque urbem pueri puellaeque summam Christianae religionis edociti. Ceterum, sacerdos vnus in pagum missus ualitudinis firmandae, concionando, aurem confidentibus praebendo (hi fuere centum circiter et quadraginta) doctrinam Christianam explicando, tres sagas damnatas ueneficij ad recte moriendum instruendo, easque ad rogam usque, pietatem collaudante multitudinem, deducendo, multorum consilio, auxilio, solatio fuit. Haec et similia cum conantur nostri domi forisque, multorum in se experiuntur, praecipue serenissimi Gulielmi Ducis, beneficam iam multis rebus, humanamque naturam. Ad rem familiarem accessit ducenorum florenorum annuus prouentus.

#### COLLEGIVM OENIPONTANVM.

**V**T GRAVITATI morborum, medicamentorum respondet utilitas, terriculis diaboli opponitur sacrarum multis in locis planguncularum usus. ex eo genere nonnulla ponentur. Affirmabat se quidam Inferis destinatum ob scelera commissa, furijque agitatus inuocabat daemone subinde, quem & adesse monstrabat, pauentibus alijs, indicis intentu: hunc persanauit vnus e nostris, mollibus primo delentum uerbis, mox etiam ad confessionem adductum, donata, quam pie demitte-

ret in pectus, bulla agni cælestis. Corpus quidam animumque diro animarum prædoni deuouerat tempore præstituto: hora fere instante (vt sæpe praua consilia, & nimium calida reputantur post factum) mæstus atque anxius adit sacerdotem: eum dum consulit trementibus labris, decerrantibus oculis, repentino pauore, Opem, exclamat, infelici, opem. quintu expedis pater auxiliare aliquod sacrum. Quærenti nostro, ecquid noui? Astat, inquit, ante ostium hostis, opperiens abeuntem, & atroci vultu minitans raptum ex condico. ergo huic quoque simile remedium allatum est. neque hæc sunt fama incognita. Rusticus, cum inaudisset Oeniponti agere viros, qui veneficia & præstigias certis medicaminibus abigerent, in Collegium venit, medicinam (hoc verbo utebatur) petens aduersus diabolum, interrogatus, quid intelligeret nomine medicinæ: haud scio, respondit: nihil enim præter auditû habeo; sed istud, quidquid est, quod diabolum fuget. Data igitur particula cerea: quâ salutarè sensit adeo, vt paulo post vni e nostris per ipsius oppidum iter facienti, cum propterea obsideretur a pluribus, septuaginta amplius fuerint dispersiendæ: frequens autem in hac ora dæmonum astus. Per uigilio Sancti Andreæ, & Natalis Domini, viginti abhinc annis, solebat mulier cantionibus dæmonem elicere, scitatura, quæ fors



maneret, vita quam longa, cui iungenda: mercedem vaticinij offerebat (quod horrendae aures) deuotionem animi & corporis: tam impiam, tam inueteratam consuetudinem execrata est tandem defleuitque, nostris admonentibus. Vim vitæ suæ afferre viri mulieresque, diuersis in familijs aliquot, ferro, veneno, laqueo, ut liberarentur infamia, inopia, conscientia, destinauerant: quibus opportuna nostrorum intercessio, communitioque subsidio fuit. Sed & quidam, ab insidijs annorum octo, quibus sese malus daemon variarum referens ferarum species atque ora, videnti obtulerat, præbuerat etiam candentem globulum instar hostiæ deuorandum, diu in gratia ereptus, illud grauius. Mulierem, solita sequioris sexus leuitas, & desperatio in miserijs, ita transuersam egerat, vt non modo dediderit sese conceptis verbis inferno monstro, sed improba etiam lingua lacessierit Deum. Quin & aliquando, cum sæua coorta esset tempestas, cum magno fragore tonitribusque, Infirmus, inquit, diabole es, qui me non rapis volentem hoc turbine: neque tu adeo magnarum virium Deus, qui contorto inuisam fulmine non detrudis sub Tartara, exerite vterque vires in mulierculam prouocantem. O singularem Dei clementiam, & propriam ipsius. vix emiserrat uocem infandam, cum interior lux quædam

dam illuxit animæ, & immiffus ignis refoluit oculos in lacrimas: tum feipfa primum, dein etiam coram sacerdote, reprehendit: non irrito confilio. Inter hæc, accidere aliqua auditu iucunda. Pia mulier fanctisque precationibus dedita, cum his aliquando in conclavi inftat attentius, fuperfundenti fe nescio unde lætitiæ vix temperat: fublatis oculis albam afpicit columbam fufpenfis leniter. alis fuper volitantē, pulcherrimo vifu. protendit manus more humanæ cupidinis, vt apprehendat, fed auolans illa, admirabundam reliquit, & perfuafam incredibili voluptate. Benigne altera faciebat pauperibus, non fine obiurgatione & irifu amicorum, quod defraudaret fe ipfa: itaque remisit aliquid de confuetudine, cum graui morfu: fed eam admonuit in fonnis mifericordię mater, ne intermittat pulchritudinem incepti. Nec minus eft hoc mirandum. Vir fplendidis ortus natalibus, magna in Dei matrem veneratione (in cuius honorem exornauerat templum, facraſque ædes obierat peregre, longe diftantes) diuturni vi morbi eo redactus erat, vt & audiendi & videndi fenfum amitteret: neque tamen, aut maruit bono perdita, aut abiecit ſpem recipendæ valetudinis: plenus fiduciæ, affuturum ſibi in tempore patrocinium Dei paræ prænuntiabat: nec res fruſtra fuit. fequenti ſabbato, viſus videre lucidam nubem intrantem, & penetrantem



tem caput, ac desquamantem membranas  
 oculorum: dein sibi plene restitutus est:  
 tum vocato sacerdote nostro visum exponit,  
 eoque præsentem tertiam vouet peregrinatio-  
 nem ad ædem Lauretanam: postremo de pec-  
 catis, quæ commississe se vniquam memine-  
 rat (quod bis fecerat antea) confitetur. tres  
 enim has narrationes propterea coniunxi-  
 mus, quoniam ad omnes nostri adhibiti, ve-  
 luti testes: & ab ijs, qui acceperant beneficia,  
 omni se culpa exoluentibus, Deo grates actæ.  
 Ad sacrum conuiuium accedere, anno vtro-  
 que, amplius septena millia: quicquid delique-  
 rant, quantum recordari poterant, repetiere  
 centum sexaginta octo: septem cum Ecclesia  
 reconciliati. euulsus error Caluiniani imposto-  
 ris, Episcoporum, quique alijs præsumunt peccato-  
 rum confessionem, ipsorum auctoritati, & vtilitati  
 subditorum, apud quos ea deponunt (vt pro-  
 niores sunt homines ad improba exempla) ad-  
 uersariam esse, imperite deblaterantis. Libri  
 complures damnatæ religionis, aut superstitio-  
 nis, exusti. iuris peritus suos sponte obtulit,  
 deditque aliorum indicem recognoscendum.  
 adiuuant hoc opus pueri, qui erudiuntur in  
 doctrina Christiana. Conciones diebus fe-  
 stis binæ diuersis locis habentur. Concionato-  
 ris alterius tanta est fama, vt vim ægroti sibi  
 afferant cupidine audiendi. Inter nobiles  
 quosdam viros odia nostrorum sermo restin-

xit. Par item coniugum, qui octo iam annos communem torum fastidiebant, & mensam, in veterem gratiam reduxit. Mulier, quæ viri pertæsa asperam naturam, collectis iam sarcinis fugam parabat, eorundem admonitu statuit in posterum Dei causa omnia potius tolerare. Virgo impenetrabilis pudicitiz, quæ frequentat templum, ab amatore deprehensa, clamore edito summum quidem periculum efugit, sed multis colaphis egregie accepta, notabili victoria. Mulier denique e Turcarnm genere a Christianis capta, Ducique serenissimæ dono missa, a nostris instructa ad fidem, abluta mox salutaribus aquis, in magna corona nobilium, Archiduce suscipiente: et sane huius pietas (quoniam mentio incidit) atque in nos benevolentia, quam æmulatur in primis Episcopus Brixinensis, præluceat omnibus exemplo. Nuper e proceribus quidam non inferius duxit dignitate sua, ad sacrum assistere, tamquam ministrantem, & librum præferentem in celebri frequentia. De Gymnasio ac sodalitia illa sollempnia. Societatis, etiam apud aduersarios, nomen illustre: sic ut eorum vnus e principibus dixerit in familiari sermone, non satis mirari se stultitiam suorum, qui pusilli cum sint, eant animis contra Iesuitas de genere gigantum. Fructuose etiam loca obita oppidaque totius diæceseos. Vir viginti iam annos uxorem exegerat domo, ut cum pellice



esset, nunc; mutatis vicibus, de nostrorum consilio hanc extruxit, vt viuat cum illa. quattuordecim ipsos annos, parentes inter ac filium, quem profusus propter sumptus, prodigum licet appelles, trium aureorum millia tantam discordiam excitarant, vt componi non posset: placuit diuinæ bonitati, vt hortatu sacerdotis rediret primum ad se filius, mox (eiusdem interuentu) veniam suppliciter petens, effusus vtriusque lacrimis, in illorum complexum, ex animo ac libenter ignoscentium. imaginem dices Euangelicæ historiæ, quam populo fuisse in scena datam Oeniponti proxime memorauimus.

#### HALENSE COLLEGIUM.

**E**TIAM huic agro, modico licet ac sterili sui annui proventus. Sacram confessionem vno anno obiere ter mille septingenti sexaginta duo: synaxim supra duo millia nonagēti nonaginta. tres ad Catholicam Ecclesiam reuersi: e varijs atque imminentibus periculis erepti multi beneficio confessionis, quibus deliberatum erat, in desperata salute, vel mortem sibi consciscere, vel dæmonem adiutorem adsciscere, vel amittere animam in scelere irrevocabili. Ceterum, cum edixisset Archidux serenissimus. certum in locum comportari libros lasciuioris argumenti, nec sanæ doctrinæ, eorum inspectionem correctionemque

deman-

## GERMANIA SVPERIOR. 313

demandavit nostris, ne habeantur cum ma-  
 lo, seu cum periculo legantur. At serenissi-  
 ma Regina Magdalene vltima ex tribus sorori-  
 bus Collegij fundatricibus, superiore anno ab-  
 iijt in locum suis iam virtutibus in caelo destina-  
 tum. funus ei celebratum in templo nostro  
 pro ipsius voluntate, non regale, aut magni-  
 ficum, sed quale esse solet reliquarum virgi-  
 num eiusdem instituti: vt hic quoque osten-  
 derit modestiam, qua semper excelluit. Et  
 iam suis sumptibus Conuictorum absoluerat  
 domum, cui nomen a Sancta Catharina: eo-  
 rumque auxerat numerum, submittente Epi-  
 scopo Brixinensi: et paulo ante quam dece-  
 deret, ad ceteram templi supellectilem ad-  
 iunxerat insigne velum acu manuque pi-  
 ctum sacro pegmati inumbrando. mors vi-  
 tæ consentanea fuit: eam cum instare intelli-  
 geret, conuocari voluit vniuersam familiam,  
 et per vnum e nostris peti veniam communi-  
 ter ab omnibus, ipsius nomine, si seuerioribus  
 aliquando verbis, exigente officio, vsa esset.  
 Discipuli omnes seduli, sui que muneris dili-  
 gentes. quanta spes fructus, vel ex vno conie-  
 ctes. Puer adhuc tenera ætate genere atque  
 indole nobilis, ita retinet memoria, quæ ad  
 formandos mores a magistro dicuntur, vt cum  
 vidisset laruatam puerum hac illac temere  
 cursantem, memor personatos sæpe repre-  
 hensos, oscillum ex eius ore vi detraxerit, ad-

dita



dita obiurgatione, minisque, ni in posterum abstineat. Idem, alio tempore, cum audisset nescioquem fidium ac neruorum concentum, recordatus præcepisse eundem de frenanda oculorum auriumq; licentia, ad Vlixis exemplum, vtramque aurem obstruxit digitorum insertu. tum conuersus ad æquales. Hoc agite, inquit, ne per aures influat animæ venenum. Maeste puer ista indole. Anno priore, sacerdotem vnum, quæ grassabatur dysenteria nobis eripuit: alteri, cum permisso superiorum vouisset ad Beatæ Virginis peregrinationem pro valetudine, pepercit: vt meminerit Dei concessu propagatam sibi vitam, persoluendo quidem voto, sed multo magis, ad amplius Dei obsequium, extendendo labori.

### COLLEGIVM LVCERNENSE.

**E** SOCIETATIS muneribus, quantum in nobis fuit, nihil omissum. Quaris communicantes? vt vtrumque annum coniungam, in vrbe ipsa amplius vigintiquattuor millia. de tota vita confitentibus? tercentum quinquaginta. hæresi renuntiantibus? septuaginta quattuor. Catechismus expositus. concordati discordes. desperati ad spem, perditum ad meliorem vitam, desertor ad suum ordinem, veneficii damnata ad salutarem confessionem, turpis muliercula ad amorem pudicitia, erran-

tes, in viam reducti: adducti plures ad seruanda ieiunia, cum est opus, Catholico ritu. stips pauperum subsidio, eorum præcipue, qui bus inopia præcludit iter ad litteras, collecta. Virgo multas post preces, & maturam deliberationem, virginittatis voto se Deo obstrinxit. Oblatum altera annulum amoris indicem, conciliatorem stupri, in publicam viam de sinistra proiecit indignans: vtraque in religionis cultu vititur magisterio nostrorum. Iam quid dicam de scholis temploque? frequentes illæ, ac studio pietatis addictæ: multi ex ijs, præsertim qui e Sodalitate Parthenia, religionis vitam affectant: ante sepulcrum Dominicum, maiore hebdomada, magna vis se sponte verberantium fuit. in explicandis rebus, quæ ad conscientiam pertinent, præclare opera ponitur: hinc cœnobitæ cuidam iniecta cupiditas cōfessionis generalis, ad quam etiam Cœnobiũ totum libente Cœnobiarcha perduxit. Ad templum autem, dono piorum, integra tunica Nicolai anachoretæ apud Heluetios sanctitatis fama inelyti, & sacræ coronæ spineæ particula, insignis thesaurus, & ornatus, accessit: hæc posterior ea condicione tradita est, vt redhibeatur Tigurinis, vbi ad Catholicos redierint: quod maxime optamus. Aram maximam egregia illustrat tabula imaginem referens Christi pueri dum circumciditur gementis sub cultro: Domini Ludouici



Phippheri donum: aestimant periti florenis  
 amplius mille. ea cum dedicaretur, ab eodem  
 epulum Senatui datum. magna autem viri o-  
 ptimi erga nos liberalitas, siue fundando in-  
 firmandoque Collegio, siue, vt triennio ante  
 tradidimus, templo extruendo. excitauit pie-  
 ratem populi ad sacrorum veneratione Nun-  
 tius Apostolicus Parauicinus: de cuius reli-  
 gione ac beneuolentia, erga nos iam multa  
 retulimus continenter duobus annis: neque  
 in prasens repetenda. vnum adiciam: quo  
 die accepit insignia Cardinalis, cum Clero  
 primoribusq; Lucernensibus in Collegio pran-  
 sum, salutatumque a nostris Latina oratione  
 magno plausu: complures deinde dies apud  
 nos diuersatus, discedens his terris magnam  
 reliquit sui famam virtute partam. Per pa-  
 gos finitimos, immo & longinquos, (sine enim  
 anni prioris apertu ostium ad Missiones mul-  
 tas) fructuose excursus. Longum est, singil-  
 latim numerando per censere omnia. Lustrata  
 ampla oppida, & frequentia (in quibus num-  
 quam antea, aut raro auditi nostri) circiter  
 decem. edocti vbiq; non iam pueri, sed pro-  
 miscue omnes elementa Christiana professio-  
 nis: instructique concionibus, atque, vt acer-  
 uatim complectar, multa, mille centum sexa-  
 ginta duo a peccatis absoluti. a totius qui-  
 dem vitæ sexaginta, ab hæresi tredecim. Soda-  
 litium Deiparæ restitutum duobus in locis,

iam p̄ne collapsum. pax constituta inter discordantes, & inter coniuges, quorum paria duo, longa post iurgia diuortium cogitabant. adeo strenue pr̄stitum, ac diligenter, quidquid poterat a sacerdotibus duobus, tam per diuersa loca, spatio bimestri. Missi etiam duo cum sociis, vt adsint Helueticorum copiis in Gallia, magno cum eorum labore, ac militum fructu: audiunt confitentes: & (quod mirum in castris) sacrosancta Eucharistia reficiunt: morbidos conquisitos seponunt ac subleuant: derelictos solantur iuuantque: moribundos non deserunt: sepeliunt mortuos: quibus in muneribus fratris nostri pietas, cui sacerdotum erat socius, maxime enituit.

MISSIO LAVFFENSIS.

**O**CCASIONEM, initium, spem huius Missionis, proximis annalibus accepistis. quo iam statu res fuerint duorum opera e nostris, recordari potestis: videbantur enim non parum utilitatis attulisse. Verum, vt languescunt plerumque bene c̄cepta, ni subinde foveantur: cum aliqui nutarent, inserentibus sese haereticis, & blandiente tot annorum improba consuetudine, periculum occupare Episcopo placuit, repetitione nostrorum. Missi sacerdotes duo in t̄io Quadragesima: tantumque profecerunt concionibus,

fami-



familiaribus congressibus, facilitate sermo-  
nis, disputatione, Cathedismo, ut hære-  
ticorum turris conuulsa dudum, videretur  
nunc penitus corruisse. omnes iam Zuingensi  
in Præfectura, quæ Lauffennm oppidum, &  
quinque, aut sex præterea pagos complecti-  
tur, miserunt hæresi nuntium, magna cum reli-  
gione de peccatis confessi: exceptis perpau-  
cis Anabaptistis, obfirmatis in malo. itaq; alia  
iam terræ facies, & mens incolarum. Erat an-  
tea suspectus monstorum aduentus, vt eos nec  
colloquio dignarentur: nunc ita iucundus, vt  
æquo animo discessum non ferant: rei diuinæ,  
cum fieret, vix decem aut duodecim operam-  
dabant: nunc tanta adest frequentia, vt super-  
fluëti multitudini amplum quamuis templum  
videatur angustum. Et dederunt Lauffenses  
præclarum suæ testimonium optimæ volunta-  
tis: cum enim rumoris nescioquid afflasset,  
euocaturus ad Martinalia sacrificulum Basi-  
leensem, & se falso insimulari intelligerent,  
misso ad Principem certo viro cum litteris,  
sancte affirmarunt, vitam sibi prius ereptum  
iri, quam vt falsiloquis iterum imperitorum  
fallacijs se decipi patiantur. Interuisi & pagi  
propinqui, eiekti a præcipuis duobus buccina-  
tores verbi, & Catholica fides recepta. factu-  
ros idem reliquos spes magna affulsit: ita, quæ  
dicuntur a nostris, quorum ante ne facies qui-  
dem nota, pronis animis & auribus omnia ac-  
cipiunt.

GERMANIA SVPERIOR. 919

cupiuntur. Hæc & talia impulerunt auidum Principem propagandæ religionis, vt fusciperet cogitationem Collegij instituendi in Bruntrutana ciuitate, vnde breuis excursus ad sua loca ditionis, & apparatus ager vber atque amplus, fementi diuinæ.

SEDES BRVNTRVTANA.

**B**RVNTRVTVM ciuitas est in Cisiuranis Sequanis, & cælo læta, & solo, Basilea m, Mompelgardiam, Alsatiam, in ambitu habet, a Gallogermanis incolitur, siue a Gallis, Germanisque permixtis: nempe in cõfinio: ita necessaria lingua vtrorumque: & missi Canonicoꝝ cõsensu, permissu Patris nostri Generalis, anno posteriore, octo e nostris alij Germani, alij Galli: interprete Episcopo Basileensi: cuius erga nos amor paternus: is villã assignauit nõ modici fructus: is supellectilẽ omniaque utensilia procurat, suggeritque necessaria: is templum ædificare meditatatur, & in quo ad triginta alantur, fundare Collegium, et conatus est aliquid (vt pulchrarum rerum initijs solet) doli machinator diabolus. fabulam intendit, sed excussa, apparuit (quod erat) impudenter conficta. Sodalitas externorum sacerdotum cognomento Sancti Michaelis domum nobis commodam concessit, dum Collegium extruitur. Igitur, tertio nonas Nouembres, post pro-

lusio-



Iusionem orationum ac dialogi, factum initium docendi, magna gratulatione. magistri quattuor, conciones duæ, Gallica, & Germanica, diebus festis, magno accursu. Nimirum agnoscitur quid intersit in tet inanes Salmoneorum tonitrus, & vera fulmina. A Pentecoste ad tertias nonas Nouembres Christi corpore apud nos pasti nongenti. hoc tamen anno, inter Bruntrutanas curas aliquid deriuatum operæ ad Lauffenses. Ea hebdomada, quæ antecedit sanctum Pascha, concionatus vnus audiuit ducentos; matronam nobilem ad gremium Ecclesiæ reduxit. Obiti etiam pagi Episcopo suadente: et (ne contrita reperantur) viri primarij ædes infestæ nocturnis lemuri- bus rite expiata, & tranquillitati reddita sunt.

## FRIBVRGENSE COLLEGIVM.

**M**VLTORVM denique flagitationibus, quas indicauimus proxime, obisti non potuit. quaternæ conciones statis temporibus locisque ad populum habitæ, hoc specimen fructus. Sacræ ædes nitidiores, vestes ornatiores, imagines splendidiore, refectæ, vel factæ. Rosariorum vsus reuocatus. libri inutilis oblatis vltro ad comburendum. Bacchanaliorum petulantior licentia prohibita. quingena confessiones diebus festis exceptæ. vno anno commemorantium delicta omnia, duæ

& septuaginta. a turpi quaestu ac desperatione mulieres nonnullæ, veratrices duæ, quarum altera, familiaritate spiritus infandi, scire ventura, ac prædicere credebatur, manes altera mariti elicere, fallente diabolo, sibi persuaserat, ad bonam frugem adductæ, ad rectam fidem quadraginta duo. fenus compressum. æs alienum redditum, sedata iurgia. hæc fortasse cum aliis annis communia. sequuntur propria. flagellorum vsum, vt est his hominibus nouus atque insolens, anno superiore, vnus, diebus dicatis Pœnitentiæ inferre cupiebat, cum se cædendi mōstrauit exemplum, nullo æmulo. at posteriore, triginta inter, induros sacco, nudisque pedibus procedentes, lugubri cum cātu ad Domini sepulcrum sub crucis vexillo, visi aliquot se verberantes, nec citra sanguinem ( vt fit talibus in rebus) modo huc aures populo, modo illuc oculos diuidente. A dæmone obsessus, canem magis ringendo et latrando, quam ratiocinando & loquendo hominem, se esse ostendebat; hic a Burgundia vsque ad nos adductus, vique summa compulsus in templum, non prius desijt canem agere, quam agnus Dei in collum insertus est: tum deinde obmutuit: et humanitati redditus, salutari animum confessione purgauit. idem amuletum alteri fuit eodem morbo laboranti. Friburgum venerat quidam multarum linguarum scientia excellens, honesta di-



gnitate oris, & palam pudore composito: cum videres faciem, videretur esse quantiuis pretij: diuinum se esse dicere, Deoque acceptum: oracula fundere, peccata hominum, aut vetustate, aut obliuione obruta, in lucem proferre, alienas penas in se suscipere, infantes pueros ab obstetricibus non rite ablutos parentibus prodere: his, & talibus technis, magnum sibi comparauerat nomen: vt haberetur vulgo sanctus: cum tamen imponeret multis, ac dissuaderet votiuas peregrinationes ad loca pia: quod, mutatis partibus, vnum se pro omnibus satis asseueraret facturum. diabolica fraus celesti voce detegitur, ad fabrum ferrarium, quem versutus emunxerat argento, secundum quietem emissa, vt confessionis vsurparet sacramentum, & in persoluendo voto vteretur arbitrio nostrorum. ita nihil falsum diuturnum. Mirum accidit cuidam terribis operato sceleribus, praesertim praecipiti quadam Deo calitibusque maledicendi consuetudine. cum enim post irrisos, atque irritos multorum admonitus, praeteriret templum, et coniecisset oculos in Crucifixi imaginem, casu potius, quam pie (quae enim scintilla pietatis in tam impio pectore?) ita quasi collacrimantis Iesu radijs, qui emicare videbantur ex oculis, commotus animo est, vt e vestigio ad nos accurrens, animo saucius, & trepidus conscientia (nisi postquam absolutus est) nullam secerit

repre-

reprehendendi sui, & veteris vitæ innutritæ vi-  
 tijs accusandæ finem. et sunt tamen aliqui, in  
 quibus vim agnoscas caelestium præceptorum.  
 Mercenarius locare noluit operas suas hære-  
 tico hero, ni antea conuenisset, vt liceret sibi  
 quotidie vita victuque vti communi Catholi-  
 corum. Alius, cum puellam videret a parente  
 modicis facultatibus in seruitium hæretici  
 addictam, vt eam liberaret periculo amitten-  
 di pudoris, ac fidei, suis sumptibus tuto loco  
 apud Catholicos educandam suscepit: et fere  
 etiam ex parte adoptauit, paterno affectu. A-  
 ctum cum præfecto Xenodochij, vt inquilini,  
 & peregrini pauperes, & suscipiantur liben-  
 tius, & humanius tractentur. Consultum cu-  
 stodijs publicis, tum alijs rationibus, tum pio-  
 rum distributione libellorum, fallendo tem-  
 pori, & fructuose solatio quærendo. Damnati  
 fontes in morte firmati: vnus ex ijs, antequam  
 daret pœnas, cum Deo sanctæque Ecclesia re-  
 conciliatus. Quædam acceptam propter in-  
 iuriam odio feruebat implacabili, vt annuer-  
 fariam Christi corporis perceptionem præ-  
 scriptam lege in leui haberet: hanc postea ita  
 Deus mitigauit per nostros: vt prouoluta in  
 genua veniam ab eo petens, a quo fuerat læsa,  
 admirationi simul & pudori esset. Restituta  
 pax parentes inter ac filiū, admirabili artifi-  
 cio sacerdotis, cum se ipse proiecisset ad ira-  
 torū pedes, & deprecaretur odium æstimatio-



ne diuinæ offensa. Discipulorum fructus, ac sodalium, ab alijs annis non degenerauit: cum his cōiungere se Augustiniani aliquot & Franciscani, miro ardore pietatis. Est & altera Congregatio externorum, ad iuuandos alios maxime intenta: eos ad nos adducunt, vt opem animis, feramus: nam corpora ipsi procurant. Magnus numerus addiscētium capita diuinæ legis, & admirabilis profectus: delectantur parentes filiorum spectaculo, erudiuntur doctrina, commonentur exemplo. Ceterum, amor ciuium respondet nostro labori. Sed Proepiscopi, quod alias est traditum, beneuolentia singularis: omnem lapidem mouet, vt promoueat ædificatio Collegij: superiore anno ciuitatem obiens, qua apud omnes valet auctoritate, gratia, eloquentia, tantum profecit, vt quadringentas impetrarit pro materia saxorum vecturas. Nec quieuit etiam anno posteriore repertor mendacij: subdito rumore, vim ingenitem pulueris tormentarij, ad inflammandam urbem, intra parietes Collegij recondi: quod cum credunt nonnulli, aut verum videri volunt, excitarunt alios, vt nocturnas agerent excubias si quod intenderetur nobis, periculo propulsando: donec falsi criminis dissipata nebula Sole veritatis, impendens procella detruit.

## RATISPONENSE COLLEGIVM.

**N**ON MINORIS operis est perpurgare agrum, vt seras, oblitum sentibus, quam excolere urbem, vt instruas, hæresi infectam. Lacerant quidem spinæ in extrahendo, sed sequuntur: nec penetrant se rursus in terram euulsæ semel, vt fruticentur iniussæ: ceterum, si non attingas, non lædunt, nec intendunt se cum alijs coniunctæ. Longe alia ratio in senticeto hæreticorum. Inuitis vis adhibenda, plerumque irrita, nunquam non necessaria, interdum ijs, qui afferunt, laboriosa, quibus afferitur, molesta. nec vero confecta res est, vbi vicisti: quos videris dedocuisse, fouendi sunt ratione, consilio, præceptis. timenda interim simulatio, dolus, fuga: et sæpe, qui duplici animo accessere, in discessu plus nocent. adde quod, affines eiusdem inscitæ, imbuti odio, sermonibus non temperant, vti gladium coete, sic inuidia asperant linguam: nec iam manum vellentis vulnerant, sed famam: interim coitione facta, consociantes venena in perniciem, non solum pestifero pugnant afflatu, sed in apertum exeunt certamen: vt superati etiam non quiescant. Non tantus (vt est in fabulis) exantlatus Herculi labos, cum conficeret hydram sua ipsius clade renascentem. Vnum remedium, euocatus e czlo ignis, exurenda



pesti, ne iterum se innouet. Et spem quidem in  
 Deo omnem ponunt nostri, vt malum auerun-  
 cent, sed rem tamen nihilo segnius peragunt  
 aduersus hominum pertinaciam. Id cum alijs  
 locis semper perspectum, tum maxime Ratis-  
 ponæ vtroq; anno. A Luthero quidem descieue-  
 re, vt de vrbe distincte ponam, non plures  
 quinquaginta tribus: sed Catholici, pauci li-  
 cet, violentia aduersariorum accensi sunt ma-  
 gis in recta fide, vt in fornace ignescit ferrum,  
 aqua iniecta. Quin & ex iis, qui confugerunt  
 ad cœtum recte sentientium, viri nobiles non-  
 nulli, ab hæreticis, verentibus scilicet ne noc-  
 rent exemplo, hostilem in modum appetiti  
 contumeliis, passi iacturam rei familiaris, in  
 carcerem abrepti, perstiterè nihilominus in  
 sententiâ, iniuriam quamlibet, aut damnum,  
 tentationem constantiæ suæ esse arbitrantur.  
 Horum vnum Bauariæ Dux in numerum sena-  
 torum adlegit. sed & vnus, Theologiæ doctus  
 sacerdotioque præditus principis templi, vir  
 & consilii magni & virtutis sese ad nostram So-  
 cietatem adiunxit. persuasum desertoribus  
 tribus religiosorum exercitus, vt redirent ad  
 castra, aperuerunt quicquid aduersus Dei le-  
 gem gessissent annis omnibus homines circi-  
 ter quadraginta. Virgines, vno ex Cœnobijs,  
 septem. Externus quidam, graui confectus  
 morbo animi & corporis, (erat hæreticus &  
 ægrotus) vt hæresim euomit cum confessio-  
 ne pec-

ne peccatorum sanatus est totus: ut ne ipse quidem medicus, eodem, quo dudum ille, laborans animi morbo, idiolum crederet, quod videbat. Coniuges, qui inter se ita dissidebant animis, ut iam sedecim, aut etiam viginti annis, ne commune quidem contubernium vellet, in eundem torum reducti. nec ullus transit dies festus, qui non aliquot videat in templo nostro communicantes: ubi explicantur Evangelia, ut etiam in maximo templo, magno utrobique numero, confluentium etiam e vicinis pagis: quem stulti æmulatores Lutheri, dum carpere volunt, augent, furtim adrepentes: quamquam & ipsi suos agunt conventus: quorum præcipua materia, in nos maledicta. Præclarum vero illud, & vel ipsa insulfitate ridiculum. Quod Calendis Ianuariis, cum ad eos e loco superiore verba faceret quidam, de strenarum usu, quibus missitandis vltro citroque Romani auspicabantur novum annum, aliqua nugatus, adiecit pro corollario, missam a dæmone anniuersariam strenam Senatui populoque Ratisponensi, strenuam doctrinam Iesuitarum. Inunc, nega istos helluones liborum, peritos esse antiquitatis: nam suo quidem iudicio, ut sunt uiri pleni semper succi, non nisi dicta musica e corde saturo eructant. Neque hoc tantum: auditores nostros a concionibus, operas abducere conantur a fabrica templi: frustra: nam hæc ad te-



etumpæne perducta est . nec mulieres multo  
 modestiores : incidit unus e nostris opsona-  
 tor, in foro, in procacem & petulantem, a qua  
 verbis primum, tum cubiti impulsu, dein uer-  
 beribus, & pugnis male acceptus est : nec for-  
 tasse ante defatigationem dimissus fuisset ( vt  
 validus est sexus, & audax aduersus non refe-  
 rientes) nisi interueniens maritus, dulci illam  
 labore, hunc molestia liberasset. At nos, ad fe-  
 rendam opem miseris, quod se tales esse nesci-  
 unt, magis intenti. Doctrinæ Christianæ ex-  
 plicatio frequens, & crebra : docentur pueri:  
 prouocantur adulti: Catholici conueniunt vt  
 discantes, vt exploratores alii : sed tamen de-  
 lectantur, vt cum velint maxime, reprehende-  
 dere non possint . Subornarunt nuper ( vt est  
 difficile non lædere quem oderis) puerum au-  
 daculum, vt contenta voce, de improviso, fal-  
 lacibus interpellaret argumentatiunculis sa-  
 cerdotem disputantem de inuocatione San-  
 ctorum : sed agnitum statim virus, & frigus:  
 Catholici sic irritati, vt a puero manus vix  
 abstinerent : at noster, prudenter responden-  
 do, ac sedato vultu, quæ mittebantur per pue-  
 rum, diluendo veteratorum obiecta, non mi-  
 norem rettulit modestiæ, quam doctrinæ fa-  
 mam . Iam quoniam, inuecta in hanc urbem  
 hæresis exturbarat cum pio quolibet ritu om-  
 ne supplicationum genus, data est opera, vt  
 magnifice & apparate celebrentur . Festo igitur

tur cultu, dispositum processit agmen, per  
 ætatem ac sexum: & concentu musico celebra  
 tæ litanæ per vias publicas talium vocum  
 iamdiu ignaras, succinentibus turbis, cælo re  
 sultante. Catholici vndique sese ad spectacu  
 lum effuderant lætifico plausu: cum interea  
 Momi nostri, stipati coniugibus liberisque,  
 vnã in domum propere cõuenirent, vt cum  
 admiratione spectarent e fenestra, quod sæ  
 pe cum stomacho calumniabantur: neque il  
 lud risu caruit, quod quidam e ducibus con  
 taminati gregis, non contentus semel aspe  
 xisse, compendia viarum quæritans, alium at  
 que alium locum auide occupabat, vt pasce  
 ret uisum. Indictum erat eo tempore Iubileũ:  
 quibus diebus venisse dicitur quidam ad no  
 stros, rusticus, opinor, & homo antiquæ sim  
 plicitatis: cum sui aduentus eam causam fuis  
 se diceret, quod audisset haud ita pridem e  
 cælo venisse litteras a Deo missas, quarum par  
 ticipem se fieri cupiebat. nec valde errabat. in  
 telligebat nimirum ueniam peccatorum cer  
 ta lege & condicione a summo Pontifice Dei  
 Vicario concessam. usi sunt ea occasione non  
 pauci: neque similem aliam amiserunt primo  
 die ineuntis anni superioris, hortatu Proepi  
 scopi, qui & ad aram eo die operatus in tem  
 plo nostro, ea de re commonuit populũ fre  
 quentem, multaue de nostræ officio ac pro  
 fessione Societatis amantissime interiecit.



Quadragesima, diebus singulis, vespere, quin-  
 quagesimus psalmus decantatus in celebri fre-  
 quentia. Triduo ante Pascha ornatum honora-  
 riam Domini monumētum cultu sollempni, sol-  
 lemni, & face plurima, ceu noctu aspicitur cæ-  
 lum corona siderum illustre. Excitauit ea fa-  
 ma perinde impios piosque: & illi quidem, lu-  
 cifugi, fide tenebrarum contacti, sese inseren-  
 tes inter globos piorum, lustrabant omnia cu-  
 riosius: cum tamen prodeuntibus flammis late-  
 re non possent. Restat, vt aliqua de scholis: in  
 quas superiore anno de nouo adificatas immi-  
 grauimus, dramate primum peregregio da-  
 to, quod ita promiscue gratum, vt grates  
 etiam egerint, qui nostra omnia reprehend-  
 unt. Postridie sacrum fecit Proepiscopus, be-  
 neque precatus est discipulis Pontificio or-  
 natu: ij iam sunt centum quindecim, quat-  
 tuor classibus tributi: non magnus fortasse  
 numerus: sed si pro loci ratione ac tempo-  
 temporis, ingenium eorum consideres, probi-  
 tatem, pietatis ardorem, studium litterarum,  
 non pauci videbuntur, sed electi. Ceterum, vt  
 taceam piam aliquorum erga nos liberalita-  
 tem, et in primis Proepiscopi, qui florenos  
 quingentos ad scholarum adificationem de-  
 dit: non omittam oblatum digitum beati Vol-  
 fangi cum lipsanotheca argentea non exigui  
 pretij: sic factum, Dei benignitate, vt cuius  
 habemus ades, quod proxime rettulimus, eius-  
 dem

GERMANIA SVPERIOR. 331  
dem etiam aliquod patrociniꝝ pignus habere-  
remus.

MISSIONES ALIQVOT E COL-  
legio Ratisponensi.

**H**AEC FERME in vrbe ipsa. Verum,  
quoniam non vrbibus solum, in quibus fi-  
xerunt sedem, prodesse solent Collegia Socie-  
tatis, sed operarum etiam partem sibi vicini  
vindicant, partem & longinqui: vt æque no-  
tis ignotisque, et, quantum in nobis est, omni-  
bus vtilis simus: fiunt Ratispona præter bre-  
ues quasdam excursiones, & indistat, longio-  
res aliæ, quasi sollemnes ac statæ, ieiunio ver-  
no. Et si solent huc interdum accurrere auxi-  
lij causa & consilij e locis distantibus. Pius Ab-  
bas & doctus cum sodali, eiusdem Cœnobij ali-  
quot milliariorum suscepto itinere ad nos ve-  
nit sacris commentationibus excolendus: ma-  
gna ex eo deriuata vtilitas in alios, quos rege-  
bat. nam cū ad illum duo e nostris sacerdotes  
inter obeunda varia loca diuertissent, quasi a  
Deo essent missi, suos conuocauit, & præfa-  
tus aliqua, cum modesta laude nostri ordinis  
diuinitus instituti (dicebat ipse) ad solamen &  
regimen animarum, adiecit. Quin vos oblato  
tempore vtimini: videte ne fugiat occasio,  
haud scitis an iterum reditura. Habetis domi,  
vestro commodo, quod magno quamuis labo-



re si quæreretur. non recusandum foret. Mihi quidem, vt voti efficerer compos, haud ita pridem, vt scitis, bis ad horum socios eundi bidui ferme itinere, eadem causa fuit. Ite alacres, diuinum agnoscite beneficium: procurete vestram conscientiam: cum res ipsa clamat, nullius oratione est opus. Persuasit. bonam eorum partem postridie apud nostros confessi. coniungam aliud simile. Pernoctabat eorum alter in Cœnobio Cisterciensium, Cellam Dei appellant: rogatus sermonem habuit ad monachos: in quo cum iecisset aliquid de Iubileo Pontificio, omnes (vno excepto domesticis rebus impense occupato) illud vt consequerentur, cunctas maculas expiarunt. Itum igitur in pagos frequenter, eaque itione ac reditio- ne, non commoratione solum, aliqui ex occasione abiecerunt improbam sectam. sed longior illa profectio vtriusque anni, sub quadraginta dierum ieiunium, vttilior. Missi enim bini per totam fere diœcesim viatico & litteris a Proepiscopo instructi, laborem fructu superante. Itum in oppidum vnum atque alterum, & in castella duodeuiginti: & (in transitu) rustici circum mapalia, & siluicolæ non neglecti. Primum oppidum decem milliaribus Ratispone distat, alluit Isara prono amne in Danubium influens: nomen Dechendorfium: celebre prepter insigne olim sacrosanctæ Euchari- stia, & Iudaicæ perfidia monumentum: etiam

nunc

nunc, nouem hostiæ, miri candoris, veluti a manu recentes, in altari maximo perhonorifice asseruantur: templum ipsum sepulcrum Domini indigitant. hic interuisi pauperes, auditique in Xenodochijs, quæ terna sunt, & leprosi proprio in domicilio: eorumque cura suscepta: sacris diebus & negotiosis concio habita, bis sæpe diuersis locis, explicatus Catholismus sub vesperam, sine discrimine ætatis, aut sexus. Eadem omnino præstita in oppido altero, cui nomen Pladlingium. et (vt multa paucis) absoluti a peccatorum nexibus, his locis omnibus, ter mille ducenti quinquaginta quinque: ab hæresi, septem, grex cum pastore reconciliatus. superstitionum usus coercitus, & confutata defensio. quodam in pago, diebus, quibus versati nostri, feriatu fuere pagani omnes, cultiore vestitu, & tantum sacris operantes. Ibidem sacrificium Missæ repetitum eo lætius, quo diutius intermissum. explosus alibi, sub Missam, Lutheri impius psalmus. Vir alicubi, atque vxor, leuiculas ob causas confessionem differre statuerant: sed mulier in tam grauem incidit morbum, vt maritus diffideret: vocatus ad eam noster, qui venerat pridie, clingem fere offendit: cum vox deinde ægrotanti redisset, peracta confessione, & Eucharistia percepta, reddita etiam valetudo corporis est. hoc exemplo vir admodum nitus animum ad sapientiora conuertit. Vetus  
sup-



supplicationum ritus, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia reductus. Hæc & talia Dei beneficio nostrorum ministerio in his excursionibus facta; quibus ita affecti omnes, vt acerbitatem discessus, anniuersarij saltem reditus expectatione solarentur.

## P R O V I N C I A

## R H E N A N A.



OMPLEXA socios supra trecentos amplius triginta. Colonia triginta quatuor: Treuiris triginta sex, alias triginta octo: in Probationis Domo, priore anno, viginti sex, e quibus, tertiani tres: posteriore, viginti duos: & sex præterea sacerdotes, explentes tertium annum: Moguntia modo quinque, modo tres, supra quinquaginta: Herbipoli quadraginta quatuor, interdum & octo: Spira octodecim, aliquando viginti: Fulda viginti tres, aut quinque: Heiligenstadij tredecim. His adiungendi quatuor, qui in Hildesiensi Sede, & Erturtenfi Missionis versantur: Molsenij viginti quatuor: quindecim sedecimue Confluentia: vno plus Monasterij: Duodecim Paderborna:

bornæ: emigrarunt, (vt coniungam simul duos annos,) duodeuiginti: immigrarunt triginta septem.

COLLEGIVM COLONIENSE.

CATECHISMI, & concionum, varia per vrbis loca & templa, admirabiles fructus, institutis multis, aut restitutis in Catholicam fidem. De muliere ex Anabaptismo resipiscente, & salutaribus aquis tincta, scripsimus nuper: eam nunc imitata est soror annos nata sedecim: exemplum fecere ambæ reliquis sororibus idem faciendi, accensis iam cupiditate sacrosancti baptismi. Adultera ad desertas nuptias reuertit. Virguncula non obscuro loco, innutrita hæresi, ad rectæ religionis studium conuersa. Tres tenera adhuc ætate pueri, & tenui re familiari, commodam condicionem oblatam ab hæreticis, si mutarent fidem, magno animo respuerunt. Alij nõ maiores natu, clam parentibus, timore virgarum, conciones nostras frequentant, & templum, confessioni faciendæ: auctores æqualibus, easdem vt agitent animo curas, vel munitulis spe incendenda, vel exemplo, minuendo metu. sed & ancillulæ quædam adhibitis licet minis, maledicti sue abduci a celebratione nostræ ædis, siue ad vetitos cibos adduci nulla ratione



tione potuerunt: vt ieiunæ persæpe manserint vel integrum diem, magnum vnus certamen, tota Quadragesima, inditis clam carnibus in eius pulmenta: quod tamen, vsque ad admirationem aduersariorum, patientia superauit. Qui paupertate premebantur a ditioribus subleuati sunt: septem remoti a proposito voluntariæ necis: atque ex his mulieres tres, quarum & animorum & corpori necessitati consultû, Persuasum sexagenariæ, vt rediret in gratiam, & in manum mariti: virgini, vt ne castitatis votum (cui se obstrinxerat) cum incesto matrimonio mutaret: viro, vt sex annorum pellicem, ex qua susceperat liberos, duceret vxorem. Mulier Catholica & pia carere maluit matrimonio, quam virum habere, a quo ambiebatur, hæreticum, infestum nobis, quamuis copiosum, atque opulentum. Commentationibus sacris tam multi dederunt operam, vt raro Collegium, ijs qui se exercerent ad iustitiam, vacuum esset: ex his adolescentes duo e Pomerania, Græce & Latine docti, exuta vana superstitione, Dominicanorum habitum induere. In Carrusiensibus eadem opera nauata est. Res scholastica promotæ. Scholæ accipiendis aduentibus ampliores factæ: ij amplius ostingenti: Conuictiores non pauciores quinquaginta: qui Beatam Virginem sibi delegerunt patronam, non Dominicis solum diebus, vt antea, sed festis quoque singulis conuentus,

uentus celebrare cœperunt: ex his, posteriore anno, octo, in alios religiosorum ordines, sex, in nostram Societatem, cooptati. nam anno superiore viginti e toto corpore discipulorum in varijs Cœnobijs se Deo addixerunt. vir magna apud suos auctoritate, sub tutela Dei genitricis, per ipsos iam quinque annos certis locis ac diebus magnam egenorum turbam ad fidem instituit refectam stipe. est qui cum socio ex eodem Sodalitio Hollandiam obiens orthodoxos confirmat, errantes dirigit, sacra mysteria celebrat, cœnobitas reuocat ad veteres leges: in vnâ Ultraiecto familias nobiles viginti Ecclesiæ restituit. sunt ex eodẽ numero alij, quibus ad adiuuandos proximos idem conatus, & ardor. In studiorum instauratione vtroque anno datum est drama, coram Apostolico Nuntio, & serenissimis Bavarix Principibus Philippo & Ferdinando. Magnum Nuntij ipsius erga nos studium: ita frequens operatur sacris in nostra æde: in eadem indixit preces anno posteriore ad horas quadraginta, tanto concursu, vt ab orta luce vsque ad primam facem, templum precationibus plenum esset: pluribus interim exclusis, quam admissis. Apud Philippum vero & Ferdinandum Principes, eadem pœne qua apud serenissimos patrem Ducem, & Archiepiscopum patrum, caritate sumus: ij, dum hic fuerunt parætris iussu, nusquam, quam apud



nos libentius. vnus e nostris opera in litteris  
 vsi: & constitit profectus, cum in Sodalitio,  
 Magnæ Matris laudes soluta alter, alter adstri-  
 cta numeris oratione celebrarunt: vectiga-  
 lium nobis immunitatem & portoriorum a pa-  
 truo obtinuerunt. At Archiepiscopus ipse, &  
 vsum vineæ, donec ei vita suppetat, liberaliter  
 concessit, & postmodum Monasterium San-  
 ctæ Valpurges, tertio ab urbe lapide, per amœ-  
 no loco. cum timerentur inuidorum sermuni-  
 culi, qui se excitauerant, Dominus Minucius  
 sedauit, ad Archiepiscopum fratrem a Du-  
 ce missus, cum mille talaris, quos nobis dono  
 offerret. sed nos, vt mos gereretur amantissi-  
 mo Præsuli, Bonnam, vtroque anno, sacerdo-  
 tem misimus, ad aliquot menses, excolendis  
 ingeniis hominum, cum fructu non pœnitendo.  
 Ceterum, hic paucula reponenda, huma-  
 nam vim supegressa: Deo disponente, vt ad  
 vtilitatem posteri temporis esset aliquis, qui  
 referret. Mulieri cuidam ante oculos diu ob-  
 uersabatur hominis imago: animam se esse di-  
 cebat vitrici, quintumdecimum iam annum  
 cruciatam in igne purgante: proin eam ora-  
 re, ac virum ipsius, vt apud Iesuitas confessi  
 obirent sancta mysteria: quod cum fecissent,  
 & cruciatu animam, & se ipsos diuturna mo-  
 lestia liberarunt. Mulier longo puerperij peri-  
 culo leuata est intra semihoræ spatium specie  
 diuini agni ad collum adpensa. sed & quidam  
 hor-

horrendas has voces, ve, ve, ve, quibus eius au-  
res assidue circumsonabant, audire desiit, si-  
mul atque in auribus audienti sacerdoti cul-  
pas, cum grandi detestatione, collocauit.

## TREVIRENSE COLLEGIUM.

**D**E ILLVSTRISSIMI Principis vo-  
luntate promouendi per vniuersam ditio-  
nem Catechismi, scriptum est nuper: immo  
& eius iussu editus est, & nostrorum opera per  
omnes pæne eius terras inuectus, tanta cum  
vberrate fructuum, vt iamdiu existimetur  
nihil vtilius fuisse: ita, qui confessi de venefi-  
cijs imponendi sunt rogo, testantur palam,  
numquam se tanta impietate contaminatu-  
ros animam fuisse, si eadem pueri accepissent  
a Parochis, quæ nunc docentur. explicatur a  
nobis in æde nostra, tribusque alijs templis in  
vrbe, & vno pagorum adiacentium. Fieret in  
pluribus, ni Præsul optimus, in hoc munere  
Curiones exerceri mallet. quamquam & suis  
temporibus, per diuersa loca missi sacerdo-  
tes quattuor, bini, magna utilitate multorum.  
Super sedebat communibus. Tres mulierculæ  
ab impuritate retractæ. nobili adolescenti, qui  
affirmate iurarat abstenturum salutari con-  
fessione, ni de inimico fumeret pœnas, vtili-  
ter persuasum est, vt religione potius Christia-  
ni officij, quam iniustitia impij iusiurandi, con-



strictam fidem esse veller. Hæc & talia cum intelligeret religiosissimus Princeps, cereos agnos, aliaque piacularia, quæ a Gregorio Quartodecimo Pontifice maximo dono acceperat, communicauit nobiscum, inter rusticos ac pueros diuidenda: iam enim & rusticos ipsos non pudet, dulcedine præmioli, cum æqualibus de doctrina Christiana certare. Exercuerunt se pijs meditationibus super alios, Parochi duo, & ex quinque Monasterijs religiosi aliquot, spe fructus non parui. Confitentium magnus numerus: vnus ex iis, accepti memor beneficii, quingētos aureos in pauperes erogauit. Ad Ecclesiæ gremium redire vnde uiginti: firmati vacillantes: libri complures, ne plus noceant moribus, quam profint ingenijs, vel emendati, vel combusti: grandis pecunia iniuste ablata dominis reddita: a superstitionum lue adducti non pauci: nonnulli a desperatione extrema ad spem meliorem erecti: ab improba viuendi consuetudine aliquot (in his, vna, ab impudicitia, ad frugem) eraducti. Magicis artibus, quarum seuera adhuc fit inquisitio, viri mulieresque conuicti, ad rogam vsque senserunt auxilia solatiaque nostrorum. ex his vnus, in nefandum facinus ita exarsit, vt eo loci, quo celebrantur impuri conuentus, suis sumptibus ædiculam Christo sacram auctori salutis excitandam curarit. Hæc inter, nonnulla separatim memoranda.

Vir

Vir falsi criminis ad Principem delatus, ne rapiatur in carcerem, arripit fugam: iamque cogitauerat voluntariam mortem damnationis ignominia præferre: sed opportuno vnus e nostris sermone cum regrederetur in urbem, re apud iudices discussa, innocens absoluitur: pœnaque in accusatorem conuersa: quam & luisset grauem, nisi eius precibus, qui antea habebatur reus, in mitiorem vertisset. Viri duo, apud suos primarii, ex veneficorum colluue, cum se ipsi sponte iudicibus indicassent, immanitatem sceleris nostris auctoribus execrati, & impunitatem adepti, in Christiano se opere exercent. Totidem mulieres, & puella vna, veniam a magistratu meruere, quod appareret fraude fuisse inductas. cuiusdam, qui propter furta, ad carcerem, & ad necem quærebatur, corrasa a nobis pecunia, damno resarciendo, famæ vitæque subuētum est. nefarium inter duos matrimonium rescissum. iniuste pacta, vel dirempta, vel correctæ. vir ob homicidium apud hæreticos profugus per annum sextum, cum Ecclesia & amicis interfecti reconciliatus, veniam obtinuit. vt latro audacia & scelere insignis detestaretur malefacta, suppliciumque æquo animo ferret per nostros effectum est, leniore pœna a iudicibus impetrata. Quædam sic pertinaci in suos iracundia feruebat, vt negaret placari posse: sed nostrorum alloquio ita mitis est facta,



ęta, vt vltro petierit veniam, a quibus erat of-  
 fensa. Viri duo mutuis inter se odiis anno am-  
 plius dissidebant: nec verebatur dicitare v-  
 terque Inferorum cruciatus leues sibi visum  
 iri, præ dulcedine ultionis: sed horum quoque  
 obstinatos sensus inflexit Deus nostrorum ora-  
 tione, vt in pacem reuerterentur. Alia in ci-  
 uitate, duos inter viros Ecclesiasticos idem  
 præstitum: tanto vtilius, quo viri erant ma-  
 gis conspicui: insignis nobilitate alter, præ-  
 erat alter familię religiosorum: ita rem ce-  
 lebrem fecit commune multorum desiderium  
 ac lætitia præsens. Afferam nunc ali-  
 quid, quod admiremini. Mulier cula, multis  
 iam annis afflictæ valetudine, multa post re-  
 media irrita Treuirim veniens, non ante o-  
 randi finem fecit, quam defessæ vires in pristi-  
 num remigrarent. Sacrum cęlestis agni sigil-  
 lum admotum uiro, e vulnere capitis vicino  
 ad moriendum, restituit sanitatē, supra quam  
 cuiquam credibile esset. Accipite aliud paulo  
 pluribus explicandum. Acceptam adoleſcens  
 iniuriam cum insigni rerum iactura, a quibus  
 minime debebat, ferebat iniquius, quam Chri-  
 stianum deceret: ita dolore atrox, & męroris  
 immodicus, cum sub crepusculum solus ob-  
 ambulat, dæmonem occasionum haud igna-  
 rum aut segnem obuium habuit, effigie viri  
 nobilis, atro colore: exhorruit primum: sed sa-  
 lus dicta timorem dempsit. Quęrenti causam

tristitiæ, respondet quod erat: tum dæmon,  
 præcisam omnem spem recipiendæ pecuniæ  
 per validiorum potentiam interuersæ: proin  
 se sequatur: compensaturum omnia leui nego  
 tio. Cui adolescens. A notis mihi, & ab ami  
 cis imponitur, et habebō fidem ignoto, &  
 quem nunc primum aspexi? bone Deus. Hoc  
 extremo dicto veluti fulminatū monstrum  
 hominis in auram cecidit. postridie, eadem ho  
 ra idem agitanti, offert se mulier amœno cul  
 tu, orat breue spatium secreti recessus: abne  
 gat iuuenis, instantem repellit. Exin suadet il  
 la, proferat e cubiculo gladium, et in aduersum  
 parietem impingat: recusat principio: demum  
 nescius quid ageret (aut cura abstulerat men  
 tem mentem) morem gerit: inter ferendum  
 parietem, Deus bene vertat, exclamat: hoc  
 quoque secundum fulmen dæmonem abegit.  
 redijt & tertio (hærebat enim adhuc infixā a  
 nimo sollicitudo, & pellax non deserebat) mu  
 lierem a simulat pollentem ætate ac forma: in  
 stuprum illicit lasciuia voce gestuque, nec se  
 continet intra verba, vim affert renitenti: vo  
 ciferatur iuuenis, opem implorans: accurren  
 tibus subito domesticis, improba facies eua  
 nuit. at ipse confectus lassitudine, nec potens  
 corporis, linquente animo repertus: rogatus  
 timoris: causam, & clamoris, ne hiscere qui  
 dem: adeo iacebat rigentibus oculis, exanima  
 tus, per metum etiam voce suppressa: igitur



collocatur in lecto, ac refouetur, simulque reuocatur animus aspersu aquæ piacularis: post fridie rem omnem exponit, & nostrorum suafu sacris mysterijs, consecrata cera, ceterisque armis formidatis diabolo, instructus, ita perterrefecit aduersarium, vt apparere desierit. Ceterum, anno priore, Pater Ioannes Hattemius, admirabili vir despicientia auditionum quæ ad rem nihil pertinerent, defunctus triplici morbo annorum quindecim: neruorum contractione, membrorum solutione, & podagra: quæ omnia tanta cum alacritate pertulit, vt omnes admirarentur. Anno posteriore decessit adolescens, qui ex Hibernia, vndecimo ætatis anno, inscijs parentibus, quos habebat aberrantes a fide, cum Coloniã appulisset, institutus a nostris Catholice, hanc eis mercedem rettulit, vt se ipse in Societatem daret. Eius vicem expleuere e Conuictorum contubernio quinque. Gymnasij nostri auditores amplius mille, admirabili omnes pietate. Cum Philippus & Ferdinandus fratres (quorum sæpe his litteris mentio) huc venissent, delectati sunt crebris actionibus, quas discipuli nostri dederunt: ijdem contra delectarunt, cum in publico Gymnasio, profa vnus oratione, alter versa, celebrare laudes Christi resurgentis, magna commendatione ingenij, ac pietatis. magnum hoc quoque argumentum ingenij, quod Archiepiscopo corã, & nobili sacerdotum Collegio,

legio, omnique aula, egere nobis grates in dis-  
 cefsu, amplisfimis verbis, cum illustri (eorum  
 vt verbis vtar) commemoratione meritorum.  
 nec minus illud pietatis: quod feria quinta  
 fanctioris hebdomadz, delectis duodecim ci-  
 uibus ex inopum turba, lymphis permulfere  
 vestigia, succincti: ijsdemque opipara exce-  
 ptis mensa, partitis vicibus, recitantes e libro  
 Germanico historiam Dominicæ cœnz, refe-  
 cere etiam mentes, iucundo labore: conuiuæ  
 deinde, sub suo quisque orbe repertos singu-  
 los nummos, pro apophoreto secum reporta-  
 runt. addi potest, quod in comprecatione an-  
 niuersaria per horas quadraginta, duas conti-  
 nentes expleuere ipsi, moxq; alia obiuere tem-  
 pla, cum vniuersa familia venerabundi: adole-  
 scentuli, si spectes ætatem: sed in quibus efful-  
 geat indoles senilis virtutis. De Tyronibus,  
 præter sollemnes illas domesticorum pugnas,  
 deque ijs victorias, in qua vnus exheredatio-  
 nem non timuit, nihil habeo magnopere me-  
 moria dignum.

### COLLEGIVM MÖGVNTINVM.

**O**CTO AMISIMVS hoc Collegio:  
 priore anno vnum, non multis ante meti-  
 sibus sacerdotem factum: posteriore ceteros,  
 notabili iactura. Cum enim Maio mense igno-  
 ta febris, nulla cæli intemperie, quæ occurre-



ret oculis, multos mortalium absumeret, nobis non pepercit: vna hebdomada quattuor: et (quod erat atrocius) vna eademque hora extincti sacerdotes duo, luctuoso spectaculo, in eandem sepulturam illati. Clausit numerum Pater Hermannus Tyræus, a parente Societatis nostræ Ignatio Romæ receptus, magni vir laboris, atque operis: inerat simplicitas, calliditate magis vacua, quam prudentiæ expers: ita cum neminem falleret, falli non posset: viginti annos ac septem præfuit regimini aliorum: nam toti aliquando Prouinciæ, mox Treuirensi, aut Moguntino Collegijs. Demum cum senectâ missionem impetrasset (erat fere annorum septuaginta) paucis mensibus, quibus vixit sibi, ita accommodauit se ad imperium aliorum, quibus olim imperabat, sic demisit ad quorumlibet consuetudinem, vt non minori exemplo, quam admirationi esset. funus, præsentia Vormaciensis Episcopi, qui est imperij Princeps, duarumque ædium, maximæ, et Deiparæ Virginis, campanarum pulsu (raro alias apud Moguntinos honore) celebratum est. Catechesis in vrbe quattuor locis, & finitimis pagis vtiliter obita. Catechistarum opera vrbani facellum desertum olim ac pæne collapsum, instauratum est, exornatumq; imaginibus, pietati excitandæ. Cum visitur, paucis diebus ante anastasin Domini, hospitalis domus vrbana, auditi omnes, duobus

duobus exceptis, sæua pertinacia : quorum vnus repertus postridie mortuus, alteri, vt amaret bonam mentem, documento fuit. Erat ibidem puer prognatus hæreticis, qui vt a nostris edo&us est Catholicam religionem, post sacram exomologesim, & susceptionem diuini corporis, statim decessit. In Ecclesiæ sinum plus minus quinquaginta reducti. Vnus præterea, summa vir eloquentia, summaque eruditione præditus (quod multa eius monumenta ingenij testantur) ex hæreticorum insula, vbi aliquot per annos cætus habuerat iuuenum studia æmulantium, huc cõfugiens, sacra apud nos mysteria sitienter repetijt : moxque e temporario diuersorio vxorem cum reliqua familia extraxit: grande, vt speratur, adiuumentum antiquæ religionis. Lutherani, ut vocant, Prædicantis vxor, acriore quam maritus pernicacia, veris tandem rationibus cessit. Quidam ignarus omnis Catholici ritus, nocturni terrore spatii ita alienabatur a mente, vt in furorē versus a pluribus sustineri vix posset : hic vt primum conspicatus est sacerdotem e Collegio accitum, diuino impulsu confiteri se velle proclamat : quod & facit adeo perite, ac scienter, vt iamdiu ad hoc vnum exercitus fuisse videretur. nec defuit sibi diabolus, obstructis faucibus adimit facultatem loquēdi : sed Crucis signum ori impressum fugauit obfidentem. igitur hic vicit diabolum : muliebrem



brem alter impotentiam non leuiore certami-  
 ne. Alebatur adolescens domi Lutheranorum,  
 vt filius: hic simulatque diuinam lucem aspe-  
 xit, inhianit: quin & sacro firmatus est Chris-  
 mate aduersus pugnam: non frustra: nam ne-  
 que inflexus blanditiis, nec minis perterri-  
 tus, neque verberibus infractus, tandem ex-  
 turbatus domo, speque omni hereditatis, vt  
 Deo famuletur, mauult tolerare paupertate-  
 tem, quam diuitem vitam agere in taberna-  
 culis peccatorum. mulier pia eripuit se ex in-  
 fidiis mali dæmonis remedio confessionis.  
 duobus concubinæ auulsæ. feminæ quædam  
 a flagitiosa vita retractæ. collecta elemosy-  
 na inopiæ sustentandæ. persuasum aliquibus,  
 vt in nosocomio ægrotis operam nauarent  
 perutili exemplo. ad ægros & extremum a-  
 gentes spiritum, præter morem, sæpius voca-  
 ti sumus. In supplicationibus, utroque an-  
 no, consequendæ indulgentiæ, enituit pietas  
 Moguntinorum: et posteriore quidem, visita-  
 tæ septem ædes, in quarum numero etiam no-  
 stra, Archiepiscopi præscripto: tanta frequen-  
 tia, quantam qui non viderunt oculis, subii-  
 cere menti haud facile possunt. Feriis natali-  
 tiis, & ante Paschalia, sacerdotes missi ali-  
 quot ad vicina Rincauiæ loca, & occupati  
 cum fructu. Confessiones exceptæ supra mil-  
 le, & omnes ferme generales: auditi elephan-  
 tiaci, & qui carcere tenebantur: aditi infir-  
 mi:

mi: sublata superstitiones: impuri libri flammis exusti: quidam deterritus a consilio sibi mortis consciscendæ. Ceterum, nobilitatæ scholæ multorum disputationibus: e discipulis, vno anno, non pauciores duodecim in varia Cœnobîa adscripti. Qui opibus præstant, opem ferunt tenuioribus, veste, libris, victu. Palma pietatis & doctrinæ, penes Conuictores, & sodales Marianos: ij Iustum, posteriore anno, & Pastorem: hi Prudentium, spectandos in scena populo dederunt. e quorum numero, cum diem obiret quidam, triginta florenos Sodalitio legabat: orabat proinde vnum e circumstantibus, a cognatis eos exigeret, cum venissent: eo contra tendente, quod illos de facie non nosset, Indicabo, inquit, eorum aduentum. moritur: honorifice a sodalibus effertur, admirabunda ciuitate. paucis post diebus, ante lucem lucubranti alteri, in niueo amictu apparuit, & quinquies lucernam extinxit: quasi admoneret suos aduentasse: et adnotatum est id temporis introisse urbem. ex eodem cœtu alter, cum audiisset patrum diuersarum partium Moguntiam venisse, vt eum abduceret domum, in amicorum: ædibus tamdiu deliquit, quoad ille irritus discessit. Rarum & illud, atque his gentibus inauditum. Triduum ante Pascha in sacellum conuenere ad sexaginta: mox audito sermone ad Christi amulationem incitante,

petita



petita primum vicissim venia, secutaque osculatione pedum, & breui meditatione de Domini cruciatibus, obductis fenestris, in se quisque defauit vindice flagello: paruum principium rei nouæ, & hic fortasse sine exemplo: sed inueterascet hoc quoque olim, vt alia, & inter exempla erit. eodem tempore, ex eo grege decem, intesto capite, ac nudis pedibus, profecti extra urbem, ad ædem, miraculo e Crucifixi imagine profusi sanguinis insignem. Proepiscopi erga nos humanitas, non minor quam superioribus annis: sex statuas non spernendæ artis donauit anno priore: et semel, Patres qui conuenerant ad Prouincialem cœtum, inuitauit omnes ad mensam.

### COLLEGIVM HERBIPOLITANVM .

**V**TROQUE anno accepi quædam de Noribergensi patricio (eodem ne, an vno, atque altero?) ad veram religionem conuerso: coniungam simul: id credo erit cautius, ne aut in omittendo, aut in repetendo sine causa, errem. Vir igitur nobilis e Noriberga, præcellenti ingenio & doctrina, post sedulam peruolutionem sanctorum patrum, & diurnam nostrorum consuetudinem, ad rectam de religione sententiam animum adiecit: tum quotidianis præne contentionibus aduersus  
dissi-

dissidentes ita factus acer in disputando, vt  
 eius vires experti semel non audeant iterum  
 concurrere, ne dent victoriam toties hosti.  
 hæc priore anno de patritio Noribergenfi. Al  
 tero, rursus. De diuinis rebus, per dies ali  
 quor, apud nos egregie meditatus, mox de  
 peccatis confessus, sub perceptionem Domi  
 nici corporis, expetiit sacrosanctum Chris  
 ma: is cum de scripto profiteretur Catholicam  
 fidem (vt affirmauit) tantam sensit animi vo  
 luptatem, vt se ipse non caperet. nec reuer  
 tit ante ad suos, quam esset in Sodalitium Dei  
 genitricis adscriptus: nec solum est propositi  
 tenax, sed enixe dat operam, inter tumul  
 tuantes licet & calumniantes aduersarios, vt  
 quod iam ipse est adeptus bonum, et ceteri  
 consequantur. Vno anno soluti ab hæresi do  
 mi octoginta quinque. Vir pertinax a pia ad  
 monetur vxore, vt consulat sibi: surdis auri  
 bus: decedit communis filius: tum imago  
 mortui obuersatur matri, subsidia exposcens:  
 preces illa, & piacula Catholicorum adhibet,  
 materno affectu: exauditam fuisse, indicatur  
 ab anima nuda corporis, cum se tormentis  
 ereptam ostendit: gratesque actæ. at inexora  
 bilis dudum genitor, vbi intellexit sanctam  
 ac salubrem esse cogitationem pro defunctis  
 exorare vt a peccatis soluantur, exuta super  
 stitione, induit fidem. Lutheranz sectæ con  
 cionator, nec indoctus, nec indisertus, dum a



Calvinianis expulsus, confert se in Saxoniam, incidit in menstruas Theologorum disputationes: inuitatus humaniter proponit aliqua argumenta: cui, cum & publice, & dein familiari congressu factum esset satis, ira arrisit veritas, vt palam execratus cathedram pestilentiz, toto ore manantibus lacrimis, restitutus Ecclesiæ, Moguntiz sedem fixerit, vbi inter Catholicos minore periculo esset. eiusdem vestigia, Lutheranus alter buccinator, & surda quadam puella piorum uoce librorum admonita, insistere. Mater Catholica hæreticam filiam sæpe admonuerat ut resipisceret, uano conatu: impetrat tandem, vt saltem adiret ad nostros: quod cū facit, in primo aggressu abiecturam perfidum sacramentum pollicetur: mox peracta confessione cum Ecclesia, & cum matre, certantibus gaudijs, in gratiam redit. At senator quinquagesimum iam annum, vigesimum quintum mulier, perstiterant in perfidia: vterque cum prioris vitæ crimina lacrimis & confessione diluisset, ad placatum Deum decessit. Anus hæretica nobiles habebat filias duas eodem veneno imbutas: frequentabat tamen conciones, et mouebatur ad lacrimas, in speciem potius pietatis, quam cum fructu: neque enim abrumpebat vincula (pudore ne, an cōtatione muliebri?) donec ad tollendam dubitationem, periculum, graue pondus, accessit: aliquando enim vix pedem domo extu

extulerat, cum corruit domus: fit plerumque,  
 ut magis vim mali imminentis agnoscamus,  
 postquam effugimus: mulier reputans quam  
 prope abfuisse ab interitu, ex timore contra-  
 xit morbum, & iam meliora cogitabat: subo-  
 doratus dæmon insitit vehementius, persua-  
 sit exitium, finem miseriarum: quod sacerdos  
 noster uocatus animaduertit, reperta fascia  
 circum eius collum: qua se faceret pensilem:  
 nec difficile fuit sua sponte inclinantem ad-  
 noxarum expiationem impellere. Nunc de  
 Catholicis aliqua ponantur. Cuiusdam æ-  
 des uiginti iam annis a dæmone a deo infesta-  
 bantur, ut ab incolis prope desertæ, ac da-  
 mnatæ solitudine essent: aduocatus tamen  
 vnus e nostris profligauit subfessorem Ecclesia  
 sticis telis. exorcisando etiam, & de peccatis  
 audiendo, adiutus quidam, quem septem an-  
 norum præstigiæ claudum effecerant, ut re-  
 ctus incesserit. energumena alleuata sæpius,  
 impuro spiritu, quasi post certas inducias ad  
 notam sedem subinde reuertente, demum,  
 Deo volente, liberata omnino, ut pax esset.  
 Hæc fama cum exisset, varijs ex locis, siderati,  
 & qui cursum Lynæ patiebantur, ad nos addu-  
 cti, non irritò euentu. Coniuges duo, nostro-  
 rum hortatu, diuinis quotidie mysterijs inte-  
 rierant: horum filiolum culerum manu arcte  
 complexam ( trimula erat ) cum famula baiu-  
 laret, nocte obscura, præcipiti lapsu a summis



gradibus ad ima, vestigio ruit: nulla offensa: auxit admirationem puellula, indicans se eo casu, quasi supponente manum, & excipiente in sinum, muliere perpulchra, protectam fuisse. persuasum habent parentes de beata Virgine, quam eximie venerantur. Longo itinere ad nos aliqui venerunt pacaturi animum, gratia confessionis: mulierculæ duæ a turpi amicorum consuetudinē retractæ. vnius iam destinatæ pudicitæ consultum. impeditæ superstitiones variæ & inueteratæ, vt quidam notas non intellectas, & membranas, quibus olim nihil animo carius, abiecerit. voluntarias sibi pœnas indixere multi, quo ab impijs verbis linguam abstineant. vi concionum multo plures, quam antea umquam, ad rem diuinam adducti. in Monasterium quoddam, rogatu Principis, reducta quæ diu exulauerat seueritas disciplinæ. duo, ex illa fæce hominum, qui e Zeugitana, siue ex Aegypto, profugi dicuntur (Zingaros appellant) cum delati, confessique de adulterina moneta, damnandi essent igne, a nostris prius edocti, rudesque adeo inuenti sunt Christianæ doctrinæ, vt ab Ethnicis minimum differrent: interrogati, an suam quoque præsciuisent sortem, quam alijs prædicere profitentur, responderant nihil sibi comperitum esse rerum futurarum: ceterum vaticinatos curioso populo, lucelli causa, ad voluntatem nõnnulla, securos de facilitate credetium.

Aquæ

Aquæ lustralis vsus in priuatorum domos introductus, vt Quadragesimæ cultus sanctior esset, effectum. Mulieres duæ in difficultate pariendi adiutæ subsidiis cōsecratæ ceræ, eodem beneficio asseuerat puer a se comitalem morbum, quo afflictabatur ab infantia, depulsum. Tribus locis, intra urbem, extra autem septem, Catechismus expositus. Itum etiam in oppida aliquot vicina: Non parua Prætoris pietas in vno, siue cum vniuersam familiam allicit ad confessionem peragenda, siue cum pauperes inuitat ad mensam diligentiores Christiani officii, incuriosos reiecit. Sub Pascha sex sacerdotes cum suo quisque socio dimissi circum pagos Curionum laboribus subleuandis: extitit fructus: etenim cum quinto sextoue ante anno, communicantium numerus vix attingeret ducentessimum, supra mille centum quinquaginta sumpserunt subsidia salutis: quique antea (ne multæ quidem metu) distinguebant negotiosos dies a sacris, nunc, leui admonitu, in profectis ad rem diuinam se paratos offerre. Auditores in scholis amplius septingenti. vno anno in societatem nostram transiere sex: nouem altero in Cœnobiaz diuersa. Conuictorum, & Partheniorum pietatem, vt præteream reliquam castigationem corporis, docuit plagarum crepitus, sub noctem, præter morem gentis, in nostro templo, cum propter dissidium Gallicanum comprecatio



quadragesima horarum instituta esset: tunc  
 quod peregrinam mulierem duxerunt per vr-  
 bem, quo filias duas redimetet captiuas litro  
 colligendo. tum etiam, quod eorum opera, duo  
 emerferunt ad fidem. nam illud, quod vnus  
 contempserunt minas, & indignationem paren-  
 tum, alter exheredari non recusauit constan-  
 tia religionis, quia pariter fecerunt alii, mi-  
 nus mirum, nec tamen propterea omittendum.  
 In studiorum renouatine, antequam distribue-  
 rétur præmia, spectabilis visa actio de patrocini-  
 o Angelorum: nec minus celebrata, anno se-  
 quenti, de sancta Catharina, cum serenissimus  
 Bauariæ Dux Gulielmus in hanc urbem access-  
 sisset, cum coniuge ac filijs duobus, inuitatu  
 illustrissimi Principis. De sacrosancta enim  
 Eucharistia, dictum aliquid, factumque, in ser-  
 mone, ac dialogo, coram Antistite Colonien-  
 si. Magnus quoque erga nos amor Francisci  
 Folsii Decani Aquensis, qui cum ad Cæsarem  
 legatus ab Archiepiscopo Coloniensi in itine-  
 re moritur, mandauit suis, vt in proximo So-  
 cietatis nostræ Collegio conderetur: ita hic se-  
 pultus, ornatusque a nostris funebri oratio-  
 ne. Ad sacram supellectilem, siue quoad ve-  
 stem, siue quoad vasa, non parua accessio fa-  
 cta, in villa suburbana domicilia duo extru-  
 cta, & in pisculenta viuaria induceta aqua ex  
 Senatusconsulto. Ceterum priore anno, im-  
 pleuerunt vitæ cursum sacerdotes duo, Pater

Siber-

Sibertus Bruncorstius, super doctrinam, ac sustentationem pauperum, perturbationum animi victoria excellens: et Pater Iacobus Seonocchius, spectatæ vir lenitatis, ac mansuetudinis morum. Anno altero, cum mense Maio, sex eodem fere tempore, eo, opinor, febris genere, de qua diximus in Moguntino, correpti essent, Dei beneficio, conualuere omnes, præter medici expectationem.

## COLLEGIVM SPIRENSE.

**E**TERNIS concionibus in vrbe, diebus festis, quibus addita quarta, in nostro templo, Quadragesima: e multis extra urbem, ad sacras virgines, ad paræcias, ad pagos, ad oppida huius ditionis, vberes fructus. in oppidorum vno reuocata consuetudo extra Paschæ ferias communicandi, pane extincta: compressa diebus vetitis ciborum licentia. exposita rudioribus capita religionis Christianæ urbem intra, extraque, quattuor locis. in suburbanorum cōuentu Parochorum, vnus e nostris orationem habuit: apudque eum deposuerunt peccata omnes Decano admonente. Ad animi firmitudinem, ac detestationem culpæ incitati, qui ducebantur ad patibulum. Multi ad nos longo suscepto itinere veniunt sitiētes sacrorum mysteriorum: atque in his vnus magno labore, per prærupta, spatio mil-



liarium octoginta. confessiones generales ex-  
 ceptæ vno anno quinquaginta septem. non-  
 nulli e demonum sutelis erepti. super alios  
 placatos, inter quinque familias pax constitu-  
 ta, propter euidentem vtilitatem, non occulta  
 lztitia. cum Catholicis rediere in gratiam vn-  
 denonaginta. monachus post desertam religio-  
 nem ac fidem, diu egerat præconem in castris  
 Lutheri, nunc tandem pijs commentationi-  
 bus excultus, ac Deo, & veteri religiosorum  
 familiæ, & Ecclesiæ se reddidit, optabili succes-  
 su. hæresim alter, quam docuerat ad annos se-  
 xaginta, publice retractauit. vidua mulier,  
 vxor quondam Iacobi illustrissimi Marchio-  
 nis Badensis, in templo nostro, Pœnitentiæ,  
 Eucharistiæ, Confirmationis sacramentis re-  
 secta, e nobis vnum sibi adesse voluit, a quo  
 plenius instrui posset. persuasum in hac dice-  
 cesi Præfecto arcis, vt tota cum familia fre-  
 quenter menstruam sacrorum perceptionem;  
 rusticis præterea non paucis (inter quos aliqui  
 annos nati sexaginta) vt sacro se offerrent fir-  
 mandos Chrismate, quæque omissa erant in  
 baptismo, suppleri peterent iuxta Catholicos  
 ritus. non infeliciter, mutato habitu, tenta-  
 tus aditus in hospitem domum, cuius regi-  
 nien non penes Catholicos, absoluendis mul-  
 tis a noxa peccati. Institutio Arcadij Hono-  
 riique, Danielis captiuitas & sociorum, desi-  
 derium denique sanctissimæ matris amisso fi-  
 lio

lio, & mox gaudium reperto, exhibita in theatro, frequenti nobilitati, ac Principi nostro, magna cum elegantia, & laude actorum. Discipulorum numerus adeo excreuit, vt fuerit de scholarum dilatatione cogitatio suscipienda. Collegij templiq; res aucta. donatum ab vno (vt mittam cetera) signum ex argento, cum reliquiis aliquot beati Nicolai, æque materia, & conditio illustre. Ceterum, non deerant qui annum superiorem infaustum nobis ominarentur, propter renouationem fœderis (sit autem quinto quoque decimo anno) inter Clerum, populūque Luthero deditum: res contra cecidit: optimi enim Antistitis & Collegij Canonorum ope consilioque, nostræ Societati abunde prospectum est: adeo egregie stamus aduersum furentes impetus, dum talia munimenta sustentant.

COLLEGIUM FULDENSE;

SEMINARIUM vtrumque, nobilium, & pauperum, pia olim Gregorij Tertij decimi liberalitate institutum, post decessum viri sanctissimi detractis redditibus, ad ditiorum elemosynas reciderat: sed, anno posteriore, restitutum a Pontifice eiusdem nominis Decimoquarto, tanta Catholicorum lætitia, & hæreticorum (quod magis mirere) quanta solet esse post recuperationem rei ca-



rissimæ. ita, ex Hassia, Vestphalia, Saxonia, missa a nobilibus litteræ filiorum ad nos aditu impetrando. Data comœdia perelegans, mox & tragœdia de Golia percusso, spectatorum benevolentiam auxit in ordinem nostrum: & iam, superiore anno, auctoritate serenissimi Maximiliani, erat ad certum numerum importandi vini sine vlllo vestigali facultas in perpetuum concessa: optimus idem Princeps non ignarus tenuitatis nostræ centenos tales annuos in decennium assignauit. Conciones in templo nostro frequentes, non exigua concionatorum commendatione, facundiam audacia seu obtreccionis studio minime præcipitantium. ex quo fit, vt iam pauciores in conuiujs circulisque Papam & Catholicos vellicent, & conspici metuant multi in Lutheranorum latibulis: eo magis, quod magistellorum inscitiam, modo Lutherum, modo Caluinum sonantium, desultoria leuitas suspectam facit. Latum autem recte sentientibus fuit, superiore anno, primis sacris operatos esse octo, qui e nostra disciplina prodierant. Vir nobilis ac potens vnum e nostris affecerat probro: aliquanto post eius obitum, filij cum pædagogico Collegium inuisunt: exceptique benevole a nostris, & donati libellis: ea res matri sic grata accidit, vt cum ipsam inter ac nostros lis exorta esset, experiri iudicio noluerit, sed sponte cesserit. Rei Catechistica

spes adhuc multa in segete, in vrbe pagisque  
 amplius quadraginta, nostris per dies festos  
 fere singulos salutaria semina iacentibus.  
 Ecclesiasticos inter viros pia Sodalitas con-  
 stituta est, magno nunc adiumento, & exem-  
 plo olim ciuitati, vt speratur, futura. Cete-  
 rum tātus rusticanorum hominum stupor in-  
 fectorum hæreſi, vt ne ægrotos quidem subeat  
 cura animorum: vitam morremque æstimes  
 iuxta miserandas: in rsum hos Paro-  
 chus p onem concinnat  
 vtilem e rabet promiscue  
 petentibu pariter de animar  
 morbis, per edicus patefactio-  
 nem criminu idem. Ac Parochus  
 alter, dum gra t, exemplo trahente  
 te perniciem in laborabat infamia  
 contemptuque, vt a percipere mysteria  
 eo porrigente, recusa nt subiecti: verum ad-  
 ductus ab vno e nostris, vt in Collegio vacet  
 meditationi rerum sacrarum, & exordiatu  
 aliam vitam, priore per confessionem detex-  
 ta, cum Deo primum, mox cum plebe recon-  
 ciliatus est, approbato consilio morum muta-  
 tionis. Simili modo fructuque etiam alii exer-  
 citi. Consulum alter nuper ex Lutherano  
 Catholicus, cum æger exire domo sine pericu-  
 lo non posset, prodiit tamen in sollempni pom-  
 pa Eucharistiæ, ne sermonem aduersariis da-  
 ret: et (quod mirum est) rediit valetudine fir-



risſimæ. ita, ex Haſſia, Veſtphalia, Saxonia,  
 miſſæ a nobilibus litteræ filiorum ad nos aditu  
 impetrando. Data comœdia perelegans, mox  
 & tragœdia de Golia percuffo, ſpectatorum  
 benevolentiam auxit in ordinem noſtrum: &  
 iam, ſuperiore anno, auctoritate ſereniſſimi  
 Maximiliani, erat ad certum numerum impor  
 tandi vini ſine vlllo veſtigali facultas in per  
 petuum conceſſa: optimus idem Princeps  
 non ignarus tenuitatis noſtræ centenos tale  
 ros annuos in decennium aſſignauit. Concio  
 nes in templo *de* *lanco 20* *de ſtulo* non exigua  
 concionatorum *de* *lanco 20* *de ſtulo* acundiam  
 audacia ſeu *de* *lanco 20* *de ſtulo* o minime  
 præcipitantium *de* *lanco 20* *de ſtulo* in pauciores  
 in conuiujs circum *de* *lanco 20* *de ſtulo* & Catholicos  
 vellicent, & conſp *de* *lanco 20* *de ſtulo* multi in Luthe  
 ranorum latibulis: e *de* *lanco 20* *de ſtulo* quod magiſtello  
 rum inſcitiam, modo *de* *lanco 20* *de ſtulo* rum, modo Calui  
 num ſonantium, deſu *de* *lanco 20* *de ſtulo* a lenitas ſuſpectam  
 facit. Iætum autem rec *de* *lanco 20* *de ſtulo* ſentientibus fuit, ſu  
 periore anno, primis ſacris operatos eſſe o  
 cto, qui e noſtrâ diſciplina prodierant. Vir  
 nobilis ac potens vnum e noſtris aſſecerat pro  
 bro: aliquanto poſt eius obitum, filij cum  
 pædagogico Collegium inuiſunt: exceptique  
 beneuole a noſtris, & donati libellis: ea res  
 matri ſic grata accidit, vt cum ipſam inter  
 ac noſtros liſ exorta eſſet, experiri iudicio  
 noluerit, ſed ſponte ceſſerit. Rei Catechiſtica

ſpes

spes adhuc multa in segete, in vrbe pagisque  
 amplius quadraginta, nostris per dies festos  
 fere singulos salutaria semina iacientibus.  
 Ecclesiasticos inter viros pia Sodalitas con-  
 stituta est, magno nunc adiumento, & exem-  
 plo olim ciuitati, vt speratur, futura. Cete-  
 rum tātus rusticanorum hominum stupor in-  
 fectorum hæreſi, vt ne ægrotos quidem subeat  
 cura animorum: vitam mortemque æſtimes  
 iuxta miserandas: igitur aduerſum hos Paro-  
 chus pugnare bono dolo: potionem concinnat  
 vtilem corpori: eam dum prabet promiscue  
 petentibus, interrogatis pariter de animæ  
 morbis, perſuadet bonus medicus patefactio-  
 nem criminum, & rectam fidem. At Parochus  
 alter, dum grauius peccat, exemplo trahen-  
 te perniciem in multos, laborabat infamia  
 contemptuque, vt sacra percipere myſteria  
 eo porrigente, recuſarent ſubiecti: verum ad-  
 ductus ab vno e noſtris, vt in Collegio vacet  
 meditationi rerum ſacrarum, & exordiat  
 aliam vitam, priore per confeſſionem detex-  
 ta, cum Deo primum, mox cum plebe recon-  
 ciliatus eſt, approbato conſilio morum muta-  
 tionis. Simili modo fructuque etiam alij exer-  
 citi. Conſulum alter nuper ex Lutherano  
 Catholicus, cum æger exire domo ſine pericu-  
 lo non poſſet, prodiit tamen in ſollemni pon-  
 tificata Euchariftiæ, ne ſermonem aduerſariis da-  
 ret: et (quod mirum eſt) rediit valetudine fir-



mata: moritur tamen anno sequenti, nostris  
 adstantibus, quod ipse cupiebat, insigni con-  
 stantia vsque ad finem. Aegrotorum porro  
 animis corporibusque subuentum: & reducti  
 ex iis aliquot deuij, antequam exirent, in  
 viam. Vir doctrina perinde vt genere nobilis,  
 vel a pueritia æmulator hæreticorum, suafu-  
 nostrorum cum euolueret pios libros, maxi-  
 me Patris Bellarmini controuersias, ad reper-  
 tam veritatem, quam quærebat, adhæsit, in-  
 concussa fide. eius exemplum secutus est al-  
 ter septuaginta iam annos natus, facem ei, v-  
 xori, nurnique, præferente filio. educto olim  
 sub disciplina nostrorum. In pago proximo ad  
 Catholicos rediere aliqui, atque in his, noster  
 villicus, cum familiaribus suis: quod & fecit  
 in vrbe Calvinianus, sexagesimo anno ætatis.  
 Alius cum esset annorum octoginta quinque,  
 peccata confessus, quod numquam fecerat in  
 omni vita, post paulo mortuus est. Vir nobilis  
 in vicina arce morti proximus, sacro inun-  
 ctus est Chrismate, quod a multis iam annis  
 nemo meminerat eo loco factitatum. Idem  
 beneficium præstitum duobus ægrotis in hæ-  
 retico pago. Hæc, & multa similia. Ciues au-  
 tem ipsi, etsi non omnino nostri, in dies erga  
 nos melius animati: nam qui Principes hære-  
 ticos ad nos vrbe pellendos missis litteris le-  
 gationibusque olim inuitabant, nuper hære-  
 ticorum exercitu hac transeunte, & Iudæo-  
 rum

rum (qui plures Fuldæ agunt) diuitem supellectilem diripiente, omnem nobis operam & custodiam vltro detulerunt: quo etiam tempore magistratus militem mittebat præsidio Collegii: sed auxilium nostrum a Domino: is præter spem amicorum, hostium, ne nocerent nobis domi forisue, violentiam infregit. Neque interea, qui maleficiorum dabant pœnas, publice neglecti. Vxoricide salutaribus roboratus sacramentis, ac sermonibus, tanto animo gradiebatur ad mortem, vt admirationi esset. huius mater, quasi innexa conscientiæ filii, in carcerem rapta, & exin (vt interdum homines non sola innocentia tutos facit: & muliebri plerumque corpus est dolori impar) falsa confessione ad supplicium ducenda, intercessione sacerdotis, re curatius cognita, reperta est insons: ac pronuntiatum non fecisse videri, iniusta pœna in absolutionem conuersa. Ceterum, priore anno, ereptus nobis Pater Quirinus Hostius Prorektor, in reducendis ad Deum mortalibus virtutis indefessus, is cum in leuem incidisset morbum, & alioqui contemnendum, quasi se moriturum sciret, præmuniri voluit animam, & præparari sacramentis: mox alienatus a mente est: sub ipsum decessum sibi redditus, in hac oratione, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, animam dedit. Qui sic obiit, vt fere prædixit, fides est illuc transisse, quo sperauit.



ravit. Posteriore anno, etsi passim multi extinguebantur, ac vulgabatur contactu in homines morbi, in plures diuisa est industria nostrorum: & (quod tribuendum est diuino beneficio) infesta lues neminem attigit.

COLLEGIUM HEILIGENSTAD-  
diense.

**I**N HOC QVOQVE oppido grassata est, priore anno, scuitia morborum: mirum de vno a morte non procul, qui simul atque immortalitatis alimoniam cepit, recepit valetudinem corporis. Posteriore anno obiit e nostris sacerdos, in flore quidem iuuentutis, sed, pro captu ætatis, vberrimo fructu operum bonorum: mortuo etiam hæretici illacrimarunt: elatum funus prosequente omni Ecclesiastico cœtu: quin & illis diebus conticescere iussus tubicen publicus, quasi iustitio indicto. Contra alteri cuidam accidit, qui (infelix) descuerat a nostris. erat in famulatu alterius apostata, cuius defectionis olim fuerat adiutor, & egregius conciliator nuptiarum per sacrilegium: latebram vterque habebat apud hæreticos. hic autem, expleto primo anno, hanc mercedem accipit seruitii: legendis fructibus connisus in arborem, fallente vestigio, cecidit in terram, tanta offensione lateris, vt fracta costa semianimis reportaretur

tur domum: grauescente valetudine in publicum nosocomium defertur, hero deferente: hic vero, cum inclusus sanguis, quia non suppuraret, verteretur in saniem, computrescentibus venis, post atroces sesquianni cruciatus, hausto prius poculo inter hæreticos, concessit in destinatum impiis desertoribus locum. Melius cum hæretico actum, qui nunquam Catholice confessus, in sæuo dolore corporis, vocato vni e nostris, vt sese aperuit, non diu post decedit, ad beatam vitam sibi ianua patefacta. Adolescens propter vitæ morumque integritatem præfatus Sodalitio Parthenio grauer decumbens, asseuerabat vitam sibi sanctissimam Dei parentem, Petro Andreaque Apostolis latera cingentibus, confirmasse, sine sacro viatico non decessurum. visum comprobauit euentus. Mulier quædam ita languido erat ac defesto corpore, vt quartumdecimum iam diem careret potestate loquendi: sed admonitu sacerdotis, vt se per salutaria mysteria coniunxit cum Deo, ab ipsa statim extrema inunctione, solutis nodis linguæ loqui cœpit, & habere melius, vt omnes mirarentur. Aegrotans alius sine vlla spe salutis, cum exponeret confitendo peccata, simul ac fecit finem confessionis, sensit principium recipiendæ valetudinis: nec multo post instauratis viribus in publicum processit. Energumeni duo, mas, & femina, adiuti, illius libe-



liberationem frustra tentarant Lutherani Pra-  
 dicantes: cum interea semper quæstum ali-  
 quem corradere ab obseſſo. At mulier, cum  
 Catholica eſſet, conſeſſa eſt oppugnata ſe a  
 maligno ſpiritu, cum primum Chriſti ſangui-  
 nem ebibit reuocante conſcientia. Catechiſtæ  
 noſtri, duobus ad mutuam lapidationem ac-  
 cinctis, ex manibus excuſſere lapides, & ex pe-  
 ctoribus odia. nec minus ſedati duo, qui iam  
 ſtriſtis mucronibus, vt manus conſererent,  
 contulerant pedes. alius denique qui expedi-  
 tum iamdiu ſclopum gerebat ad interficien-  
 dum hoſtem, ad meliorem mentem redu-  
 ctus. Sed quidam cum contemneret verba  
 ſacerdotis redarguentis proſanam hæreti-  
 corum cœnam, eodem die correptus mor-  
 bo, poſtridie extinguitur. Errores exuere  
 improba ſentientium duo & quadraginta: in-  
 ter hos vnus ita impius, vt nulla eum tangeret  
 Inferorum cura, nulla Dei, ne dum calitum re-  
 uerentia. Eodem ex numero fuere tres pro-  
 pter maleſcicia extremo ſupplicio addicti.  
 Concionum beneficio aliqui ſe eieccere e for-  
 dibus vitæ, Multarum pudicitia deſenſa. non  
 pauci ad Monasterij ſepta tranſierunt. Cœno-  
 bia virginum pane diſſoluta, conſtriſta vincu-  
 lis antiqui ritus. in his una, ex domeſticis mi-  
 niſterijs ad altiora aſpirans, vt ſuo ſe pede me-  
 tiretur a noſtris edoſta, accidens ad omnium  
 genua, miſeratione euicit oculos ſingularum.

Con-

Concordati discordes . Fuit, qui propter fratrem in Societatem admissum sic flagraret odio nostrorum, vt quiescere non posset : peragratis multis terris ad nos se contulit, a quibus acceptus, institutusque exercitationibus, sic immutatus est, vt nunc quasi non contentus fratrem dedisse, & se ipse nobis obtulerit iustam pœnam iracundiæ suæ . Sunt qui leuationem morbi accepturos sperent a precibus nostris, adolescentiumue ad nostras scholas euntium . Ex ijs vnus, tenella adhuc ætate, a parente admonitus, vt carnibus vesceretur die Sabbati (erant Martinalia) perstitit in recusando: quærentibus causam, Ita, inquit, Ecclesia sanxit: & religio est migrare ipsius præcepta . Mulier prægnas, cum iam biduo eijcere fetum non posset, alioqui Lutherana, remedium a nobis poscit, Dei agnum, quo statim accepto peperit sine noxa . Mulier cui dæmon laqueum: altera, cui contrucidationem liberorum, suamque, & incendium domus suadebat, ad bonam mentem perductæ: Fanaticos recensere adiutos a nobis, longum sit, nec fortasse necessarium . Increbrescunt hæc vicinas per terras sermonibus vulgi: vt diuersa licet homines religione certatim filios mittant in litteris instituendos . Vno anno accedentes ad conuiuium cæleste numerati septingenti: recte subductis rationibus, quot alias numquam . Doctrina Christiana diuersos per quindecim pa-



gos, diebus festis, & bis hebdomada maioris ieiunij tradita. supplicationes ac sacrificia ad multos menses in sextis feriis fuisse accepta, vel ex eo patuit, quod hostilis exercitus propinquas circum hæreticorum oras depopulatus, a nostris finibus abstinuit. Claudet Collegium Iudæa virgo priore a nno conuersa ad fidem. cum enim ex frequenti Catholicorum consuetudine Christiana sacra appeteret, ad sacras virgines mittitur rebus necessarijs imbuenda: frementibus parentibus, & rem deducantibus ad forum, sistitur puella: sed excusfit generosus animus notos canes, & cum metu latrantes, nec sine ira blandientes: donec eius iussu, qui præest sacris, sūma populi voluntate in æde nostra baptizata est. affluxere ad celebre spectaculum, neque in his locis, memoria hominum qui nunc sunt, alias visum, cum Catholicis hæretici permixti: virilis ac muliebris sexus omnis ætas ob propinquitatem loci effusa. admirabantur virginem, in magno comitatu æqualium claro genere, demissis ad terram oculis, ex intimo pietatis affectu: excipi renatam de sacro fonte a proceribus illustrissimis, pararu pulcherrimo: mox flexis in theatro genibus, e resticula, quam digiti moderabantur, iuxta orbiculorum numerum certas preces effundentem: dein inter sacrorum administratos mediam duci ad synagoga, & reduci sileptio, æquabili incessu: omnia

nia ex indigentia Ecclesie composita ad religionem: vt cum modestia neophytæ certaret pius cultus adulatorum: cum interea inter lacrimas ad spectantium, amicos, infensosue, Catholicos aut hæreticos non facile differeres: nisi quod gratulari illi in his certimonijs, veluti victores, indignari aduersarij victi, vt tamen, antiquos ritus, quos probare nollent, non laudare non possent.

### HILDESIENSIS SEDES ET Misiſio Erfurtensis.

**V**T IN STERILI, paruus quamlibet fructus non pœnitendus. Trecenti triginta sex communicarunt, superiore anno: posteriore, præterea centum. Tres adolescentes, & puellæ duæ inierunt monasticam vitam. nouemdecim deseruere Lutherum. Memoranda cuiusdam extremæ iam ætate conuersio. Periculose cum ægrotaſſet, vocauit alterum nostris sacerdotibus, qui in hac Sede uersantur, filium suum: eius celeritas aduentus suspicionem iniectit propinquis Lutheranis, ne dederet parentem: sed eos liberauit noster, cum diceret Catholicorum sacramenta non ita esse uilia, vt (quod a Prædicantibus fieri solet) in manica circumferantur. igitur admissus ad patrem, statimque amotum lumen (iam enim nox erat) ne Eucharistia scilicet præberi pos-



set. tum senex, non longa v sus præfatione, testari velle se Catholicum esse: affererat causam crebra dissidia aliter sentientium: esse tamen aliquos scrupulos: quibus docte & prudenter exemptis a filio, adiecit patefacturum se fuisse peccata, nisi prohiberet naturale vinculum sanguinis: cum hæc quoque dubitatio sublata esset: Neque enim filium cogitare deberet, sed personam sacerdotis: peracta confessione absoluitur, dein instruitur, firmaturque contra aduersariorum dolos minasque: discipienti sanctissimum Christi corpus spes aliqua facta est. His confectis, sub eadem noctem mediam noster discessit. paucis post hebdomadis scribit ad filium pater, ab ipsa absolute iusse in melius valetudinem: grates proinde agere: orare tamen enixe, desiderium expleat sacrosanctæ Eucharistiæ. ergo hic conuersus. reuersus alius, qui ducturus vxorem e secta Lutheranorum, flexerat ad eorum conuenticula nonnumquam: redijt enim postea ad se, & Ecclesiæ restitutus se pro Catholico publice gerit, cum vreretur perfidia, submissi duo nugiuendi, ludibrioque habiti sunt: cum deinde alius veller eum sacris interdiceret, Lutherano ritu, elusus est, hoc dicto: quod vtrique in alterum tantumdem liceret: meminisset, ex Christi sententia, non effugi condemnationem ab eo, qui alterum condemnasset. Sed hæc fuit quædam veluti velitatio: grauiora a socero

focero arma, & affinibus expedita: ad Senatum defertur leui de causa, mox in exilium agitur multa indicta: at ille nihilominus constans in suas partes coniugem adduxit: eam cum mater perducere conaretur in Lutheri popinam, perstitit in recusando: quærenti parenti utrique, Malletne in religione Luthero, an marito adhærescere? respondit. Si Lutheranam esse cupiebatis, non eram cum Catholici coniungenda: nunc quoniam coaluimus in unum corpus, consentire etiam debemus in eandem fidem. Quo responso cum exarsisset pater, exheredationem per adhibitos rebellionem ac testes renuntiat genero rem irritam esse defendenti. Ex his, ac similibus, totum odium omnisque offensio in nostros. et expulsi iam essent (vt multa contra eos scripta, fictaque) nisi Deo niteretur. tanto magis acuunt industriam. Concio diebus festis a sacello nostro translata ad primariam ædem. Catechismi perutilis expositio. Tumultuantur euerfores dogmatum, et tum auditores a concionibus nostris deterrent, tum pueros, iniecto virgarum metu, a Christiana doctrina: cum tamen qualibet puella Catholice instituta redarguat Pseudoparochorum inscitiam, quibus ipsi vtuntur. Vnus certe, de cuius imperitia erat rumor, interrogatus ab ijs, qui de more obeunt pagos, quæ essent necessaria ad baptismum: vbi diu se fatigauit, torfit-



que expectatione quærentes, homo tam improbi animi, quam infelicis ingenij, Enimvero (inquit) corpus infantis: nec præterea aliud. et affirmavit hoc (neque enim aliter intelligebat) seuera fronte. hoc acrius indignati censors rigidi, collatis capitibus, hominem publico officio mouerunt. Institutæ supplicationes, anno posteriore, auctoritate summi Pontificis, peccatorum indulgentiæ promerendæ: fructus illius temporis vicit expectationem. Centum quadraginta sex ad nos venerunt causa sacramentorum, e quibus viginti duo de totavita confessi: meretriculæ dux ad amorem pudicitiz: hæretici quinque ad sinum Ecclesiæ redierunt. Graues interim controuersiz sedatæ: filius reconciliatus patri, in quem gladium strinxerat, impos mentis præ iracundia. Fuimus & auxilio ægrotantibus: e quibus vnus, discipulus olim noster, parem gratiam maledicentia rependens, mox in morbo erratum agnoscens, expertus est non minus beneficis in morte, quam beneuoli fuisset in vita. Et quamquam in tanta turba insectorum hæresi probro ducatur Catholicum esse, eorum tamen, qui rari interlucent in tenebris, eo conspectior caritas, quo paucitas est maior. neque obscura in nos beneuolentia, siue cum priore anno subleuant commigrantes in aliam domum: siue cum posteriore sacellum exornant. hæc inter, extitere aliqua miranda.

sup

s A

Est

Est  
frid  
Ep  
nun  
tur  
gio  
heb  
est  
mo  
acc  
nor  
test  
alte  
cun  
gen  
affi  
que  
tat  
que  
ini  
gia  
aqu  
mo  
tio  
I  
hist  
tur  
ster  
nus  
tus

Est in Benedictinorum cœnobio sancti Godefridi, scyphus beati Berouardi Hildesienfis Episcopi inelyta sanctitate: e quo, ante venenum Lutheri, si quis bibisset in febrî, liberabatur: vidua quædam domo nobilior quam religione afflictabatur febrî per duodecim iam hebdomadas eludente remedia: persuasum est illi a sorore virgine Deo dicata, abigendo morbo scyphum adhiberet, perfidia abiecta: accepit, permissu Abbatis, dein remisit cum honorario receptæ valetudinis. Huc addi potest, visum, diuersis temporibus, vni, atque alteri virgini, obiectum in hostia consecrata, cum sacrificio intersunt: Christum illa veluti gementem sub cruce imposita humeris: hæc affixum in cruce conspexit: miserabilis vtrique species, sed ad incitandos animos ad pietatem apta. Adolescens infernum hostem, a quo multis iam noctibus premebatur manu iniecta (& apparebant mane luctantium uestigia) ab se depulit sacro sigillo cælestis agni, & aqua lustrali: cuius vtilitatem non Catholici modo, sed & hæretici, & eorum magistri stultiores discipulis experti.

PROXIMIS annalibus pollicitus eram historiam Erfurtensem aliena fide: nunc tantum reddo quæ accepi ex capitibus anni posterioris, his fere verbis. Erfurti sacerdos vnus in libera custodia ad vitandos ciuium motus sese continuit: hoc tamen anno prodire



cæpit in publicum, concione nihilominus interdita. ita ferme tertia pars populi dilapsa est. eius labor in firmandis solandisque Catholicis plerumque consumitur: ex quo fit, ut multi ad eum e nobilitate, & vicinis etiam locis conueniant gratia confessionis. Ab hæresi absoluti nouem. confessi refectique caelesti cibo amplius sexcenti: facta nimirum potestate sacra faciendi, præbendique mysteria in primario templo.

### MISSIO ET PROSCRIPTIO

Halberstadiensis.

**D**E HALBERSTADIO attigi pauca, cum annuas litteras scribere cœpi quinto abhinc anno: nunc paulo plura ponenda. Quo tempore sanctus Hildeginus a Salin-gestadio vrbe, Episcopi sedem in hanc Saxoniam oram transtulit, conditum est a Carolo Magno Halberstadium, quam postea metropolim Episcopi quadraginta quattuor, atque ex ijs non pauci sanctimonia insignes, longa serie habuerunt. intra urbem Canonorum Collegia quattuor, parœcia vna, Monasteria decem: duo adiacent vrbi. longule dissita Cœnobicia sex. sed urbana, aut veluti cadauera iacent, aut iam receptacula nouarum superstitionum: conuersa quædam ex ijs in officinam impiorum dogmatum, siue in ferratrinam

Pria-

Principis . remotiora ab vrbe , non ita affla-  
 ta maligno spiritu , seruant adhuc , plus minus-  
 ue , vestigium aliquod prisca ritus . quattuor  
 dumtaxat , integra quidem specie atque im-  
 mora : sed ne ruant , aliqua ex iis fulcienda . Ci-  
 ues , qui se Catholicos profiteantur , non plures  
 quattuor . Rebus ita deploratis , Franciscano-  
 rum , & Dominicanorum Antistites , homines  
 minime mali , sed qui prouecta iam ætate diffi-  
 derent sibi , constituunt vocare aliquot e no-  
 stris in partem laboris . visum tamen quod agi  
 tarent animo , deferre ad Canonicorum Colle-  
 gium : nihil per se mouere ausi , an quo plus au-  
 thoritatis in consilio inesset . cum plurimum sen-  
 tentiæ contradicerent , surrexit quidam a re-  
 cta religione alienus , multisque rationibus  
 peruicit , vt Iesuitæ accerferentur . Vbi acces-  
 simus eorum inuitatu , fortasse quod pœnite-  
 ret consilii , magna mole fuit exprimendus af-  
 sensus , vt nos vocatos esse faterentur . et asse-  
 uerabant quidam veteri Canonicorum decre-  
 to Iesuitas cathedra prohiberi . cum ea iacta-  
 rentur , flexit concitatos animos , Visitator , vt  
 vocant , Prædicantium , educator olim pueri-  
 tiæ Principis : is affirmavit vltro nostrorum  
 conciones iuste reprehendi non posse : et tra-  
 xit omnes , in sententiam suam . accepti tan-  
 dem a Decano & Cœnobiarcha Franciscano-  
 rum , aliisque nonnullis , non parua significatio-  
 ne beneuolentiæ . ab his initiis nostri se accin-



gunt operi, tota mole concionum in eos incumbente. Quadragesima verba fecerunt quotidie ad Ecclesiasticos Latine, ter quot-hebdomadis Germanice ad populum: et si interim per hanc diœcesim, vicinamque Magdeburgensem, excurrebatur ad diuersa Monasteria. Catholicæ Ecclesiæ manus dedere octo: duo ex iis testabantur cum lacrimis, nunquam se lapsuros fuisse tam turpiter, si talibus concionatoribus vti contigisset. quin & a plerisque ciuium, vt erga nos videbantur animati, aliqua spes affulgebat. Rosarii vsus in Monasterium Magdeburgense: reuocatus. Data opera est, vt aliorum Monasteriorum ludimagistri non alii quam Catholici essent. Desertor suo ordini redditus. Pax inter primarios viros constituta. Itum ad ægrotos, e quibus Ecclesiastici duo, magnæ apud suos auctoritatis, rite expiati mortem parato animo expectabant. Ceterum, nostris sollempne est, præter huius consuetudinem loci, in publico rem diuinam facere, commodare aurem confitentibus, Catechismum exponere, libellos pios, & imagunculas distribuere. ante Pascha Canonicus vnus: ex aliis Ecclesiasticis, confessi viginti. sex Catholico ritu communicarunt. Atque hæc de Missione, & de anno priore. Superest nunc, vt de proscriptione, quæ incidit in annum posteriorem, breuiter dicamus. Igitur, his tam paruis initiis, nostri (quod magnæ

constantia fiduciaeque est non abiicere animum, sed sperare semper) efficacior esse perseverantiam viribus rati, & per modica incrementa superari, quod vno statim impetu perfringi non possit, quo cautius rem agunt, eo magis aduersariis suspecti: audiebantur quidem frequentes eorum minae, sed nihil ultra verba, quamdiu vixit vir magna apud eos auctoritate, quam sibi eruditione iuxta ac virtute pepererat, Eustachius a Boythel, acer propugnator Ecclesiae, & amantissimus ordinis nostri: is enim vnus omnes eorum conatus comprimebat. eo pie & Catholice, sine anni superioris, inter manus nostrorum vita functo, erupit furor agre coercitus. Itaque, initio insequentis anni, Collegium Canonicorum ad nos allegat certos homines ex alta haeresi, qui honora oratione, ac molli, interdiciant cathedra, obteatu leuandi laboris. Non ignarum nostris id penetrare altius: itaque ne taciturnitas indicaret imprudenciam, aut metum, Casparum a Canneberg ad eunt summae aedis Decanum, neque huius conspirationis expertem: conqueruntur de Ecclesiae periculo, deque iniuria sibi illata, per speciem honoris. At ille, male tectam dissimulationem vultu ferens, dolorem simulans, si (inquit) vobiscum ita actum volebant, praestabat non pedem intulisse. de Ecclesia vero nullus metus: Quippe substituere cupimus concionatorem

Catholi-



Catholicum, nec nisi de vestra sententia & manu. Hoc responso non placati discesserunt, sed excussi. At boni nihilominus trepidare, & (quod solitum in re simili) cōfugere ad vota, frequentare templa, comprecationem quadraginta horarum instituere: omniaque tanto ardore, ac si vltimum periculum adesset. Ridere ciues Canonicorum inconstantiam, suis agris timere. At nostri exclusi cathedra, in reliquas curas magis intenti: rem diuinam facere inter audientium lacrimas: dare operam confitentibus: obire Cœnobia: deiectorum animos erigere: atque hoc per eos dies, quibus solutior viuendi licentia. Cinceralibus, viginti circiter mortalitatis admoniti cineris aspersu. quattuor post diebus, vis cuncta periculi in vnum collecta est. Henricus Iulius Dux Braunsuicēsis, puer olim designatus Halberstadiensis Episcopus, nunc vir secundarum nuptiarum, hanc in vrbem venerat, exturbare cupiens sacrificium Missæ, circumlacionē, asseruationemque Eucharistiæ, & quæ alia irreperant contra scita Augustanæ Confessionis. sed primum (vt ferebatur) eiekturus notros (hi tantum sacerdotes duo erant) qui videbantur moram cupitis asserre. ergo, vt res indueret aliquam speciem iudicii, iubet sistere se in aula ad diluendum obiektā. Aberatum forte alter, circum Monasteria vicinam vrbem: nec potuit, qui remanserat, tantulum impetrare

petrare spatii, dum monitus reuenteretur. Itaque, solus, vti erat, atque imparatus, ire cogitur. Tum ad eum Cancellarius, multis presentibus, in hanc sententiam verba fecit. Loquor tamquam cum vno, ex auctoritate Principis, sed quæ cupimus, vt omnes intelligant. Nihil esse ciuitatibus vtilius, aut intentione cura custodiendum, consensu populi, vos ipsi scitis, qui alios docetis. huic quicquid obest, etsi specie, aut re paruum, continuo tollendum est: serpit enim contagione malum, & quod modicum initio fuit, paulatim se intendit. nihil tuto in regimine despicitur. Porro vos esse e numero turbatorum, non loqueretur fama, nisi materia sermonum subesset. certe, quasi facem manu ferentes, accenditis ignem, quacumque ponitis vestigia. quod nisi dudum vidissemus, discere potuimus e proxima Germania. Iam, si vestrum munus ac professio est, quod iactatis interdum, vt velitis prodesse quamplurimis, ne Halberstadio noceatis, quamprimum discedite. rogat nobilitas, eaque de re ad Principem misit supplicem hunc libellum (profert interea bullatum signis late patentibus) Etiam hic obsistetis publico consensu? An ne semper, vbi communi flagrantis odio, vos esse delectat? Auferte vos hinc orant ciues: Princeps ipse (si hoc etiam expectatis) pro potestate iubet. Proinde, ne quisquam proximum post diem Dominicum vos



Halberstadii videat, prouidete. Dein addit.  
 Tum quæ istæc vestra confidentia est, clamcu-  
 lum hic habere discipulorum cœtum, & litte-  
 rarum ludum exercere conari, inuitis legibus?  
 Nam sectarios vos esse, errores spargere in vul-  
 gum, corruptelam religionis moliri in Cœno-  
 bijs, ne ipsi quidem negatis, qui talibus re-  
 bus gloriamini. Quemlibet audacem prom-  
 tumque, nedum nostrum solum, vt dixi, & re-  
 subita permotum, Cancellarij oratio quæ ex  
 ipsius ore Principis mitti videbatur (erat e-  
 nim atrox, & seuera) deterrere potuisset. Sed  
 tamen, reputans infirmitatem eorum, quæ o-  
 bijcerentur, ipsaque bonitate causæ audacior  
 in hunc ferme modum respondit. Viros regen-  
 dis populis exercitos, & sapientes, qualem es-  
 se te decet, circumagi rumoribus vulgi lau-  
 dantis aliquid, aut carpentis, prout amore, o-  
 dioue ducitur: fidemque habere externis fabu-  
 lis, quæ ex longinquo in maius audiuntur, nec  
 æquum esse, neque vtile, tu ipse pro tua pru-  
 dentia, etiam tacente me, potes existima-  
 re. sermones credulitate aluntur: et sæpe  
 vulgatarum rerum, quæ immanes dictu vi-  
 dentur, si indages inquirendo, auctorem aut  
 improbum reperias, aut nullum. fit autem  
 plerumque vt falsi auditio radices agat in  
 animo, magis a deo, quia de illis dicitur, quos  
 non ames, quam quia, vt credibile, affertur.  
 Coniecturam capere licet de Germanis pro-  
 ximis,

ximis, in quos quicquid accidit ab irritato  
 Principe, ab ipsorum culpa fluxit, non a no-  
 stra: nisi quid culpæ in eo sit, subduxisse se fu-  
 renti populo, & strictis mucronibus iugula  
 non præbuisse. Neque vero nos illic, aut alibi  
 vumquam concitauimus turbas, istæ potius tur-  
 bæ sunt (veritas facit in dicendo audacem)  
 erectos velle sine causa, quos vltro vocauistis.  
 Nec quempiam mouere debent exposita tot  
 sigilla: nam mobiles animi, ceu leuia bractea-  
 rum altis in speculis obsecundantia vento,  
 eam in partem feruntur, quo validior flatus  
 impellit. Dicta breuis dies discessus, & socio,  
 & mihi: expectetur, ille dum redeat: soli abi-  
 re non licet. Nam quod fingimur litterarum  
 præcepta tradere iuenturi, leue est, & simile  
 criminum ceterorum. Duo adolescentuli com-  
 mune hospitium nobiscum habent: eos nobis  
 hospes commendauit: eunt ad vestras publi-  
 cas scholas, illic docentur. Nunc, quæ inuidia  
 est, subdoceri interdum priuata diligentia? At  
 Sectariorum numero qui nos habet, ignorant,  
 aut dissimulant testimonium synodi Triden-  
 tinæ: faciunt deinde iniuriam Cæsari, alijsque  
 Principibus, qui nos adhibent ad conseruan-  
 dos aut restituendos antiquos ritus religio-  
 nis: hic enim ardor in æmulatoribus Ignatij,  
 vt quem ignem accensurus Christus venit in  
 terras, alimentorum suggestu perpetuent, vt  
 viuat: seu suscitent, vt reuiuifcat: neque alias



quis dixerit nostras faces. Sic confutata oratio Cancellarij est. Nihilominus ille ad adstantes. Miratur (ait) hosce homines Princeps eius ditionem intrare ausos. Miretur potius (respondet noster) ab iisdem Indos, Sinas, Iaponios, intimos Barbariæ populos penetrari. Tales esse debent venatores animarum. Post hanc sermonum vicem digreditur Cancellarius ad Principem: exponit vltro citroque dicta. Mox regrediens. Si summo iure (inquit) vteretur Princeps, iussa repentina migratione, ne dignaretur quidem aspectu. sed habet rationem clementiæ: audiet ambos, vbi alter reuerterit. nec desperat obedienter imperata facturos. enimvero imitandi Apostoli excusso pedum puluere solum vertentes. Sic ad paucos dies dilatus discessus. cum interea crebro ex aula mitterentur, qui interrogarent de alterius aduentu: sine cura quædam illa, siue acceleratio fuit. cum redisset, agitabantur (adultra licet Quadragesima) ludiequestres, communi lætitia: ad summam desiderabatur facefferent nostri, & omnium oculos duo liberarent. At ipsi componunt supplices litteras, mittuntque ad Principem. Vocantur sine mora, tantisper decursione equitum intermissa. forma iudicij hæc fuit. Sedebat Princeps: ad eius læuam, ruentis Lutheri adminiculum, Martinus Mirus, identidem in aurem insuffurans: circum deinde longo ordine nobilitas,

consiliarijque in subsellijs: stabant nostri, re  
 quidem iam præiudicata, sed tamquam ante  
 iudices pro se causam dicturi. Tum Princeps  
 præfatus Lutheranum se esse, nostros Catho-  
 licos (utebatur eo nomine ad augendam inui-  
 diam) ferre non posse in suis terris pronun-  
 tiata Catholicorum: neque aliam ob causam  
 concione prohibitos, repetit dudum a Cancel-  
 lario dicta, proinde, vt excedant, fixum in ani-  
 mo habere. Ad hæc illi, prudenter ac modeste:  
 Grauem esse facinorosorum pœnam in inson-  
 tes: venisse accitu Canonicorum, missu eor-  
 um, qui potestatem habent: nihil tentatum,  
 quod bonorum aliquis improbarit: accom-  
 modasse dictionem ad vtilitatem audientium,  
 quorum iudicium non reformident: nisi res ex  
 arbitrio agitur, non ex lege. Penetrauit hoc  
 Principem, itaque, ne quoniam deerat causa,  
 ipse causæ deesset, aduersus Ecclesiæ effata,  
 de sacrosancta Eucharistia, de sacrificio Mis-  
 sæ, alijsque, profert nonnulla, sed rancida, ac  
 vieta: & ne cum deficeret memoria, de scrip-  
 to. quæ omnia cum facile refellerent nostri  
 (restituente quamquam Miro partes Princi-  
 pis, non meliore euentu) qui intererant, eorum  
 doctrinam animique magnitudinem æque mi-  
 rabantur. Amplius duas horas disputatio te-  
 nuit. Cum tandem Princeps, impar veris, do-  
 lorem animi iracundia tegens, surrexit, adie-  
 citque toruis oculis, Non esse sibi ex verbo  
 Dei



Dei responsum. Proin decedat ad dictam dis-  
 nisi malint duriora experiri. Nec diu post, exit  
 edictum typis excussum, quo diserte, in vrbe,  
 totaque eius ditone, Sectarij, corruptores,  
 perturbatores reipublicæ, esse prohibentur. Si  
 quis acceperit hospitio, mille talerorum mul-  
 ta. Cuius atrocitatem edicti admiratus Prin-  
 cept, & cum stomacho detestatus, castigato  
 verbis typographo, conquiri omnia exempla-  
 ria, comburique iussit. Impetratæ dehinc in-  
 ducitæ ad dies quinque: & expressum testimo-  
 nium a Collegio Canonorum, in hanc ferme  
 sententiam. Missos duos excellenti homines  
 doctrina, egregiosque animi, inuitatu pri-  
 mum Cœnobiarchæ Franciscanorum, mox  
 & Canonorum rogatu, vt Cœnobiarchæ  
 opem ferrent: ea in re officium, fidem,  
 diligentiam satis superque probasse: tum  
 vero, propter integritatem morum ac vi-  
 tæ, Canonicis, alijsque multis, probatos  
 fuisse: nunc commutata ratione temporum,  
 exacto annuo spatio, ad suos, vnde venerant,  
 remitti. Sub ipsum discessum, accurrens qui-  
 dam inueteratam exiit hæresim quadraginta  
 annorum: vt etiam abitus fructu aliquo non  
 careret. Sed interea contigit vnum, atque  
 alterum, ei simile, quod scripsimus triennio an-  
 te, in Prouincia Polonia, de nostrorum e Tran-  
 siluania eiectione. Nam hic quoque vnus inti-  
 mus Principi qui aduersum nos credulas eius

aures

aures implebat, antequam nostri cederent  
 ex vrbe, discessite vita. Nec multo post, vnus e  
 senioribus Canonicis summæ ædis (qui se vxor-  
 em ducturum apud Principem firmauerat fi-  
 dem) morbo interiit. Terruit animos mors  
 vtriusque; huius etiam sepultura, Dilato enim  
 funere vltra decimum diem ad Parasceuen: vt  
 (quo magis aduersarentur Catholicis) lugu-  
 brém piorum cærimoniam campanarum pul-  
 su fœdarent: eo die notabilis tempesta exor-  
 ita est, vt nisi funibus alligaretur cadauer ad fe-  
 retrum, efferi non posset. reliquus dein cul-  
 tus Ecclesiasticus ex æde summa eiectus anno  
 septingentesimo a primordio sui: atque ex a-  
 lijs ordine Collegijs Canonicorum, & Mona-  
 sterijs omnibus, duobus tantum exceptis. In  
 templo enim Sancti Mauritij (occlusis tamen  
 foribus) fit sacrificium Missæ: & alterius Cœ-  
 nobij Præses, cui nomen Heino, perseverauit,  
 vt antiquos ritus non temeraret. Post hæc pro-  
 cella a Cœnobijs virorum, ad uirginum cōuer-  
 sa est. Harum Cœnobia illustri vetustate ac vir-  
 tute sex (nisi me fallit aliqua similitudo no-  
 minum) Visitatores auctoritate graues & per-  
 fidia, omni ratione peruertere conati sunt,  
 principale imperium obtendentes: immis-  
 etiam in earum vnum, Lutheranis aliquot se-  
 minis perditæ vitæ, ad alliciendos animos mu-  
 liebres. Sed constantes illæ fuerunt, & viriles  
 animos gerentes: vt, admiratus Princeps iq-



Etasse dicatur vocem, quam superbus ille Per-  
 farum rex, qui naturæ bellum indixit: Viros si-  
 bi feminas, & feminas viros fuisse. Magnum  
 testimonium, & ab inuito extortum. Habet  
 enim apud malos quoque multum auctorida-  
 tis Virtus, nec quicquam est vel ipsis inimi-  
 cis, magis laudabile, aut metuendum.

### MOLSEMIENSE COLLEGIVM.

**D**E QVINQVE deferentibus vana opi-  
 nionum: de duobus in Societatem adscri-  
 ptis: de agnoscentibus plurimis rationem re-  
 cte confitendi: de celebrantibus conciones, &  
 intra extraque urbem Catechismum: de de-  
 ponentibus odia: de pie aliquot decedentibus  
 in lectulo, non nemine in patibulo firmatis  
 opera nostrorum: de cælestis agni beneficio  
 in mulieris puerperio: de meretrice a lupa-  
 nari abducta, puella a periculo: de excultis v-  
 troque anno non paucis ad formulam nostra-  
 rum exercitationum: de extirpatis supersti-  
 tionibus, reductoque vsu supremæ Vnctionis:  
 de institutis semel atque iterum precibus ad  
 horas quadraginta, alias etiam ad quinquagin-  
 ta, auertendo hosti in Alsatiam irrumpenti:  
 deque alijs muneribus nostræ Societatis: di-  
 stincte non ponimus, ad illustrem conuersio-  
 nem viri principis animo festinante. Referen-  
 dam hoc loco arbitror mentem ijs, qui hæc au-  
 diunt

diunt leguntue, ad ea, quæ triennio ante in Spi-  
rensi Collegio huius Prouinciæ de Ioanne Pi-  
storio adiuncto Catholicis memorauimus :  
quem & Princeps quidam ex Badensium ori-  
gine statuit cum Smidelino magno clamatore  
hæreticorum committere: his enim verbis vti  
sumus. Hic porro Princeps, ni fallor, Iacobus  
nomine erat, vel a puero, domestica institutio-  
ne & consuetudine Lutheranis addictus. quos  
tamen accedente robore ætatis mentisque,  
cum animaduertit, sine luce sacrificij, sine um-  
bra pietatis, opifices absconarum opinionum,  
& inter se dissentientium : e contra Catholi-  
cos constare sibi pulchritudine rationum, ac  
vitæ: omnia apud eos esse splendida atque illu-  
stria: quæ prima spes est apicendæ sapientiz,  
cœpit, an cum Lutheranis desiperet, dubitare.  
eius rei vt experimentum aliquod caperet, Ioã-  
nem Pistorium, quo medico, & consiliario vte-  
batur ( is nuper abdicarat hæresim vti dixi-  
mus) proponere iubet quædam capita ad di-  
sputandum. Non recusat certamen Ioannes  
Andræ Smidelinus, antesignanus Lutherana-  
norum in Germania, graui admodum ætate  
truncus, & prole numerosa. sed inferius sua di-  
gnitate ratus, si Theologus cum medico con-  
grederetur, vltro vocauit Iesuitam arbitrum  
pugnæ, seu, si mallet, aduersarium. Vbi vtrum-  
que intelligit paratum, nec tere moras, multa  
causari: donec hæreticus miles Alsariam oc-



cupat. Tunc enim arbitratus non commissuros se periculo, multis comitantibus verbi ministris, Badam, quasi in locum certaminis venit. res contra cecidit. Adsunt inuitati propugnatores Catholicae religionis. cum elabendi nulla esset potestas, retractat condiciones disputationis, hac sententia, vt ab argumentationibus Dialecticis, effatisque Philosophiae (quam inanem vocat Apostolus) abstineant. Igitur inicitur pugna in magna nobilium corona, & virorum Principum: a qua misere fatigatus victusque discessit Smidelinus, vt omnibus ludibrio esset. Haud fallebat ipsum, qua fama distraheretur: itaque libello edito se uictorem pronuntiat: sed cum, vt indoctus antea rideretur, nunc etiam vt stultus, ad tedium compulsus vitæ, supremum diem expleuit. At Badensis Marchio, cum vanitatem magistri & inscitiam, Catholicorum modestiam & rationum pondera tacitus considerat, ad defectionem quidem spectabat, sed tamen nondum a iugo se abripiebat inueteratae consuetudinis. interea Deum votis precibusque fatigabat, vt lucem ostenderet. factum per eos dies, vt eiusdem concionator Principis, testis superioris disputationis ab hæresi desisceret. hoc cum improbi ægre ferrēt, gratulatus Marchio, hunc quoque componendum cum illis existimauit. Confluxere multi abstergendæ communi maculae, ira animos acuate, sed,

Dei

Dei ope Catholicus duplicata gloria inuictæ religionis discessit. Hic Marchio, nihil prolatandum ratus, Patrem Rectorem Collegij acceffit, audit decreta Tridentini Concilij, bidui ieiunio corpus macerat, vacat contemplationi rerum diuinarum, & cogitationi veteris vitæ: demum, peruigilata nocte, postridie peccata patefacit, tactis Euangelijs iurat in obsequia Catholicæ professionis, sollemni ritu: interest rei diuinæ, ad cæleste accedit cõuiuium, lato sane vultu, sed ad modestiam composito, vt ex oris habitu qui cernebatur oculis, animus quodammodo intus cerni posset. Ipse quidem tanta se voluptate perfusum esse testatus est, quanta numquam antea in omni vita. Neque hic acquisiuit. Postero enim die sic ad Rectorem. Heri (inquit) Deo pollicitus sum daturum operam, vt quorum cura mihi commissa est, reducantur in viam, si alicubi errent: non aliter faciam, eo adiuuante. Itaque proposito edicto, concionatores hæreticos, & si qui Catholicam fidem amplecti nolint, exire iubet: Episcopum, & sacerdotes aduocat in restaurandis sacris: calendarium Gregorianum promulgat: ipse obuios quosque hortatur, se duccem sequantur, antiquam religionem libenti animo capebant. Nec deerat voluntas multorum, si verbis crederes. Mittebantur interea a vicinis locis, cum muneribus, sacraque suppellectili, qui nomine Principum gaudio fun-



gerentur. Summa bonorum omnium erat expectatio: cum impietas se conuertit ad nota arma, venenum inter epulas datum: quo paulatim irrepente, siue non statim succumbente natura, cum mors ad decimum diem differretur, nihil fecit, quod reprehensum, nihil dixit, quod reuocatum velles. omnia plena pietatis, ex quibus agnosceres contemptum mortis, ac desiderium vitæ cælestis. Cum deinde se deficere sentiret, armatus omnibus sacramentis, inter omne illud tempus, quo pius spiritus mortali secernebatur a corpore, a Deo veniam peccatorum, & Ecclesiæ instaurationem suppliciter petens, ad meliorem vitam migravit. Vir, si spectentur ingentes cogitationes, quibus impleuerat pectus (vti a Deo æstimantur) comparandus cum illis, qui Christianam religionem propagarunt. Nec tamen caruit admiratione, quod vxor eo viuente pertinax, post ipsius obitum hæresi renuntiavit. Ceterum amplius discipulorum numerus, & fructus: data ab ijs, posteriori anno, dramata duo eleganti ornatu Parthenianorum, vt alias, pietas incensa. Catholicum adolescentem extinctum in hæreticorum pago importarunt in urbem honorifica pompa. Collegij ædificatio promotæ sacrum instrumentum, & bibliotheca aucta, multorum liberalitate. At fundator noster Episcopus excellenti pietate fundationem constabiliuit posteriore anno, muniuitque litteris amplissimi.

plissimis, magno Argentinensis Ecclesiae proce-  
rum virtute ac nobilitate praestantium, as-  
sensu.

COLLEGIUM CONFLVEN-  
tinum.

**C**ONIVNGAM duas narrationes po-  
sterioris anni propter similitudinem re-  
rum nō indignas. Ex iis qui in scholis instituun-  
tur, vnus obligauerat se voto ad sancti Mar-  
thiae Treuirensis binæ profectionis; mox con-  
cedit e vita: orat tamen hospitam extremis  
sermonibus, admoneat parentes, vt pro se vo-  
tum exoluant. moritur dein pater adolescen-  
tis: mater ad hæreticos transit, & ad virum se-  
cundum: filius negligitur. Quarto post anno  
adolescentis species hospitam aggreditur, se  
contemptum grauiter expostulans. Refert  
rem illa ad Ecclesiasticum magistratum trepi-  
de: habita est fides: iubent matrem vitricum-  
que suscipere peregrinationem votiuam: fa-  
ctum: sed animis inuitis: dein tristis apparet  
imago filii: negat eum laborē sibi vtilem fuis-  
se, non sponte sumptum. hilarem enim dato-  
rem a Deo diligi: proin si eum liberatum ve-  
lint, repetant idem iter studio volenti, se eo-  
rum comitem futurum. erant preces, sed qui-  
bus contradici non posset, nisi mallent mole-  
stam formidinem, itaque subijt voluntas pere-



grinationis: et docebat ipse in effigie interdum aspe&abili, quid, quando, quantumque offerri ius fasque esset: quin & precipuam quoque aram cum illis circumijt, & ad sancti Matthiæ reliquias demisit genua venerabundus. Post hæc soluto voto matrem educit e templo. Iam, inquit, reuertere, in nomine patris & filii & spiritus sancti. & in faciem columbæ miri candoris ex oculis mirantis euauit. Hæc, vti gesta sunt, vir, & vxor, non multo post grauisimo correpta morbo, cum Senatus narrassent, eiusdem iussu misi ad Collegium, vt referrent nostris, quod scire matorum intereret. Huic narrationi subtexendâ altera non dispar. Mulier genere nobilior quam pietate, sic male tractabat filium alumnus nostræ disciplinæ, vt ei aliquando, quod sextis feriis respueret carnes, fregerit brachium: deinde moritur in eadem perfidia: sed non abest suspicio (an quod aduersum egenos liberalis & benefica fuisset) quin durante adhuc tractu & lentitudine mortis, miserante Deo, sit ad pœnitentiam conuersa. Septennio post, horrendis circumdata flammis, terrifico cruciatu, eidem offert se filio, implorans eius misericordiam, miseria ostensa, orat anno integro quotidianum sacrificium, ac mundum suum omnem muliebrem Deo offerri. nullum esse maiorem locum filio in matrem exercenda pietatis, non fuit opus pluribus ad impel-

lendum

lendum adolefcentem sua sponte propensum, plenus miserationis ac metus annuit: quo nondum plane consumpto, sese cum patre coniungit: is iam pridem ab hæresi se eiecerat: placuit utriusque rem maturari: nec mora, fit sacrum quotidie: ad quod accessisse eam aspergentem se aqua lustrali, & stimulos interim addentem viro, si forte cessaret in preces, neque fuisse vanam imaginem, quotidiana ipsius species affirmavit. nec minus interea eunti filio in Europam ultimam comes additur mater, dieique prædictionem, post elapsum annum, quo eripienda erat ex atrocitate pœnæ, pulcherrimo visu implevit. His duabus historiis, sicui est voluntas, aut otium similia conferre, non inutile erit adiungere, quod quinto abhinc anno tradidimus, in Prouincia Francia sub finem, Collegio Augensi. Ceterum hæc, quæ dicta sunt, fuerint argumento discipulorum pietatis, doctrinæ enim, tum persæpe in dialogis, publicisque actionibus specimen datum, tum variorum elegantia carminum, in excipiendo Archiepiscopo fundatore nostro, cuius animus magnis & assiduis beneficiis erga nos expleri non potest. is alterum domicilium habitationi nostræ commodum ædificat, sollempni iam cærimonia consecrato lapide in eius fundamenta deiecto. suam quoque benevolentiam ostenderunt cives, cum in prouincialibus comitiis, non mo-



do ratam habuerunt nostram vectigalium im-  
 munitatem, sed differuerunt augendos redi-  
 tus Collegii: vt augeretur numerus tam vti-  
 lium collegarum. Igitur frequentatum tem-  
 plum: multi concionibus ad rectum iter redu-  
 cti: quidam se innovarunt ad religionem bo-  
 nam: totius uitæ maculas non pauci viri nobi-  
 les per confessionem expiarunt: inductus in-  
 ter multos necessarii ieiunii vsus: eiectus cul-  
 tus inutilis calamistratæ comæ: immoderato-  
 rum conuiuorum sumptus castigatus: benefi-  
 centia in pauperes excitata: iniuste parta re-  
 dhibita: credita pecunia, ne debitores labe-  
 rentur, in periurium, remissa: meditationibus  
 piis viri Ecclesiastici aliique exerciti cum fru-  
 ctu: adiuti moribundi, & in valetudinario de-  
 cumbentes: reconciliati discordes: superstitio-  
 nes aliquot enulsæ: custodia subleuatæ: re-  
 uocatæ ad firmitatem maleficæ, quæ duce-  
 bantur ad mortem: particula consecratæ ce-  
 ræ, ad depellendos horrores dæmonum, vim-  
 que auertendam veneficiorum, utilis inuen-  
 ta: domi forisque explanatus Catechismus,  
 magna discentium æmulatione. Hæc & talia,  
 vt multa sunt, magna etiam videri poterant,  
 nisi admirationem adimeret consuetudo reli-  
 quorum annorum.

## MONASTERIENSE COLLEGIUM.

**I**NGENS mutatio civium post nostrorum  
 in hanc urbem aduentum. Rosariorum,  
 piarumque imaginum vltus reuocatus. libri  
 Catholici substituti Lutheranis electis. pro  
 impuris cantionibus doctrinae Christianae can-  
 tus inductus. Egregia optimatum aduersum  
 nos beneuolentia. hinc intelligas. Baiuli duo,  
 hominum genus natum ad vina perdenda, in  
 taberna publica cum se inuitant capaci-  
 bus poculis, laxant linguas in contumeliam  
 nostram: deferuntur ad magistratum aucto-  
 res, & maledicta. vterque compingitur in vin-  
 cla: paucis post diebus publico iudicio acer-  
 be increpiti, quod in Iesuicas, vocatos a Col-  
 legio Canonorum, gratosque Senatui, tam-  
 petulanter debacchari essent: dimittuntur da-  
 tis vadibus ne in posterum nos carpant ser-  
 monibus, cum seuerissimo interdico. Alio  
 tempore cum quidam in foro, erga Societa-  
 tem animo infenso, nobis malediceret, silere  
 iussus est. addita causa, non esse de eorum exi-  
 stimatione detrahendum, quos Caesar, & tot  
 Principes Imperij, in oculis ferant. Proin tu,  
 si Senatui placere cupis, mitte ingrata ver-  
 ba, nec tibi profutura. Cognitum id etiam in  
 fabrica templi, Gymnasijque, cuius sollemp-  
 nis initium factum, anno superiore sexto no-



nas Quintiles: ita enim multos, tam duris li-  
 cet temporibus, habuimus adiutores, vt mul-  
 tum processerit. Gratum id quoque aduersa-  
 rijs, e quibus duo pecuniam sponte obtule-  
 runt, refrixerat enim rumor, quem ridicu-  
 le vulgauerant, subsidere tantum opus noctur-  
 no tempore, quantum interdium se crexerat.  
 Nec minor progressio in amplificanda reli-  
 gione. A peccatis totius vitæ vno anno absolu-  
 ti quadraginta: ab hæresi duodecim; ex his  
 quidam magno natu Anabaptistarum archite-  
 ctus. Cum vnus e nostris per Caluinianum op-  
 pidum iter facit, diuertit in Cœnobium virgi-  
 num: audiuit Antistitam, atque alias tres: plu-  
 res (vt in transitu) non licuit. Tremonia oppi-  
 dum est Lutheri mancipium, sex ipsis milliari-  
 bus Monasterio distans: nouem ex eo virgines  
 splendidis familijs, fama nostrorum excitæ  
 ad Collegium curru aduolarunt, obituræ sa-  
 crosancta mysteria: in discessu tres relinquunt  
 adolescentes in scholis informandos. sin istre-  
 id acceperunt Prædicantes, & dissiparunt, ad-  
 uersa fama. at illæ tectæ conscientia apud  
 Franciscanum sacerdotem singulis hebdoma-  
 dis se patefaciunt, missisque ad nos muneribus  
 augendæ sacræ suppellectili, professæ sunt:  
 diuina cum ope, suæ perseuerantiam pietatis.  
 Addam quod Patri Rectori accidit non inui-  
 cundum scitu. Viduæ filius multa claritudine  
 generis Neapoli vixerat: in (illo oculo Italia)

nec

nec audebat quisquam, cum tam acerbo nuntio matri se offerre fecit hoc noster mira dexteritate: ad eam accessit (aberat enim procul vrbe) & commonitam Dei voluntatis firmavit ad patientiam, interea a serenissimo Herneſto Monasterienſi Episcopo præpropere ad urbem accerſitur. Disceſſum est inde, hora noctis vndecima, tam denſis tenebris, vt nullus eſſet vſus oculorum. prætentandum iter manibus rhedariorum, antequã equos imitterent: in hoc labore trepidantibus, obijciunt ſe bina monſtra albicantia, & quanta longitudo erat corporis, ducto quodam quaſi ſulco radiante: exterriti rhedarij, qui priores uiderant, execrantur clamore ſublato: audita cauſa Reſtor ſilere iubet, & tacitis precibus incumbere. Tũ ipſe, vt vidit ſpectra, timorem diſſimulans, an moderãs, Sia Deo (inquit) veniſtis, ſignũ edite: ſin ſecus, hinc facerſite cum veſtris terriculis: conſiſtere viſa haud longe a curru: cum dein iterum appropinquarent (niſi timor animi imponebat oculis) repetito eodem carmine, & hoc amplius. Omnis ſpiritus laudet Dominum: in ſuas latebras receſſere. neque ita difficile deinceps ceterum iter fuit. Magna Catholicorum, diſcipulorumque (ijam mille trexaginta) virtus. aliqua exempla ponentur. Vir nobilis, vbi noſtrorum conſilio uti cepit in rebus pijs, mulierem e qua par liberorum fuſceperat, domo exegit: ſic vt præcilia ſpe  
redi.



reditus alteri nupserit. Quidam e nostra disciplina reuersus in patriam eijciendæ matris fuit auctor patri, quam concubinam habebat, pia quadam impietate, vt vtrique prodesset. Redire alter noluit, donec genitor purgauit domum ab iniusto concubitu. Quidam honesta familia ætate confectus (centum enim ac decem agebat annos) & captus oculis, imbecilla membra & fluxa senio vix baculo sustentans, manuque aliena dirigens pedē, ad nos perreptaui, instauratores, (vt prædica-  
 bat) antiquæ religionis: Patresque allocutus in genti veneratione, hoc tantum accusare dicebat cæcitatem, quod quorum oscularetur manus, Dei famulorum ora tueri non posset. Redijt idem ad templum promulgato iubileo: mox sacerdotem a confessionibus domum accersit: metam hanc sibi esse dictitans uotorum in hac vita, aliqua vt curæ particula derinaretur in suas reliquias, post tempus supremum. ne seruulum se recusarent minorem quidem, quam vt illuc nostri descenderent, sed neminem esse negligendum. Contemnendam omnino faterere cæcitatem oculorum, præ acie mentis. Vidua quadam domo Frisia, non ignobilis, voluntarium hic sibi delegerat exilium, in singulas hebdomadas sacra mysteria vsurpandi: cum hieme reuissilet suos, inaledicorum frigore contempto, quinquaginta ad pietatis studium accendit, & pro

pinquas

pinquas virgines nobiles a se olim Catholice  
 instructas ita firmavit, ut nullis postea nec  
 blanditijs nec minis a proposito demoueren-  
 tur. Ceterum ipsi (ita fert opem pauperibus  
 ærumnosisque) propter merita imponi possit  
 cognomen maternæ venerationis. Redeo ad  
 discipulos: quorum permulti e nobiliore Vest-  
 phalia. Bona eorum pars ab hæreticis paren-  
 tibus ac magistris. Nempe talè nomen Socie-  
 tatis, ut oderint vulgo religionem ipsius, insti-  
 tutionem vltro exoptent. Ex una Tremonia  
 conuenere quadraginta. Brema (clarum olim  
 Balticæ emporium) Archiepiscopi Saxonum  
 sedes est, Caluinum & Bezam crepat. ex ea  
 malorum seminator quidam sexaginta anno-  
 rum ex plantario Melanchthonis filium addu-  
 xit nostro arbitrato formandum, & sollicita-  
 uit gratiam muneribus allatis. At filius patre  
 sapientior conuertit se ad bonam frugem. Mi-  
 rum de adolescente Lubecensi. Lutherum hau-  
 serat cum lacte, et Gymnasia frequentauerat  
 eiusdem farina: verum subodoratus ex sermo-  
 nibus librisque ancipites Prædicantium opi-  
 niones et varias, summam constantiam Catho-  
 licæ religionis, matre vidua, amicis, opibus,  
 relictis, Monasterium confugit, exploraturus  
 veritatem; quam arcte complexus, post gene-  
 ralem confessionem profiteri voluit in sacel-  
 lo nostro. Ceterum, tertio post mense insertus  
 in Sodalitatem Annuntiatae Dei matris (ea

hoc



hoc primum anno, festo ipsius die nata est) tam  
tam opem ostendebat vbertatis, vt quasi offe-  
cerit mala lingua, laberetur in morbum, &  
alienationem mentis, qua sibi pugionē inuisce-  
ra adegit: sed sic tamen vt resipuerit, factumq;  
ingemiscens, & peccata delens confessione,  
obierit septimo die. Hic enituit sodalium ca-  
ritas (ij iam numero quinquaginta) cum lan-  
guenti mortuoque præstiterit officia Christia-  
næ pietatis. Insignis etiam fuit eorum religio,  
cum supplicatum est numini, continenter ho-  
ris bis viginti, amoliendi hostilis exercitus  
ingruentis. Adnotatum autem est: qua hora  
absolutæ sunt preces, repentino terrore per-  
culsum hostem, collectis vasis castra mouisse.  
sed & adolescentuli duo, parentum atrocitate  
a nostris scholis ad Calvinianos traducti persi-  
stunt adhuc in obseruatione Catholici ritus.  
Eorum alter, præscripta recitans, audita re-  
narrans, cum æmulis decertans, non desinit  
insignire frontem cruce, præceptore quam-  
quam vetante, & irridentibus æqualibus. At  
eiusdem Gymnasij puer, pertæsus illius tene-  
bras, perturbatum ordinem (nam pueri cum  
puellis docentur) vt nobis traderetur, quod  
precibus a patre obtinere non potuerat, arte  
quadam, eum profecutus pedibus, cum nundi-  
natum veniret ad urbem, extorsit, nec defuit,  
qui, vt nouam hæresim (quod dicitur) nouo pa-  
xillo suspenderet, in vicino quodam oppido,  
Lu-

Lutheri solim deliramentorum in Caluinum  
 mutatione insigni, aduersam nobis Aca-  
 demiam excitauit, siqui a nobis transfugerent,  
 excipiendis. sed, cum res contra caderet, de-  
 ridiculo fuit. auctus enim numerus. noster ex  
 imminutione ipsius. Sunt & alij vitiligatores,  
 sed cicadas dixeris: quo magis in claro nostro  
 Sole astu viuuntur inuidia, et stridentes potius  
 quam loquentes questu suo rumpuntur. Quo  
 die pompa luculenta circumlatum est sanctis-  
 simum Christi corpus, emersus homuncio de  
 tenebricosa popina, irrisit in templo maximo  
 concinentem Clerum, nec contumelijs dicen-  
 dis in Catholicos pepercit: nescius impuram  
 hanc dicacitatem ei vltimam esse. redijt enim  
 ad suam palæstram: mox cum obruisset vino  
 calorem omnem mentis, auram captans e fe-  
 nestra, caeco præceptique casu, elisis faucibus,  
 & obruto capite infelicè animam expuit. Ali-  
 us cū pugnasset duabus lucubratiunculis con-  
 tra præcipua capita religionis nostræ, orarunt  
 primores ciuitatis, vt cohiberetur antidoto  
 veneni pestis: igitur editus est liber Germani-  
 ca lingua, quo delectatos esse multos seu po-  
 tius adiutos, Proepiscopi Canoniceque  
 approbatio, missis vltro muneribus, declara-  
 uit. At ipsius Episcopi beneuolentia erga nos  
 quanta? quam multis humanitatis impressa ve-  
 stigijs? Simul hanc urbem attigit, egressus eius  
 publicus talis fuit, vt multa stipatus Vestpha-  
 lorum



lorum nobilitate nos quasi salutatum venerit domum : hic locum perlustravit destinatum extruendo templo : vbi vt assedit, dedere adolescentes, e schola, decem, actiunculam, placuit acroama: nec discessere actores sine corollario. acceperunt singulos taleros : decus ipsis, aliis incitamentum. Postero anno Absalonem, tãto plausu, vt dicerent nihil quicquam melius visum, reuocata cum esset vulgo, repetere oportuit. Sodalitio dignatio ex occasione accessit. Vetustus mos tenuit, vt festis diebus Pentecostes a magistris educerentur scholastici longo ordine, veluti sub signis, in querceta suburbana : illic constructis vmbraculis exhilarabant animos dape collatitia : ludi ex apparatus Frondalia dicebantur: res ab initio fortasse minus reprehendenda in nimiam licentiam excreuerat: vt nonnumquam Bacchi principia desinerent in Martem . Nemini bonorum erat dubium quin esset coercenda : sed satis superque est gratuiti furoris in adolescentibus. Quis nunc collectos irritare audeat, cõcitos voluptatis cõcessã dulcedine, quam vetustate defendant? Ita (an quod natura conditionis humanæ tardiora sunt remedia, quam mala) quod in eiusmodi rebus accidit, consilium dabatur a multis, periculum nemo sumebat. Nos primo anno, quo hic docuimus, causati difficultatem temporum (vt proxime scriptum est) ab allapsu pestilentiz, sustinimus

vtrumque mussantem turbam. Anno superio-  
 re, cum remisisset morbus, calo præsertim  
 blandiente, iamque ardorem iuuentæ incen-  
 dente flabello maleuolorum, pristinum mo-  
 rem velle cœperunt. Inuitis nobis Frondalia  
 celebrantur: nec res caruit tumultu, exacto  
 die per lætitiã, cum lasciuia reditur ad vr-  
 bem agmine instructo. Aegre hoc fuit magi-  
 strati: & præcipuus quisque turbator con-  
 quisiti. Gratum omnibus lætumque fuit, ea  
 tempestate, quæ tabes veluti quædam infecit  
 mentes discipulorum, fuisse sodales omnes no-  
 stro in sacello, pijs exercitationibus operam  
 dantes: neque eorum quemquam in eam con-  
 iurationem nomen dedisse. sopita postea est  
 res omnis, non cum parua commendatione  
 constantiæ nostrorum in tuenda disciplina. Po-  
 stero anno, tres iuuenes cum offendissent calo-  
 re ætatis, quærebantur ad vincla: sed hi quo-  
 que benigna nostrorum inuitatione ad offi-  
 cium sponte præstandum inducti. Ceterum  
 priore anno circû pagos vtiliter excurrimus.  
 Altero opera omnis stetit intra urbem inter-  
 cluso exitu. Grassabantur impij prædones in  
 formam pæne iusti exercitus: disturbabant al-  
 taria: conspurcabant baptisteria: sanctorum  
 imagines fœdabant, frangebantque: ipsam sa-  
 croianctam Eucharistiam, ita indigne tracta-  
 bant, vexantes manibus, pedibus proculcan-  
 tes, vt horreat manus reddere, animus memi-



nisse. hoc immaniores ipsi, quod ea fecerunt, quæ audentibus scribere, ipsa credo colliquefecit pagina, exarescat littera, ne prodatur inestabile sacrilegium.

## MISSIO VOLCMARIENSIS.

**V**OLCMARIA, oppidum est in Hassia finibus, quattuordecim millibus passuum Monasterio procul, a Lutheranis circum obfessa: ex quo & infecta ipsa eodem veneno. Carebant arte imaginibus, aris sacerdotes, sacerdotibus tēpla. sacerdos vnus Moniali abducta scribam publicum agebat, actorum omnium oppidi auctor, sua forque. In scholis venefici duo perdebant iuuentutem. in templo furiosus Minister populum euertebat, iam a Luthero (vt est inconstans perfidia) degenerantem in Caluinū. ita conuulsa religione detractabatur imperium Principis. ea iure pertinet ad Archiepiscopum Coloniensem. Quo igitur tempore serenissimus Herneſtus huc intulit pedem, ante noctem impium Caluini æmulum turbinem & facem animarum, & perfidos ludimagistros, discedere iubet. ciues dein edicto monuit, sedem mutarent, aut fidem. postridie la tissima symphonia, magna que oppidanorum frequentia factum est sacrum eo præſente, longa defuetudine pæne in obliuionem adductum. Tum quoniam difficiliter videbat esse retinere bo-

nos vsus, quam restituisse (hoc enim vi quaedam fieri potuit, illud non nisi voluntate faciendum) Parochum templo, publicis scholis præfecit magistros, cum approbatione nostrorum. Deinde (vt ferme initia sunt difficilia) subsidium Parocho poposcit a Collegio Monasteriensi. Missi duo: eoque absente a Senatu honorifice accepti. Aberant & Duumviri ad Hernelstum, nempe facultatem communicandi sub vtraque specie petentes: sed irriti rediere. Igitur hoc quasi breuiarium, vt in tali oppido, operum. Ab historia Christi Domini in Crucem acti placuit ordiri: interiecta interim quæ ad firmandam veterem fidem infringendumque Calvinum idonea erant. Ad confessionis mysterium tot annis intermissum ierunt quotidie multi: ritu Catholico salutare Christi corpus perceperunt in Paschate quadringenti: plures hand dubie futuri, si explorandæ conscientiæ plus temporis habuissent. reuersuros sponponderunt Pen-tecoste. Sanctiorem hebdomadam insigniuerunt carimoniz splendidissimæ: earumque vis omnis explicata, populo audiente. Ceterum apertus fons, octauum post annum, aquæ lyræstralis: eaque ita munda ac nitida reperta est, ut si nunc recens defusa esset. Noctis eius, quæ (ex veteri more) celebratur Christi memoria de Inferno triumphantis, lata species fuit. Præ-lata Crux circum mœnia, modulatu Catholi-



co, populo prosequente: mox, die adulto, maior frequentia in ornando celebrandoque egressu Dominici corporis: ægris oculis ferente vicinia, vnde confluerant multi tum curiose contemplantes omnia, tum maleuole cauillantes. Neque id ignarum nostris. Itaque vtendum ratus occasione, pro concione alter, quæ hæreticorum (scelera nuper reperta priscais vocabulis obtegentium) fraus esset, atque inscitia in circumueniendis populis, exponit. perculit veritas orationis non ignobilem corruptorem pubis: ea cum feruet maxime, non dissimulata iracundia discessit, vix a risu defendentibus, qui hec videbant, hominis infaniam. is Blissenius erat, promulgator centonum Latinogermanice, nomine ad ostentationem composito, aduersum Iesuitas: confessor Grammaticæ, in quam vnã ex titulo disceres transisse omnem succum Latinæ linguæ, probis auctoribus tamquam penitus exculsis, ac spolijs venti. vmbriticus doctor, qui deleret ingenia iuuentutis. Ceterum, supererat eodem in oppido Cœnobiũ optimarum virginum, quæ nunc reuixisse sibi videntur: quamdiu dominata est hæresis, testatæ remordisse semper animos desiderium antiquæ religionis. Nec minus, magno concursu (vt ferme ad res nouas fieri solet) catechesi puerili principium datum: vt educata tenera ætas nutrimentis Christianæ doctrinæ

ipsa

ipsa se postmodum confirmet robore pietatis.

## SEDES PADERBORNENSIS.

**D**VM HAEC a Monasteriensibus aguntur, non cessarunt nostri Paderbornenses. Vno anno conuerterunt ad fidem quattuor: altero duos: ad detestationem peccatorum totius vitæ minimum quinquaginta. Sacerdos apostata ab incestis nuptiis ad Ecclesiæ gremium reuertit. Tres ab illicitis amoribus feminarum: mulier a turpitudine prostituendi corporis: par coniugum a mutuis odiis: duo, a consilio sibi afferendæ mortis, abducti: acceptus in Societatem adolescens egregius doctrinæ ac pietatis. Sed discipulorum laus non tacenda. fuere, qui laciniosa & striata collaria cum echinis suis, quæ nunc gestare ( vt cirratam frontem ) sæculum vocatur, oblique perstringente magistro, cum se notari intelligerent, coram omnibus sponte sibi conserpserunt, vellicaruntque: siue quod oculorum coniectum & digitorum intentum ferre non possent, siue vt obtemperarent monenti: vnus, ætate grandiusculus, indignans sacratam ædem sœdatâ situ, oppletamque sordibus, deiectis operis aranearum, ac deterso puluere per purgat. idem cum in sacerdotes duos incidisset in publico minus religiose loquentes, nec



citra hæreticorum offensam, officii commo-  
 nuit, ne suam ipsi mentem, aures aliorum, ne-  
 faria voce polluerent. Quilibet hominum re-  
 prehensionem publicam iniquiore animo fe-  
 rat: ne dum uiri graues, sacerdotio præditi,  
 ab eo, qui propter ætatem contemni possit:  
 tacuerunt tunc quidem, quia vera obiicie-  
 bantur: postmodum tamen iniuriam sibi factam  
 apud Collegium Canonicorum exposcunt:  
 sistit se adolescens: sed ita prudens agit cau-  
 sam suam, ut tanto magis illis verecundia vi-  
 detis laudatus discesserit. Neque omittendum,  
 cum quosdam inter sacra tinnientes modera-  
 te compescuit. Ac ne illud quidem, cum suis  
 sumptibus, adhibitis etiam symphoniis, ce-  
 lebrauit dedicationem sacelli, cærimoniam (ut  
 omnes, recenti adhuc lætitia, prædicauere)  
 incomparabili. Alter a nostris scholis abstra-  
 ctus, data optione, ut vel hæreticos audiat,  
 vel rus concedat (erat ætas) quotidiano ope-  
 ri faciundo, hoc proximum optauit: excoqui  
 corpus maluit Sole, quam imbui animum mor-  
 ribus prauis: donec quod cupiebat, a paren-  
 tibus, silentio ac patientia expressit. Inuit  
 ad acuendos multos, quod vni dicitur conti-  
 gisse. Laborabat propter exulceratos pulmo-  
 nes difficultate respirandi, adeo, ut animum  
 quoque transuersum ageret corporis morbus:  
 ceterum accitum sacerdotem æger agnoscit,  
 blandèque excipit, identidem repetens confi-  
 teri

teri velle: ea res, vt ex insperato, maiore  
 gaudio domesticos affecit: igitur peccata con-  
 fessus, viaticoque instructus, breui morien-  
 dum sibi esse dixit: tum parentes graui oratio-  
 ne admonens, darent operam, ne sorores duæ  
 per eorum incuriam hæreticos sectarentur,  
 quieuit. neque irrita cohortatio. iustis pera-  
 ctis domus tota in nostro sacello Catholice  
 communicauit. Coniungam non dissimile  
 factum viri, e comitali morbo in furorem  
 delapsi, vt promiscue quoscumque obuios,  
 peteret hasta: cum adueniens sacerdos pla-  
 catum reddidit, dein cælestis agni gestami-  
 ne firmavit, & ad rectius viuendum insti-  
 tuit. Ex ijs porro, qui alumni fuerunt no-  
 stræ disciplinæ, posteriore anno quattuor va-  
 rijs in locis docere cœperunt. Eximia vnus  
 virtus, qui vt Verburgam venit, non ignobile  
 oppidum huius diœceseos, sic apud puerorum  
 ingenia offendit, insidentem propter hæresim  
 cuncta in deterius trahentium, vt esset non so-  
 lum suspectus omnibus, sed etiam inuisus. ve-  
 rum prudenti dissimulatione, et (quod mul-  
 tum valet ad conciliandam beneuolentiam)  
 fideli opera, ita eos deuinxit, vt tribus post  
 mensibus composito agmine incedentes me-  
 dium per oppidum ad sacram synaxim addu-  
 xerit. ibidem explosis, Lutheri Catechismo,  
 funebri cantu Germanico, formula Deiparæ  
 venerandi ex deprauatione Caluini, quod est  
 Catho-



Catholici ritus reductū. De suburbano Monasterio contentio inter deposcentes primam sedem dirempta. In altero, adductus ad parendum Antistiti quidam, qui recusans imperium destinabatur ad vincla. Hæc inter, Paderbornenses aduersum nos olim feri, mitescere, & patientem aurem culturæ accommodare. Principis magna comitas, quam auget consuetudine & familiaritate. Posteriore anno sacerdotem postulauit, qui concionem haberet in frequenti nobilium & externorum hospitium conuentu. Claudet Prouinciam festiua, nec infructuosa narratio. Scholarum nostrarum adolescentulus sic vexabatur ab immundo spiritu, vt nullus nec cibi, nec somni locus esset. ducitur ad nos, & (cum uolente Deo) post aliquot dierum pugnam, summa vi profligatus est hostis. In ipso certamine, noster, vt exprimeret confessionem imbecillitatis, digitum in obsessi os insertabat, sine noxa: hanc fiduciam æmulatus quidam e circumstantibus, dum audacior incitat morsum, dente appetitum digitum, ueritus ne commandicaretur, festinus extraxit, dolore ingenti, quem pudor æquabat: omnium risu uidelicet in eum conuerso, dictitantium homini hominem non parum interesse.

PROVINCIA  
BELGICA.



**D**UCIS QVINDECIM  
 fuit priore anno, duos su-  
 pra trecentos. posteriore,  
 trecetos quadraginta quin-  
 que. In Louaniensi Colle-  
 gio vicenos senos. In Tor-  
 nacensi Probationis Domo  
 olim quadraginta tres, deinde, his plures: de-  
 cem. In Audomarensi Collegio singulos trice-  
 nos. In Duacensi duodequadragenos. His duo-  
 bus Collegijs, anno posteriore: accessere bini.  
 In Antuerpiensi, anno priore, octodecim, mox  
 quattuor & viginti. In Leodiensi quattuor pri-  
 mum, dein septē supra triginta. In Iprensi qua-  
 ternos denos. Senos denos in Brugēsi. In Traie-  
 ctēsi sedecim, atque octodecim. In Tornacensi  
 quindecim, sedecimq; . Valencenis septē, post-  
 ea aucto numero, sedecim. In Bruxellensi se-  
 de, quæ & Missiones complectitur, dudum  
 tres, postea sex, vltra viginti. In Gandauen-  
 si, priore anno septem. Sex, in Insulensi. In Mon-  
 tensi quinque. His omnibus in locis postero-  
 re anno septenos. Præter hos, est Pater Pro-  
 uincialis cum socijs duobus. Postero-  
 re anno neminem extinctum accepi: additos so-  
 cios triginta septem. De superiore neutrum  
 liquet.



## COLLEGIUM LOVANIENSE.

**V**TR OQVE anno vrbs Catholica cir-  
 cum fruente milite hzretico, in magna  
 trepidatione fuit: sed ea, magis a fida Dei cu-  
 stodia, eiusque auxilio matris, cuius hic tem-  
 plum insigne miraculis, & sanctitate illustre,  
 quam a præsidiis hominum, aut murorum  
 obiectu, semper defensa. Affirmat hostis, se  
 vbi in conspectum veniat vrbs, nulla palam  
 eausa (haud dubie diuino exterrento numine)  
 repente pauore percelli: ita cum expugnari  
 diuines non deesse intelligat, ne oppugnandi  
 quidem mentem dari: Itaque, nostris ad excu-  
 siones egredi prohibitis, opera domi stetit. Et  
 quamquam silent litteræ inter arma; non de-  
 fecta duplex Theologica schola: auditores fe-  
 re quinquaginta. Sodalitatis Marianæ auctus  
 numerus, & fructus; præter eos, qui ad vota  
 transire diuersorum Cœnobiorum, vndecim  
 in Societatem adlecti. Vir consularis, despe-  
 rata a medicis valetudine, vt primùm se, si  
 morbo superesset, sodalẽm fore Beatæ Virgi-  
 nis vouit; melius habuit. Repressa interim  
 multorum odia, atque inter eos cõingum duo-  
 rum, e quibus vir imminẽbat vxoris mortis, ob-  
 stinate hæc ab illius conuictu abstinebat. Non  
 vulgaris nec tacita pacificatio duorum ex-  
 cellenti dignitate, quorum lis agebatur in iu-  
 dicio

dicio, magno cum periculo fortunarum, contentione plusquam ciuili. Nec parua existimatio Societatis, cum et principes viri, longe licet remoti, per legatos multa auctoritate nos consulerint de rebus ambiguis, vt animi religione soluerentur. Sed & nos reconciliauimus nobis Collegium Theologorum, ex similitudine non ita pridem exorta propter aliquam opinionum varietatem. Magnum negotium in facinoroso homine, vt extremam necessitatem, quam erat commeritus, æquo animo acciperet, placando iurabat ab se potius impetraturum, vt ne viuens ludibrio haberetur: omnis circa eum industria irrita, sermo auras verberabat: nos tandem accersimur. it vnus, & a mollibus exorsus, contemnitur: stabat ante dictam horam condemnatum spiritum effundere: nec emendabat culpas: igitur aduersus pertinacem vultu ac sermone mutato intonat horrendas Inferorum pœnas, & infelices cruciatus, expertes perinde exitus, vt modicum secundum hæc, discedebat similis irascenti. vt tela hædere, redit miser ad se, & primum turbidos sonos, dein tristes edere, quales ira dolorque miscent, vt contantem nostrum, & de industria sustinentem gradus, aduerterint. ergo regressus, mitiore alloquio hominem iam magis tractabilem permulcet, adeo vt habuerit contententem reum, & quicquid esset pœnæ impositum, non indigne ferentem. Quo



nam res propior periculo erat propter me-  
 rum populi, grates a Senatu actæ. Nihilo ma-  
 gis intermissa, utilis, nec molesta discipulis,  
 explicatio Cathecismi, ea delectatus vehemen-  
 ter Parochus quidam, institit, ut similis sume-  
 retur labor in eius templo. Mechliniensis quo-  
 que Archiepiscopi Vicarius, qui & Cancellari-  
 us Academiæ Louaniensis, nostrorum fami-  
 liaritate vtitur, & promouet conatus pios.  
 Ceterum, superiore anno, cum Capuccini Pa-  
 tres huc venissent figendæ sedis, apud nos di-  
 uersati sunt, mutua significatione voluntatis.  
 Interim fratres germani duo honestis paren-  
 tibus, cum exercentur meditationibus sacris,  
 Deo aspirante, ita inter se partiti sunt, ut ad  
 hospites vnus, alter ad hospitales se conferret,  
 mira coniunctione animorum, Hæc inter, pro-  
 curatum bonum aliud, sicut vtilius, sic etiam  
 operæ maioris. Nempe, quasi non esset satis  
 restaurata mœnia multis locis, excubiasque  
 fieri cœptas acriore diligentia: hortatu no-  
 strorum instituitur ad vsum militiæ iuventus  
 belli capax: hac ratione. Excitatum est Sodali-  
 tium vocabulo sacrosanctæ Eucharistiæ. co-  
 optantur iuvenes ab anno decimo octauo. ijs  
 traduntur arma arcendo hosti: sed non nisi  
 post votum promissumque Catholicæ profes-  
 sionis. a maledictis abstinent, & a consuetudi-  
 ne iurisiurandi: diebus Dominicis matutinis  
 horis, a sacerdote nostro ad pietatem, vesper-  
 tinis,

tinis, a ductoribus suis ad pugnam exercentur: soluti ab alio omni opere publico, & immunes: ij iam trecenti, rectores duo, Centuriones viginti quattuor. patrocinium suscipere operis, is quem paulo ante nominavi, Vicarius Mechliniensis, Prætor, Consulque civitatis, cunctorum civium assensu. Militaria vexilla concinnantur duo e candenti bysso, insignita augustissimo Christi corpore, hinc atque hinc Angelis venerantibus, decussante grandi Cruce Burgundica. hortamentum pugnae, signum victoriae.

DOMVS PROBATIONIS TOR-  
nacensis.

VNDE HOC esse dicam, vt fere non constituat quisquam nuntium sæclo remittere, quin statim appetatur opertis eius infidijs, aut vi aperta? an quod Israeli cogitanti fugam pugnat Aegyptus? an quod niuis inferatur, calum obtineri non potest? an denique, quod cum rivalem Christus non ferat, amādusque sit non primus præ omnibus, sed solus, in quo bona sunt omnia, abrumpenda sunt omnia vincla, vt te cum illo coniungas? Id adeo cum ex alijs Domibus Probationis nostræ Societatis, tum etiam ex hac Tornacensi, cognosci potest. ita parentes domesticosque aduersari Tyronibus similis pertinacia



nacia est. exempla, ne cuncta penitus omittā, cursim pauca subnectam. Consiliarii regij in Hannoniensi curia filius, virilis soboles, ac spes patrisvnicæ, non aliter admittendus erat, quam si parentis vtriusque consensum afferret. agit cum iis adolescens nescius tolerandi, nec vllum responsum aufert, siue ab expectantibus maturitatem consilii, siue palam transmittentibus silentio vt opprimant incautum subito assultu, dum interea parantur arma. triduo post iunctis viribus aggrediuntur, incertum an incogitantem. Ac pater primum, suggerente cura sæculi, pugnat rationum momentis: verum expendenti earum leuitatem, & breuitatem ipsius, contemptui erant. tum mater in lacrimas victa, supplices voces frustra tendebat: dein adhibitis viris atate grauibus consilioque, cuncta, vana magis specie, quam efficaci ad euentum, irrita voluebantur. iuuenis interea triumphabat, blandiente successu. accedit postremo victas ad partes viua foror: & miscens preces cum lacrimis exemplo matris, nihil expugnat. Sed, malum pertinax, femina. inter rimandum iuueniles motus, subijcit spem pulchri matrimonii, ac dites nuptias. non aliter ac placita dicenti arrisit forte adolescens. nec sefellit. visum est impellere ea parte, qua tremuit. itaque rem cum cognata communicat: mox in cubiculum ad eum ambæ irrumpunt, non mutatum qui-

quidem tunc animo, sed, vt apparuit, vacillan-  
 tem. & si arrepto, per iocum, cultro vtramque  
 exegit. Nulla res subito magnitudinem suam  
 implet: occultis omnia augetur incrementis.  
 Ab hoc initio ardor ille paulatim refedit:  
 vt nisi plane alium, agnosceres tamen non eum  
 dem esse. Reuertitur Tornacum, causa studio-  
 rum, lasciuioze cultu, ea veste, quæ candida-  
 tum nostrum minus decebat. vel tacitus lo-  
 quebatur alio conuersas curas: falsæ scilicet  
 libertatis dulcedine, quæ inducit multos, cum  
 præcipiti turba rapiebatur errantium. sed pri-  
 or mens nondum tota deseruerat. igitur, re-  
 cursantibus animo melioribus cogitationi-  
 bus, eo redijt, vnde non oportuit discedere.  
 persuasum est iterum, præstare vitam seruasse  
 cum paucioribus, quam cum pluribus perdi-  
 disse. hoc cum staret, litteras ad parentes fa-  
 cit, quibus significat, quid constituerit: nec  
 reuocabile esse. ipse interea concedit ad no-  
 stros. placuit factum, quod mutari non pote-  
 rat. rescriptum est, priorem contationem, non  
 dissensionem fuisse, sed explorationem volun-  
 tatis. Vtrimque grates Deo actæ. Nec defuit,  
 cui post septem annorum pugnam, victoria  
 ægre succesit. Alius patrem in Brabantino Se-  
 natu magnæ virum auctoritatis, longa post ex-  
 perimenta & multas admotas machinas, ma-  
 gno robore animi, parique constantia perui-  
 cit. satis magna copia eiusmodi exemplorum.



Vnum, vt agmen claudat, quam breuissime  
 expediam. Iuuenis erat per mundicias, & or-  
 natum corporis magis speciosum quam uti-  
 lem, sic pronus in luxum, vt præberet sermo-  
 nes curiosa vrbi, nimiusque elegantia non  
 nulla aspergeretur infamia vanitatis. non con-  
 temnendi erant rumores vulgi: qui vbi aliquid  
 de vero traxere, non facile eluuntur. proinde  
 dedit operam, vt diligentiam cultus a corpo-  
 re in animum transferret: eumque duobus cō-  
 tinenter annis, per dies festos sedulo exco-  
 luit: cum fieret quotidie melior, imminentem  
 in studium perfectionis sæcli amor inhibuit:  
 ab honesta virgine iuxtaque proba maritus de-  
 ligitur: moram principio attulit aliquam con-  
 sultatio nuptiarum: ceterum diuino instinctu  
 implicari noluit matrimonio, ne diuersas agi-  
 taret curas, sed vna illa alias omnes occupa-  
 ret placendi Deo. hinc bimestre certamen. ma-  
 ter non magno negotio dat manus: at frater  
 atrox iræ & peruicax retinet abeuntem, uici-  
 niam omnem clamore implet, neque iur-  
 giis parcit, aduersus pudore impeditum, et  
 tacentem: quin & pallium redditurum præcise  
 negat iam domo egresso. Tum ille, hoc quasi  
 pignore exitum redemisset, nihili pendens uo-  
 culas plebis, an veluti dans poenas prioris su-  
 perflui ornatus, ad nos festinus accurrit. nec  
 mora: tamquam ad solatium inuitatus a suis  
 ad cœnam, & retentus ad aliquot dies: iteran-

tur querelæ & preces, & toties iam repudiata  
 sponsa. cum surdæ essent ad hæc omnia aures,  
 exorat aditum, & supremum alloquium puel-  
 la: quæ compto vultu, verbisque nescio qua  
 arte penetrantibus, perculisset militem Chri-  
 sti, nisi is, implorata prius cælestium ope, ani-  
 mum durasset. Itaque post primam aggressio-  
 nem, vt visus in suo constitisse, conuertit ar-  
 ma: admonet virginem, meliore facundia,  
 quantum sit inane humanis in rebus, quam fal-  
 sa gaudia, ideoque fallentia, & in luctum desi-  
 tura: quam incerta ac breuis per se vita ( nisi  
 forte dolori longa) nihil melius esse cuiquam,  
 aut tutius, diuino famulatu. Hac constantia  
 iuuenis & oratione permota mulier, affirma-  
 uit malle imitari exemplum. ideoque, amore  
 perpetuæ virginitatis, constituisse vitam agere  
 inter virgines Deo dicatas, vel paternis sepo-  
 sitam in penetralibus, omnis thalami exper-  
 tem. Atque hæc victoria Nouitio nostro ty-  
 rocinium militiæ fuit. Narrabo nunc quid-  
 dam de alio, in dissimili genere, non minus il-  
 lustre. Honestæ cuiusdam viduæ filia nubilis,  
 vouerat se, nisi ante trigesimum ætatis annum  
 collocaretur viro, virginem perpetuo futu-  
 ram. mox petitur a iuvene magnarum opum,  
 sed a Catholicis religione diuersa. lætatur ma-  
 ter genero diuite inuento: nutat virgo, sed præ-  
 sumpta spe, vt sua fide emēdet perfidiam spon-  
 si, inclinatur vt nubat: habitabat in iisdem ædi-



bus admirabili pietate adolescens: is nō igno-  
 rans votum virginis, & deliberationem præ-  
 sentem, magnopere dissuadet nuptias animæ  
 periculo futuras: quin potius dicit, eam se du-  
 cturam vxorem, quam vt patiatur cum hære-  
 tico copulari. nec difficile fuit in sententiam  
 adducere virginem adhuc animo fluctuātem.  
 Secundum hæc, alias ex alijs moras sapienter  
 neſtendo, tam diu traxit, dum virgini nubendi  
 dies præterijt. neque ipsa indoluit. immo gra-  
 tes egit adolescenti, per quem non solum talis  
 mariti, sed omnis etiam matrimonij vinculo  
 nexuque liberata esset. post paulo, defuncta ma-  
 tre, distracta que re familiari, ex procelloso se  
 eripiens freto collocavit in portu illibatæ vir-  
 ginitatis. at iuuenis seruator virginis ad no-  
 stram Societatem bonus mercator accessit.  
 Venio nunc ad opera veteranorum, tanto ma-  
 iora, quo firmitus robur. offert se primum co-  
 rum fructus, quos ad pœnitentiam vocarunt.  
 Mulieres aliquot, & tres ex Anglia milites,  
 cum peccatorum onere hæresim deposuerunt.  
 in nonnullis, quæ labebatur fides, retenta.  
 Puella domo Germana ex hæretica matre Tor-  
 naci seruitutem seruebat, apud nos interim  
 frequentans mysteria: dein reuocata cum es-  
 set domum, atque instare intelligeret fidei nau-  
 fragium, opportune se periculo subducēs, huc  
 reuertitur in seruili conditione Catholicæ re-  
 tinens libertatis. Alia item in simili discrimi-

ne a matre profugit. Eximia conuersio iuuenis Galli annorum duum & viginti, super ceteras linguas, Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ scientis. Hic e frequenti lectione Sanctorum patrum perductus ad agnitionem veritatis, Catholicum se fieri velle profitetur. igitur erga instructum sacrorum Antistes supplet cærimonias ab hæreticis olim in baptismo prætermittas: mox nostris tradit spiritualibus exercitationibus imbuendum. primum sacrum audienti mira species obiecta est: e manibus sacerdotis consecratam hostiam extollentis, nescioqua lux in mirantis oculos incurrit: cognouimus id postea, cum interrogat, ecquæ res lucida cum Eucharistia coniungatur, augendæ venerationi. existimabat nempe conspici ab omnibus, quod ipse cernebat. dein Duacum mittitur, piorum liberalitate, sed maxime Tornacensis Episcopi, fructuosam daturus operam sapientiæ magistris. euecat eum pater in Gallias pro imperio, vel terrore iniecto: sed ita respondit magni animi iuuenis, vt cunctas curas leuiore sibi esse ostenderit amore Catholicæ disciplinæ, ei magno olim præsidio futurus, si ad optata optima longiorem vitam produxerit. Quantum porro accedat roboris animo bene instituto ex spiritualibus exercitijs, ex vno atque altero intelliges, quæ statim subijciemus, vt pauca e multis. Extremus quidam sacerdos dum magno studio se



exercet, eludit dæmonem, quem infestum noctu habebat: paucis post diebus, meditationem forte obitam cum de more pertractat, & tamquam relegit animo intentus, audit quasi reuocantem. Heus, quid agis? Hac voce excitus, more humana cupidinis fenestram aperit, visurus quis esset. quemdam conspicatur terribili facie, veste sacerdotis ad talos demissa, sic tamen ut interior tunica maculosa appareret. subitus timor per se manū adduxit ad arma fugātia: obiecta crux importunum hostem absterrait, relicta graueolentia sulphuris infandi. Alter e religiosa familia, in simili cura, per noctem dum adhuc extrahit vigiliam (an illud sit somnium quasi vigilantibus?) sacerdotem religiosum a dæmonibus vidit crudeliter torqueri: confixus veru torrebatur lentum ad ignem, vim cruciatuum suggerentibus fumiferis flammis e pagellis libri breuiarii succensis: putauit hoc ostendi, Dei permisso, emendandæ præproperæ cuidam in recitandis precibus celeritati: qua videlicet, terciatis verbis, aut sæpe deuoratis, in curiosus modi, dumtaxat imminens in finem, malebat negligenter soluti, quam prætermissi officij reus esse. Ad eandem formam, duo tresue cœnobia vtiliter exerciti: ea res exercitationibus aditum apernit in Cœnobium: approbatus videlicet fructus, Cœnobiarchæ olim renitentis expressit assensum. Nec vero de mulieribus tacendum

dum. Quædam a sacrosancta synaxi incidit statim in morbum, & moritur ferme repentino ita prærepta difficultas extremi certaminis, quam crebris sermonibus reformidabat. exiit ad sepulturam reperitur cum cilicio horrenti, fuscæ ex seta equina ad carnem appresso. mortuæ laus in præsens, viuis in posterum incitamentum. etenim varijs callidus hostis ænimum sexum oppugnat insidijs. erit opera, ænimum referre. Mulier honesto loco, maritum sortita recordem, ac degenerem ad pericula, eo perducente graditur ad conuiuium: hic cum læta essent omnia, & certaretur poculis, intellexit se appeti per viri temulentiam: is enim iam victus vinculusque mero vix compos sui erat: eo magis ipsa in cibum & potum parca, munit se continentia; cum interea, quasi in incertum iacerentur voces, quibus pudicæ aures verberarentur, vix præter ceteros, non vino modo, sed etiam animi prava cupiditate, audacior; verbo protaci transit fines: at prudens mulier ac sobria, sic temeritatem hominis compressit graui modestaque oratione, ut imposuerit pudorem impudenti. tum repetita vetus illa multorum cantio, istiusmodi feminas prisca exempli, quasi Iesuitarum æmulatrices insulse iactantium, auxit demon paulo post gloriam ex noua victoria. cum æcita esset ab alio quodam homine opulento, blande pellicitur ad stuprum ostentu grandis pecu-



nia: sed eam facile contempfit pudicitia vetus  
 soror Christianæ paupertatis. Hæc inter, sagæ  
 aliquot a veneficijs anulæ. ex ijs vna ad Epi-  
 scopum accedens, salutis petendæ, usque ad  
 ipsius ædes impurum amasium comitem ha-  
 buit. ceterum sacram manum & vocem non  
 sustinuit. Ex concionum semente, & Cathe-  
 chismi ( hanc Nouitii spargunt ) bona messis.  
 instruuntur puellæ circiter octingentæ. e qui-  
 bus triginta ( atque ex his aliquot hæreticis  
 parentibus ) se Deo manciparunt. quadam  
 cum audisset de Catechista clausum esse ca-  
 lum, quicumque conscientiam sacerdoti non  
 aperuissent, inquietos ducebat dies, & noctes  
 insomnes. confessa demum quietem inuenit,  
 & ad Ecclesiam, genitricem adduxit. Duæ præ-  
 terea, quæ cum interessent sacrificijs, conse-  
 crationis tempore genua flexuras pernega-  
 bant, hoc ut facerent suo malo edoctæ. ipso  
 articulo, quasi impellente aliquo, deiectæ ad  
 terram aliquamdiu iacuerunt alienatæ a sen-  
 sibus. earum una affirmavit sibi flammâs osten-  
 sas, quas etiam perpeffa esset. hoc uiso exem-  
 pta flectendi utriusque poplitis negligentia.  
 nec minus æquales etiam inuitat: quod, si qua  
 dissimulet, aut detractet. Tu quoque ( inquit )  
 idem faceres, si habuisses eandem poenam ma-  
 gistræ. Aliæ, quod audierunt, uana colli ca-  
 pitisque ornamenta quæ neglexerint, futu-  
 ras multo ornatiores in celo, ita demiserunt

in ani-

in animum, ut ad inanes comptus nullis nec precibus nec minis adducantur. ita ad pietatem informatur tenera ætas, & sexus. Inuitati a filiola parentes ad Catechesim ita profecerunt, ut breui hæreticam perfidiam abiecerint. Itum ad carcerem: unde qui uirgini uitium obtulerat (quoniam non exprimebatur tormentis ueritas, pari corpore ferendo dolori: an quia peragi accusatio non poterat deficiente indicio, aut labante admonentibus heet nostris, ut fallantur homines, non falli summum iudicem omnia uidentem) cum dimissus esset, magis liber, quam absolutus (nocens enim numquam ipse se absoluit) non multo post subita domus eius conflagratione exarsit. patere potuit ex hoc quoque exemplo, pœnas maleficiis aliquando seras, numquam tamen irritas esse.

### COLLEGIUM DVACENSE.

**D**ISCIPLINI mille ducenti: par numero profectus. Proposita in scena species super premi iudicii, placuit æque ingenium auctoris, & actorum industria, magno ac celebri, ex adiacentibus populis, concursu. spectaculum ad permotionem animorum utile fuit. in eo, dum cælum ruere, ac se raptari mulier existimat, ad subsidium confessionis confugit, quod neglexerat diu. Ex Sodalitio Beatæ Virginis,



duo alia processerunt, vnum Monachorum ad  
 eorum professionem probe institutum: alte-  
 rum sub appellatione Sanctorum omnium: e-  
 sodalibus, priore anno, sex, aliqui etiam po-  
 steriore, in nostrum ordinem: utroque, com-  
 plures in alias religiones adscripti. Nonnulli  
 de tota vita confessi. Hæresi nuntiamque miser-  
 re non pauci: Subuentum, capitali pecunia mul-  
 tandis: inter quos erant fratres germani duo,  
 ætate integra: quorum alter in confessus con-  
 stituerat mori. Mulier venefica, abisurato sta-  
 mone, cui se turpiter addixerat, toto pectore  
 Christum complexa, quem assidue in clama-  
 bat, spem fecit se repositario supplicio renasse  
 cruciatus æternos. Narrabo nunc quiddam  
 mirum, quod nostris accidit anno priore. Con-  
 uenerat olim inter duos Tyrones, vt vter prior  
 discederet ex hac vita, alteri se spectandum of-  
 ferret, hac lege, vt voci parceret, timori mi-  
 nuendo, posito tyrocinio, alter Louanium, mox  
 Corracum missus, causa valerudinis: in hoc  
 Collegio alter agebat Philosophiæ intentus:  
 ad hunc litteras dedit Corracensis, veluti ex  
 præfagitione discessus; respondendum prope-  
 diem sibi esse, magno theatro argumentationi-  
 bus demonum aduersus omnem vitam, supre-  
 mo iudice disceptante, nec diu post, cum hic  
 qui acceperat litteras quiesceret nocte con-  
 cubia, audinit quasi strepitum pedum alicuius  
 aduentantis; mox & lucem aspexit, clare ful-  
 gore

gore micantē: sed ictus visu subito (quo etiam  
 terrentur viri fortes) caput & faciem occulta  
 bat, latere se existimans, an potius oculi auge-  
 bant metum. post paulo, splendor omnis, ac  
 strepitus discessit. tum ausus caput proferre:  
 & interroganti oculos suos, ac se vigilare in-  
 telligenti, subiit memoria veteris pactionis.  
 narrans mane prodigium nocturnum eiusdem  
 cubiculi socio, qui nihil viderat, audieratque,  
 adiecit, Breui audiemus aliquem mihi carum  
 excessisse. paucis post diebus allatus nuntius  
 de illius morte, veritatem visus affirmavit.

#### AVDOMARENSE COLLEGIUM.

**M**ATRONA nobilis ad Catholicos an-  
 te extremum diem hac ratione conuer-  
 sa est. erat ei filia non ita pridem sacris resti-  
 tuta: hæc matrem orat, accersat, audiatque  
 consilia nostrorum: & tandem peruincit: quid  
 enim nocebit audisse? tres horæ sunt in disce-  
 ptatione positæ, praualeute muliebri perti-  
 nacia: tum noster: Si habere (inquit) volueris  
 meliorem mentem, pro anima tua meam vi-  
 cariam do, deuoueoque iudici Deo: quod si  
 in ista amentia decesseris, denuntio tibi vltri-  
 ces perfidiæ sempiternas flammæ. Hæc sul-  
 minas discessit. mansit illa tristis, atque atto-  
 nita, illud identidem reuoluens, quod audie-  
 rat extremum, cumque sui cruciatibus mor-



bi comparans sempiternas illas flammās. atque hoc initium animæ sanitatis. vix diluxerat, cum idem accitus immutatam repperit, confessamque absoluit: ea mox instructa uarico fidenti animo carpit iter supremum. Altera etiam ex Anabaptistarum sordibus non sine miraculo extracta. Non defuere qui subitæ desperationis remedium, aut diabolice fraudis diurnæ, in confessione inuenerunt. In vinculis vnus conuersus ad rectam fidem, quam nec deseruit in morte. Priore anno perductum ad culmen est ædificium, quod extruitur instituentæ iuuentuti. Sacerdos vnus decessit diutina tabe consumptus.

### COLLEGIVM ANTVERPIENSE

**S**IVE paupertas Collegij cognita, siue utilitas in urbem, auxit erga nos liberalitatem publicam, & aliquorum priuatam. Senatus populusque Antuerpiensis, exhaustus licet belli sumptibus tam diurni, annuos redditus persoluit, cum appendice mille florenorum, priore anno: posteriore enim maior accessio facta est. At Monialium familia, ex lacte aliquot boum (quas ex omnibus armentis reliquas fecerat furor hostilis subsidio illarum) hebdomadarium quasi gustum mittebat: interea cum propius accessissent hostes, cunctaque depopularentur, has quoque abegerunt cum

cum magno numero pecoris. accurrunt virgines ad Collegium, factumque indicant queribunda voce: seu solatium poscebant: putasse se nostris precibus tutas fore: nunc nihil spei relictum: nisi forte præda recipiatur. respexit Deus earum necessitatem ac fidem. octiduo enim post, eo ipse die, quo nostros munerabantur, omnes ipsarum boues, & (quod magis mirum) solæ, summo mane ante urbem se sistunt, crebro mugitu hostium custodiam eluisse testantes. id ira acceperunt piæ virgines, ac si nostrum prandium noluisset Deus solito missu fraudari. sequitur aliud peræque mirabile. Nobilis mercator nostri studiosus ampla cum familia in Italiam properabat. uix egressus erat ex urbe, cum in hostium potestatem venit: tristem præsentibus, & duriora expectantem solatur filia nostris laboribus persancte instituta: affirmat Dei parentis ope non longe abfore auxilium diuinum. nec frustra. cum enim eo ipso itinere reuertitur in urbem Præfectus arcis, impetu in grassatores facto, eos fundit fugatque, ciuesque lacrimantes iam vinclis solutos & metu in patriam reducit. Renuntiarunt hæreticorum ineptijs vtroque anno fere quinquageni. Puellæ vnus conuersio cum primis admiranda. Facta olim erat potestas ab Alexandro Farnesio expugnatore Belgicæ, deuicta Antuerpia, vt intra quadriennium liceret cuicumque esse in vr-

be:



be: eo elapso, Catholicis tantum. cum exiret dies præfixa, puella Caluini tenax, cum suis omnibus optauit exilium: iam in nauem confecerant: cum res tulit, vt remitteretur ipsa in urbem, explicando negotio, cuius subito venerat in mentem. postero die cum pararet reditum, manere cogitur ui repentini edicti, cuiuscumque parentes non essent egredi vrbe prohibentis. inops consilij ad propinquam quamdam suam diuertitur pietate notissimam: eius sermonibus simul accessit hortatus nostrorum, coacta commoratio (Dei beneficio) mutata in melius in bonum vertit. Sed inter eos, qui priorem vitam cum hæresi mutarunt, quidam fuit non obscuro loco, animo ita prauo ac peruerso, vt religiones omnes irrisui haberet, Fidem vllam non putanti, quam Catholicam spernenti similior: euomebat verba sic impia ore spurcideo, vt horrore esset: fugientibus omnibus ipsius congressum, ne aures polluerentur, nostri non deferendum rati (si quem faceret aliud in alio peccandi finem) in eius cõsuetudinem se insinuant: tum monendo, obiuirgando, miserando, docendo, per semestre spatium sic assidui fuere, vt tunc dædo atque odio fessus, siue eorum beneuolentiã æmulatus, & admiratus victricẽ omnium paciẽtiam, dederit manus, & noua illustratus luce rectum vitæ iter aspexerit. Pij meditationibus vtroque anno multi diligenter exerciti.

Ergo

Ergo ex his aliquot horridum vita Capucci-  
 norum genus, atque in his oris nouum ample-  
 xi: et religiosa quædam familia formata ad ve-  
 terem cultum. Inter virum & vxorem discor-  
 dia finem imposuit copulatrix fidei & ani-  
 morum Eucharistia sancte percepta. Ceterum  
 nõ est silentio prætereunda insignis liberalitas  
 illustri viri Ferdinandi Ximenij. Milerus Ar-  
 chiepiscopus Tuamensis graui morbo labo-  
 rabat: eum cum inuiserent nostri, nihil esse  
 domi reperiunt valentibus necessarium, ne-  
 dum opportunum ægrotis: eorum suauis ab  
 amicis submittentur multa indigent: sed gra-  
 uescente valetudine Ximenium orant, vt do-  
 mi accipiat: quod fecit libenter, ac liberaliter  
 adeo, vt lectulum illi suum concesserit, & cubi-  
 culum, neque quidquam deesse patereetur. vi-  
 cit malignitas morbi, sed hospitis benignitas  
 vsque ad sepulturam magnifica apparuit.  
 grande exemplum pietatis, et ad famam  
 itura.

COLLEGIUM TRAIECTENSE.

**E**X IMPVBERVM numero qui insti-  
 tuuntur ad rudimenta fidei, amplius qua-  
 draginta, detecta parentum perfidia, saluta-  
 ribus aquis tincti. e quadraginta, prauæ am-  
 biguæ religionis, necessitate mutandi ani-  
 mum aut solum imposta, viginti in hanc par-  
 tem,



tem, totidem transferunt in alteram: dices  
 sic inter eos constituisse, vt paria componen-  
 tur. Postero anno sex septem auerunt nume-  
 rum recte sentientium. flagitia multa impedi-  
 ta, aut correcta. Mulier domi forisque æque  
 intoleranda, ex vno nostro congressu sic mu-  
 tata est, vt maritus non satis admirans, pro-  
 bra quibus nos subinde lacerabat, in præco-  
 nium verterit. Virgo olim Deo sacra multos  
 annos cum hæretico, quasi virum haberet, tur-  
 piter versata, Monachus item legitimam an-  
 te ætatem initiatus sacris, mox ex cucullo ru-  
 sticanum Curionem agens, rediere ad habi-  
 tum, ac vitam priorem. Miles graui confe-  
 ctus valetudine, varioque spectrorum visu an-  
 xius, vtrique se malo eripuit abiecta sarcina  
 pec catorum. idem desperanti feminae, & ter  
 in vincla caput inserenti conatu irritato, reme-  
 dium fuit. reddere partum altera, quo labo-  
 rabat, non poterat proximæ infensa: nisi no-  
 stris admonentibus accerseret eam domum  
 excluso odio, atque osculo iram finiret. sed  
 & monstruosum alia ediderat, nec viuere ido-  
 neum, nec valentem mori: ei alendo matris  
 vbera non sufficebant: vouet peregrinatio-  
 nes, muliebri leuitate, quas nec tempora nec  
 res familiaris ferrent: cum adesset deinde fa-  
 cultas Pontificiæ indulgentiæ, per confessio-  
 nem criminum, votorumque commutatio-  
 nem leuata culpis, dein recreata Christi cor-

pore, liberata est & ea veluti pœna, informi fetu decedente: profuere miseræ tria sacra, quæ sacerdos noster facturum spondederat. Viro etiam non ignobili, qui spiritu omni ad os concurrente obstructas fances habebat, confectio sacri sola utilis fuit, sic vt soluto simul cœtu linguaque, finis audiendi principium fuerit loquendi. De verberatione sodalium Marianorum, ceteraque eorum pietate, mitto, quia sollempnia, & sæpius scripta. Beati Chrysofomi exilium exhibitum in foro publico (sumptus faciente magistratu) summa frequentia. Non silenda noua Missio Venlonensis. concursus ad Catechismum & concionem ingens. instaurata in templis multa ab iconomachis dieiecta. Ecclesiæ sacramenta expulsa olim, reducta. exusti hæreticorum libri. non pauci ex Hollandia ad confessionem venerunt. Hæc & talia ad Dei gloriam & multorum vtilitatem gesta. ceterum priore anno sacerdos vnus decessit,

## LEODIENSE COLLEGIVM.

**O**CCVPAVIT animum species miraculi. Iacebat in Xenodochio æger pedibus, ita lue grassante, vt alter abscindendus esset: idque iam parabatur. accedit hominem vnus e nostris, qui erat ei a confessione mensura: in vario sermone, narrat mulierem ope

Ec sanctif-



sanctissimæ Matris, quam colit in Hannonia  
 diximus supra Duacensi Collegio (Seruien-  
 sem appellant) ambulandi vsum recepisse.  
 quod afferebatur ad solatium pro consilio  
 accepit ægrotus: magnaque spe ac fiducia  
 plenus, iter quattuor quinque dierum (mul-  
 tis licet dissuadentibus, & irrisu prosequen-  
 tibus) carpit: ac furculis incumbens ægre  
 trahens corpus nisu allerno, ad solpitatri-  
 cem Virginem sese agit: sensit non irritas  
 preces, cum sacra in æde relicto argumento  
 diuini beneficij suis pedibus Leodium reuer-  
 tit: eisque nunc sic vtitur fidis ac firmis, ac si  
 numquam laborasset. Etsi non tacendum est,  
 nostrorum alloquium vni qui acribus in febris  
 agitabatur intemperijs, vt nullam caperet  
 quietem, itemque alijs, in acerba perturba-  
 tione animi fuisse loco medicinæ. Mulier ex  
 igne extracta (quo se coniecerat ex dolore  
 corporis in furorem versa) horrendis, ad dies  
 aliquot, clamabat vocibus, actum de se esse, tri-  
 stemque latam a supremo iudice sententiam:  
 delenimento tamen orationis, ad se redijt, an-  
 tequam exiret e vita. Ceterum sacramento  
 pœnitentiæ soluta veneficia matrimonium il-  
 ligantia. Nec minor stetit opera in mulieri-  
 bus aliquot vulgati corporis ad bonam men-  
 tem adducendis. Quorumdam animi nobiliû,  
 qui mutuis odijs exarserant, sedati. Præua  
 sentientes nonnulli ad rectam fidem traducti.

Multo-

Multorum confessio, quæ diu intermiserat, reuocata. Celebratum nostrum templum magno concursu, pompa item nobili, efferendo corpori illustrissimi comitis Hoostratani, qui in hac vrbe obiit diem, anno superiore. Sed & serenissimus Lotaringæ Dux cum ad Hernaltum venisset Leodij Principem, nos quoque (quæ eius est in vniuersam Societatem humanitas) cum serenissimo Electore inuisere voluit: et tum intra domesticos parietes, tum etiam in Gymnasio exceptus est elegantia copia carminum, in recenti plausu. Scholarum ædificia, quæ vetustate prolabebantur, posteriore anno refecta.

## BRUGENSE ET IPRENSE

Collegia.

**B**RVGIS, ab hæresi, a turpitudine scelerum, ab infania desperationis, ab odijs mutuis, aliquot abducti, occursum improbitati, ne cresceret: ne rueret, probitati succursum. Habitæ conciones ad aliquot religiosarum virginum familias effecere, vt abrogata possessione priuatarum rerum in commune omnia conferrentur. vtile inuentum minuendis curis singularum communibus vtilitatibus augendis. sed e concionibus etiam publicis magni fructus: tanta concionanti fides & auctoritas, vt animi ipsius oratione regerentur: agris oculis hoc aspexere aliqui, & pectoris virus ore effuderant: suo damno: primum

Ec 2 scilicet



scilicet palinodia, mox indicto silētio poenam  
 luere iussi. explosa vetus saltatio illecebra  
 peccandi: eo nomine grates nobis a Senatu  
 acta: nisi hoc idem est, de quo anno abhinc  
 tertio. Ceterum exigui numero in scholis di-  
 scipuli virtute pollent. Partheniorum cari-  
 tatem proxime indicauit eorum ope curaque  
 ad sustentandam inopiam pecunia collecta: sti-  
 pis conferendae princeps & exemplum Episco-  
 pus Brugenſis fuit. cessit e uita vnus e sodali-  
 bus mirae pietatis: is cum beatissimam oraf-  
 set Virginem, mors ipsius incideret in dierum  
 aliquem eius honori dicatum, non frustra ha-  
 buit preces: ereptus enim est e rebus huma-  
 nis quadragesimo die a natali Domini, cum  
 purissima Dei mater filium adduxit in tem-  
 plum ex more patri sistendum: Domine fili  
 David miserere mei, sancta Maria ora pro  
 me, vltimae viuentis voces suere, corpus eius  
 cum lacrimis omnium elatum est amplo fune-  
 re, quod laudatio illustrauit. Alter ex eodem  
 cœtu in aulam destinatus vt e regia esset co-  
 horte magno ambitu parentum, cum solutio-  
 rem illam uitam non ferret, neque extorque-  
 ret a matre reditum, sic se continuit intra le-  
 ges, quas didicerat, pudoris, & continentiae,  
 vt fueram sacrosanctorum vsurpationem my-  
 steriorum numquam intermitteret: deli-  
 ctum fortasse alienum, magis uitans vt scopu-  
 lum, quam inspiciens vt exemplum: donec il-  
 lum

lum Deus non tantum ex aula, sed e corporis  
etiam molestia liberauit: ne piam animam fu-  
catus color deciperet, aut cōstringerent inex-  
tricabiles nexus insidiantis sæculi vanitatum.

○AT IPRIS ita virgini cuidam infixus  
amor pudicitia, vt nec multorum ambitiosis  
precibus deposcentium vxorem, nec medici  
consilio prænuntiantis alioqui celeritatem  
mōrtis, ad nuptias potuerit impelli. Altera,  
aduersus adoleſcentem furioso quodam amo-  
re certum (vt dicitabat) exitij, nisi ea potire-  
tur, immota. Fuere & alia eiusmodi exem-  
pla. Ab hæresi qui profugerant imbuti aliquot  
catechesi Christiana. In Xenodochijs dum  
consultitur multorum animis, corpora non ne-  
glecta. In vinculis nonnulla dolore in furo-  
rem versi, mitigati. Guidam, qui impatiens  
iniuriæ, tribus vulneribus se affecerat, nostro-  
rum auxilio, & corporis & animi salus resti-  
ta: eius rei voluit nostro in templo extare mo-  
numentum. Ipsum autem templum est, anno  
posteriore, die sacro beati Thomæ Apostoli  
sollemni carmonia consecratum. Vi con-  
fessionum diabolica complures superstitio-  
nes depulsa. Ceterum, priore anno, centum  
vicinis villis hostili igne conflagentibus, ea  
qua nostri utebantur, represso milite, qui in-  
censam facem intentabat, incolumis seruata  
est: quæ & posteriore nobis empta ex vendi-  
tione domus, cuius in vrbe rarus vsus.



## COLLEGIVM CORTRACENSE.

GRAVIS seditionis initium inter Hispanos Belgasque milites excitatum erat, non nisi multorum sanguine restinguendum. Stabant utrimque armatae cohortes ad pugnae occasionem intentae: nec humanis videbantur remedijs placari posse: igitur itum est ad diuina: prolatum e sacro templo venerandum Christi corpus, suspensa oppidanorum expectatione in rei euentum. nec mora, prouolutis omnibus in genua, tacitus ipse Dei conspectus examinauit manus, & iratorum animos coercuit. His quoque, ut alijs annis, vis consecratae cerae in liberandis puerperio mulieribus, virisque vario itinerum periculo, apparuit. ex verbi diuini semine magna seges collecta, stationes urbis obit sacerdos hoc munere occupatus: eius industria curatum est, ut celebrioribus stationum locis sint expositi communem ad usum pij libri aliquot & elegantes, de Sanctorum vitis, vulgari sermone. retrulit is, cum exemplum narraret ad augendam venerationem diuini cultus, hoc se a viro quodam prudenti & graui, multis coram, prouocante similitudine, audisse. repetam breuiter, etiam si nihil pertinet ad annales nostros, ut conferretur memoria rei mirabilis, non inutilis futura. Adolefcens est (inquit) vestiarius, non

nulla

nulla mihi cognatione coniunctus: hic festis o-  
 lim diebus, vbi dederat operā rei diuinæ, reli-  
 quū omne tēpus cōferebat in quæstum, & arti-  
 ficium suum: lucellum inde quod furaretur,  
 omne seponebat in arculam, vt ipse quidem  
 destinabat animo, ad nuptialem ornatum: i-  
 gnarus operam perdi: nam eam vbi reclusit  
 præsentibus aliquot & magnum quid expe-  
 ctantibus, ne teruncium quidem repperit, sed  
 muscas binas, vt corporis mole, sic colore hor-  
 rentes. quod risum primo a spectatoribus, nō  
 caruit irrisu. Sed hoc fortasse ridiculum: se-  
 quuntur quædam de tribus, qui inter nostros  
 adscripti inconstantia vitio laborarunt, æque  
 miseranda. Ergo vnus, cum vt dimittere-  
 tur tandem obtinisset, iamque ad aliquem  
 promotus doctrinæ gradum esset sacris initi-  
 andus, eo amentia denerit, vt a suis fuerit  
 constringendus. acceptus alter propter do-  
 mestica ministeria, cum litterarum studium  
 ambitiose expetens depulsus esset, moxque  
 animi anxius & vagus, subeunte pœnitentia  
 Cartusiam affectaret vicinam oppido, epilep-  
 si correptus est, ad suosque reportatus. Ter-  
 tius denique impetratum aditum sine causa  
 (quod est abnuenti proximum) differebat, de-  
 in abnuebat præcise: hic quoque incidit in  
 morbum; nec deseritur tamen a nostris: visus  
 agnoscere beneficium, ac resipiscere: vbi re-  
 situta corpori valetudo, non redijt animo sa-



nitas: proinde nostrum colloquium auersatur:  
 non defuit vltio: captus a prædonibus grandi-  
 que pecunia ægre redemptus est. Hæc priore  
 anno. Altero enim tres horum numerum ex-  
 pleuere: litterarum studiosus vnus, adiutores  
 domestici operis duo. Domus aucta accessu  
 vicinarum ædium ex liberalitate in nos pro-  
 pensissimi magistratus. facta etiam amplior  
 templi supellex. maior quotidie discipulo-  
 rum numerus. Conuictorum domicilium, cuius  
 regimen penes virum pium & amantem  
 nostri, efflorescit nobilitate adolescentium: in  
 illud nos conferimus, quod possumus opera,  
 ex nostro instituto: inueximus nuper Sodali-  
 tium a vocabulo omnium Sanctorum. Sena-  
 tus erga nos beneficentia perspecta dono flo-  
 renum bis mille, nec minor beneuolentia sacri  
 ordinis: ea constitit, cum sacerdotem oblo-  
 quente in Societate publice castigatum verbis  
 ad Patrem Rectorem remisit, vt sibi ignosci  
 postularet. Pius Curio & doctus, cuius ma-  
 gnum in oppido pondus auctoritatis, suum er-  
 ga nos ostendit affectum frequenti populo,  
 cum pro suggestu Societatem laudibus attol-  
 lit. At nos, super cetera, ijs qui attinebantur  
 in carcere, aut agebantur ad poenam, non de-  
 fuimus: in his Angli tres imbuti rudimentis  
 rectæ fidei, grauitatem supplicij magno ani-  
 mo pertulerunt. Puer septuennis nostris ad-  
 dictus incredibili indole Christianarum vit-  
 turum,

tutum, cum moritur, orauit parentes, quæ fue-  
rant ipsius vestes, pauperibus tribuerentur:  
vt hac in re, quantum quidem licebat, Mar-  
tini cognominis sui imitaretur exemplum ple-  
num pietatis.

### VALENCENENSE COLLEGIUM.

**I**TA ENIM in posterum vocabitur, quæ  
antea fuerat Sedes. Mense Octobri, anno po-  
steriore, duplicato numero nostrorum, qui an-  
tea fuerant octo, magna lætitia ciuium & gra-  
tulatione, sunt iacta fundamenta: non loco so-  
lum, sed & vectigali annuo attributo. quin &  
pro supellectili spatijsque laxandis, ex altera  
parte fluminis (flumen enim domum alluit) a  
magistratu duodecim florenorum millia addi-  
ta: nec alia condicio addita, nisi vt pro nostri  
professione muneris, quinque classibus iuen-  
turem bonis litteris moribusque imbuamus:  
ij iam centum amplius & quinquaginta: non  
paruus numerus, siue spectes initia, siue hære-  
sim diu aduitam, siue non procul Academiam  
Duacensem. initia celebrata sollempni sacro,  
cui operatus Hannoniensis Abbas: dein ele-  
ganti oratione a studiorum Præfesto: cum le-  
to prandio, cum condimento musarum, sum-  
ma approbatione ciuitatis. ita quo in oppido,  
felicitis olim memoriæ, Pater Euerardus Mer-  
cuffianus, vel tuguriolum Societati oprabat,  
ctsi



et si fuisset emendicato cibo vita toleranda, nō  
 ignarus hæreseos impune volitantis: eo in op-  
 pido Collegium habebit hæc Prouincia, si ali-  
 ud vllum, amplum, ac nostris vsibus opportu-  
 num. Nec tamen antea otiosi fueramus. prio-  
 re anno, serenissimo Duce Farnesio profici-  
 scente in Gallias, actum cum Clefo magistra-  
 tuque, de octoginta horarum supplicatione su-  
 scienda: tributum oppidum in classes duo-  
 decim, binæque horæ assignatæ singulis classi-  
 bus ad orandum. hoc ipsum non spe modo, sed  
 re etiam vtile fuit. multi ad sanioerem men-  
 tem reducti. Eodem tempore in rusticanis o-  
 pera posita permagno fructu, tam multis con-  
 currentibus ad sacram confessionem, vt fere  
 opprimerent audientem. Postero anno, cum  
 ab expeditione Gallicana huc se rettulisset  
 Germanorum cohors ægre affecta, ei refouen-  
 da dederunt se nostri, non paruo labore, nec  
 irrito. Omnes pæne milites de tota vita con-  
 fessi: septem, cum Ecclesia reconciliati: vnus  
 ex ijs prouecta ætate ignorare videbatur, an  
 Deus esset: ita diuina omnia contempserat:  
 nunc vero, non solum Catholicus, sed etiam  
 pius. ita firmior plerumque fides, quam pœni-  
 tentia reponit.

GAN-

GANDAVENSIS, MONTENSIS  
& Insulensis Sedes.

**G**ANDAVI fructum operæ arguit nu-  
merus pœnitentium. Complures ad Ca-  
tholicam religionem conuersi: inter hos, Mo-  
nialis varijs erroribus implicata, duoque e-  
grassatoribus, antequam capite luerent pœ-  
nam: artes magicæ eiectæ: e demonum impe-  
rio multi extracti: insignis conuersio muliercu-  
larum duarum, quæ eripuerunt se ab malignis  
spiritibus, quibus utebantur: quo longior con-  
suetudo, difficilior pugna. Aliarum animis  
consultum, quæ corpora vulgauerant. Addu-  
ctus vnus, vt germano cum fratre pacem face-  
ret, a quo tertium iam annum implacabiliter  
dissidebat. Hinc magnum in nos studium Sena-  
tus. Priore anno numerarat vltra mille flore-  
nos. Collegio instituendo: iamque hoc agebat,  
per amplexu domicilio empto in media vrbe:  
sed posteriore, cum intercessisset Iustuola vici-  
næ oræ vastatio, magno honorum dolore distu-  
lit tam pios conatus.

**HANNONIAE** etiam Montibus ad me-  
liorem spem magna inclinatio in animis inco-  
larum. De consilio nostrorum, non pauca, nec  
leuius, tum priuatim, tum publice in melius  
mutata. ad agros passim vocantur: nec quic-  
quam æque mirum, quam mercedem conte-

مني



mni: hoc cum miraretur chirurgus, parem o-  
 peram nobis gratis præbuit, ac deinceps eo-  
 dem animo præbiturum, cum vocabitur, vltro  
 spondit. Ceterum accessit nobis, liberali  
 quorundam pietate, vicinus hortus, cum ædi-  
 cula contigua, valde opportunus, aucta supel-  
 lex sacra, excursum vtiliter in suburbanas vil-  
 las, pagosque. magna inter pueros amulatio  
 Cathchismi, inter Curionem et curiales per-  
 gravis contentio sedata. de vita periclitaba-  
 tur quidam male in Parochum animatus: ad  
 hunc missus sacerdos e nostris, ipsius fratris fi-  
 lius, cum in commonendo verba iacit in ven-  
 tum, ab eo qui miserat reuocatur: igitur disces-  
 surus patrum orat supplex, vt abeunti bene  
 precetur: hæc moderatio animi, & tempestiua  
 dimissio, ita flexit obstinatum senem, vt dice-  
 ret statim se cum Parocho redire velle in gra-  
 tiam: quod etiam fecit, eodem e nostris, qui sa-  
 cto incitarat, rem ad exitum perducente.

AT NOVAE Insularum Sedi prospera  
 initia. semen Dei iactum vbertatem ostentat.  
 alia oppidi facies, alij incolarum mores videri.  
 Christiana doctrina rudioribus traditur am-  
 plius mille ducentis: maior quotidie fit acces-  
 sio ad pietatem. Oppidanorum erga nos amor  
 fauorque non contemendus. Parochus san-  
 cti Stephani (Pastorem vocant) impetrauit a  
 Patre Prouinciali vnum, quem ad tempus ad-  
 iutorem haberet officij sui. alios vbi hinc spe-  
 ces.

Res, quod cum audissent reuocari nostros; sponte pecuniam obtulerunt eorum sustentationi, ne fortasse inopia discedere cogerentur. Ceterum data opera Xenodochijs, ægrotisque: ad vinctos singulis hebdomadis habita concio extorsit peccata nonnullorum, mulier ab hæresi discessit, cuius ex concione eam vim admoueri animo sensit, vt quem trecentum florenorum debitorem compegerat in vincla, quod non esset soluendo, exemi iusserit, hoc dicto. Christus Iesus erga me fuit ita benignus, et meum ego fratrem nexum habebō? Magistratus nostram industriam agnoscit, verbisque extollit: quin & ineunte anno posteriore per legatos viros magnæ auctoritatis, ciuitatem nobis omnem, in primisque iuuentutem commendauit, & pensionem obtulit instituyendo Collegio, quod vehementer fieri exoptat. nouit nempe Catholicam religionem & Christianam pietatem nostri muneris esse: neque alia re vlla salutem ciuitatum omnium contineri.

### SEDES BRUXELLENSIS.

**B**IPERTITVM negotium vtroque anno fuit, eorum qui in hac Sede versantur, domi, militiaeque: siue etiam foris in excursu. De illo prius. Nouem enim in vrbe occupatam operam habent: ex ijs sacerdotes septem.

Magna



Magna vis ad sacramenta confluentium diebus festis: inter quos multi insignes fama, & nobiles: omnes fere recoluerunt confitendo delicta totius vitæ. quin & Dux serenissimus, ne retardet studia confitentium si sacerdotem seu ocet sibi, venit ipse in ædem idem facturus cum alijs, quos accendit exemplo. adiuti etiam qui (quod latrocinijs infestas habuerunt vias) capite erant puniendi: omnes, hæretici licet, supremo tempore Catholicas agitauerunt curas, supplicia corporum conuertentes ad salutem animorum. inter eos vnus Ducem Saxonum propinqua cognatione contingebat. Hæc ut commodius fiant, exclusum ex cetero carcere, quod satis esset modico sacello, & ibi posita ara. Doctrinæ Christianæ tradendæ provincia a religiosis alijs ordinibus aut Ecclesiasticis uiris corruata in nostros, ex Senatusconsulto. Quidam addicti nobis inuigilant etiam aliorum utilitati, ex illis matrona meretrices aliquot a turpi quæstu reuocauit. quod & nos ipsi fecimus cum alijs. una ex his tertium decimum ætatis annum ad uigesimalium usque septimum duxerat infami luxu: iam, longam culpam tam uera emendat pœnitentia, ut non nisi continua tristitia, & vdo vultu agat, quicquid conuersarum contubernium impediatur nescia tolerandi. At mulieri cuidam tantus amor pudoris, vt ab importuno impuroque milite prius sibi aliquot præcidi digitos, & lu-

xari brachium, quam eum sibi eripi pateretur. eluxit hic quoque (vt sæpe alibi) patrocini-  
 um Magnæ Matris, quam omnes aduocatâ  
 habemus. Quæ narrari possunt, hic duo ponentur. Vir quidam claris maioribus, & egregius  
 ipse, cum attenuatis admodum viribus ita afflicta  
 esset valetudine, vt medici desperarent, vt votum  
 fecit, de nostrorum consilio, inuisurum non procul  
 Deiparæ templum miraculis illustre, melius habuit.  
 Virgo quadam, exoptante negotio, concedit in suburbanum:  
 cum ibi pernoctat, repentino impetu grassatorum  
 manus intrat, rapit, polluitque quodcumque  
 reperit: ipsa in superius tabulatum ascendit,  
 virginitatis custodem tacitis votis ac precibus  
 appellans: mox inuento culmorum manipulo in  
 rectum aggerato cumulum, vt præberet latibulum,  
 præcendit illum sibi in quodam angulo, vbi  
 corpus abscondit: et vere latuit: oculos enim  
 quamuis curiosos omnia scrutantium fefellit.  
 Hæc pauca de vrbani rebus. Venio ad castra.  
 Missi eo sacerdotes undecim cum tribus fratribus.  
 Vis aliqua de successu? Habet hoc a natura  
 vel subitus boni uiri occursum, mutas facit  
 improborum linguas, & compositas manus,  
 ut peccare pudeat, eo præsentente, quos  
 peccata delectant. Id perspectum, adeo in  
 nostris, quos ita verebatur miles, vt eorum  
 interuentu nihil sibi permetteret, quod  
 putaret emendandum. Hinc compressi tumultus



tus orientes interdum ex penuria rerum, con-  
 cubinæ exactæ, vel in matrimonium ductæ, pro-  
 uocationes ad singulare certamen diremptæ.  
 licētia coercita. Eucharistiæ sodalitas, de qua  
 proxime scripsimus, dantibus nomina uiris  
 nobilibus qui ducebant ordines, aucta. confes-  
 siones generales plurimæ exceptæ. hæresis a  
 multis excussa. in uno Hibernorum, & Anglo-  
 rum ordine, amplius octoginta, uno anno, ab-  
 iurarunt. Magnus labor in expeditione Galli-  
 ca, numquam fere, neque interdiu, neque no-  
 ctu intermissus: nec sine diuino numine, eo in  
 itinere, cum hinc timeretur pestis, illinc hos-  
 tis, incolumes nostri omnes fuere. in reditu  
 tentati aliquot morbo, & recreati. toto hoc in  
 procinctu, atque etiam in proelio, mira utili-  
 tas operis: siue prætenta Cruce incitandis ani-  
 mis, siue ex occasione pluribus audiendis: sed  
 maxime ad Matronam, Laniaco, ad Sequa-  
 nam, Metiosedo urbibus expugnatis: qua tem-  
 pestate matronarum pudori uirginumque,  
 ne uiolarentur, egregie consultum. fuit inte-  
 rea miles, qui cum prædæ primitias Dominæ  
 Angelorū uouisset, irruptione facta in hostes,  
 petitus ferrea glande, adusta dumtaxat veste,  
 cetera impenetrabilis fuit, sed & eiusdem Dei  
 matris imago, in templo quod quatiēbatur un-  
 dique vi tormētorum, medias inter ruinas ste-  
 tit, non loco, sed numine defensa. anxie hæc  
 Virgini uenerationem, & grates Deo filio a-  
 ctæ: per

et: per quem effectum, vt ad interneccionem  
 cæsis mille hostibus strenuis bello, septem tan-  
 tum e nostris desiderarentur. Nec desuere ad  
 continendos milites in officio diuina nonnul-  
 la vltionis exempla. Auelli vnus non poterat  
 a pellice, cui multos annos insueerat: atque  
 id gnarum omnibus: cum interea, vt fit in bel-  
 lo, pila ærea, haud dubie fortuito ictu, explo-  
 sa ab hostibus, mulierem interficit, ipsumque  
 percussum in inguine adigit ad mortem. nec  
 mora, accurrenti sacerdoti se reum procla-  
 mans peccata aperit tanto cum sensu, vt vix  
 se contineret, quin palam enuntiaret vitato  
 omni secreto. Vnius pœna metus fuit multo-  
 rum. Ex ijs qui sunt in castris, Groningam  
 (de qua dudum aliquid scripsimus) submissi  
 duo, alter eorum Gallus, in magnam rem Gal-  
 licani exercitus. Priorem Quadragesimam  
 Steenuici egit: oppidum est Frisiz Hispania-  
 rum regi subiectum. Hic inter milites institu-  
 tum Sodalitium Dominici corporis: nota eor-  
 um pietas in saucios, & ægrescentes. Mirum  
 hoc, cum diuturna obsidione premerentur no-  
 stri in arce quadã, multis circumcirca ex sclo-  
 porum nimbo cadentibus, vnus tantum soda-  
 lium (sua culpa, incuriosus nempe discrimi-  
 nis) occisus, vulneratus alter post paulo con-  
 ualuit. Dimissæ concubinæ, vel mutarunt in  
 coniugii iura: vt in sex Gallorum cohortibus,  
 duæ modo superessent: grauida vna, donec pa-



riat: altera penes ducem vnus cohortis, ita nostris infensum, vt addito quodam, qui se sacerdotem esse mentiebatur, multa in Societatem probra effunderet magna contumelia verborum: non diu, neque impune: ille enim, dyfuriacus misere obiit: hic, ne raperetur in carcerem, sibi consuluit fuga. igitur lupa eiecit, & lupanar subuersum non castris procul: sacerdote nostro (militibus coram ad eius vocem stupore defixis) incensurum potius, quam tolleraturum, minitante. Miles vanis quibusdam implexisque notis in pergamena iactabat se aduersus vim quamlibet telorum inuisibilis fore: admonuit eum noster inanis superstitionis: sed nihil penditur: postridie mane frons glande percussa spem elusit: extinctus ipse ceteris, nullam ut haberent fidem eiusmodi nugis, exemplo fuit. agri adiuti, mortui ut sepelirentur Catholico magis ritu recitandis precibus, quam militari pompa inflammandis sclopis, consuetudo restituta. idem fere in baptisimi caerimonia effectum. Quadragesimam alteram Dauentriae & Zutpheno impendit. & (ut absoluam breui) eadem fere qua Steenuici facta: diuino autem pronisu contigisse videtur, ut iux Groningam redierit sacerdos, cum ambo illa oppida, de quibus modo diximus, sunt ab hostibus capta. obsessa postmodum & Groninga ipsa: quo tempore, obibat ipse milites intentos praelio, bonos segnesue laudibus

aut cohortatione accendens: & quamquam ignarus linguæ Belgicæ, non defuit Belgis: cum uir quidam, nō de infima plebe, eius consilium in rebus dubiis non inutile esse experiretur. ex eadem gente alterum nobilem magis quā piū iuuit remedio exercitationum nostrarum. Grata opera & Belgis, sed (cum Gallice cōcionantē non intelligerent) quodammodo inuidiosa: itaque peritum alterum expectauerunt. rem urgebat Vicarius magna vir existimatione, & erga nos amore singulari. iamque Societati erat assignata domus: hanc sanctimonialis quædam asserebat sibi, cunctis reclamātibus: nec se inde discessuram, nisi mortuam: uaticinium fuit: florente quamquam ætate, eodem mense occumbit: idem sorori accidit eiusdem mentis: cogitabatur interea de aliquo censu: adiecti oculi erant in sacerdotium, quod cum quidam impedire molitur, acuta febris extinctus est. Tandem omnē licet mouentibus lapidem qui contra nitēbantur, auctoritate Nuntij Apostolici uiri illustrissimi, res nobis adiudicata est. Igitur in eunte Iulio anni posterioris, et si uindique uolueret hostilis victor exercitus (obsidione quamquam soluta) sacerdos, qui petebatur Groningā uenit, magna gratulatione Vicarij, qui & Dominica proxima, ut cōcionandi munus in eade principe susciperet, ei auctor fuit. Non uidebatur ea res periculo carere: quip-



pe persuasum erat nonnullis, Societatem nostram nouam quamdam sectam hereticorum esse: nec deerat, qui iureiurando affirmarat, se fuita, quem primum vidisset, violentas manus allaturum. verum, vbi summo studio assensuq; Senatus auditus est, suspicio in beneuolentiam vertit. ergo ad conciones frequens concursus. Sacramenta Eucharistia & penitentia, quae ita non colebantur, vt qui tertio quoque aut etiam octauo anno semel communicasset, Catholicus haberetur, recoli coepta. Die assumpta in caelum Virginis quindecim refecti mysterijs sacris: totidem festa luce Sanctorum omnium. Nihil autem magis mirum iucundumue, quam inchoata post tertium mensem explicatio Catechismi. accurrit ingens multitudo ex omni aetate, ac sexu. Vbi primu sacerdos de more, a salutari signo aggressus, In nomine patris & filij & spiritus sancti amen, clara voce intonuit, excipiente reddenteq; insolitam precationem templo, ceterisque sequentibus, ita mirum letumque accidit omnibus, vt inter laetantes gaudio, responsantium verba confunderentur. atque hanc veram esse rationem agnoscant restituendae veteris religionis. Incitant se interea aduersarii, & mutuos incendunt latratus. neque enim maledici recte factis deesse possunt. sed canes prohibiti morsu latrando iram consumunt. Haec Groninganae veluti Sedis prima vestigia.

PROVINCIA  
FRANCIA.



ACRIMABILE bellum effecit, vt trium tantum, Parisiensis, Virodunensis, & Mussipótani, Collegiorum commentarij transmittentur: huc credo adductis quasi ex naufragio reliquijs nostrorum. Vt igitur eorum labor veluti inclusus intra breuem ambitum, ita nostra narratio in arcto erit.

COLLEGIVM PARIENSE.

OCTOGINTA & vnus, anno priore, paulatim affecto numero, demum ad sex & uiginti, immo etiam ad uiginti duos recidere. flagrante adhuc dira discordia, quæ huc malorum miseris ciues perduxit: vt quinque et nostris prærepti morte, nõ deflendi fuerint: nõ experti videlicet ærumnarum grauitatem propagatione vitæ, cum lugere facilius republicam quã inuare possent: eo magis quod non immemores nostri muneris immortui ferre proximis ope ferenda. Martinus certe Balliesius, cum Heluetios milites inuistit quotidie in suburbijis derelictos, fouetq; in dysenteria,



victu procurans & integumentum corporum, labore assiduo & ægrotorum tabe contraxit morbum, qui vitam abstulit. Nec ideo desuere, quos assumpsimus in partem laborum. Ex eorum numero quidam Theologiz candidatus in Academia non obscuri nominis: is cum piis exercitationibus operam dat, ad Societatem nostram animum applicat: vnus iniiciebatur scrupulus, quod quidam ignari nostrarum rerum ex cultu externo interiora cõiectantes, eleuare conabantur ordinem, vt viuentem lautius, nec magnopere patientia paupertatis ornatum: suspicionem indicat vni e nostris, quo valde utebatur: mox cum accepisset legendam vitam nostri Patris Ignatij, sic abiecit contationem omnem, vt spei impatiens etiam maturitatem inimicam haberet, dictitans subinde in rebus bonis rapienda consilia. In altero quoque admittendo spectata Dei voluntas est. cum enim certus relinquendi sæculi, incertus quam religiosorum familiam e tam multis sequeretur, varias volueret animo curas, secundum quietem admonitus est: quasdam adiret ædes, quarum species ostendebatur: ibi expeditum consilium iri. postero die cum per urbem inambulat negotij causa alta cogitatione defixus, conuertit forte oculos in ædes ostensas (erant viduz mulieris magna existimatione pietatis) vt pulsauit ostium, admissus est: dein consulta mulier non ignara nostri instituti,

ita

ti, ita laudare illud institit, vt sibi iuuenis demiserit in pectus nullum alium ordinem male. Neque ab hęc narratione alia abhorret. Sacerdos in Collegii vestibulo in quemdam incidit adolescentem: quem, deceptus fortasse similitudine oris, alium rebatur esse, a quo librum commodato acceperat: sed compellans errorem agnoscit: dixit enim is, Nulla inter nos, pater, notitia vniquam fuit: verum, nocte proxima sum visus te videre, & vocem audire alterius quasi ex occulto admonentis, vt seq; rer consilium tuum. a Deo putauit esse somnium sacerdos: itaque hortatur, sequatur Deū, nec se a prauorum consuetudine peruertere sinat, diuina frequentet mysteria, certum delingat sibi sacerdotem participem & consciū arcanorum, a cuius arbitrio pendeat, quem vnum magistrum habeat officiorum ac vitę. Grates agit consultor, & accepto veluti responso latus discedit. Mirum illud etiam, quibusdam implicitis morbo, factam exomologesim suasu nostrorum, corpori quoque salutarem fuisse. Officiū porro, quo adiuvamus ægros, ita gratum, vt ab omnibus aduocemur: neque sine numine factum est, vt ad sacerdotes hoc in opere assiduos nihil mali pertinuerit: constans enim est fama tantam vim mortalium in hac vrbe, cum est in obsidione, siue cum postea libera, interisse, quantam ante annos decem, dominan-



te pestilentia numquam: etsi sine anni posterioris, ne peste quidem caruit. quamquam nullum omnino est e tribus malis, quæ grauissima, vti sunt, sic etiam videntur, bellum, famies, pestis, quod non ciuitatem afflixerit: quod si tantum singula, facilius erat remedium, aut æquior consolatio: nunc, coniunctis viribus in miseram incubuerunt: vt vix vlli calamitati nouus locus esset. iniriū mali, ciuile bellum, quod cum multas Galliz vrbes vastasset, collatum erat circa Parisios, tamquam in vna vrbe ageretur totius rei summa, sed nos non scribimus historiam communem, ea solum perstringimus, in quibus nostri, pars aliqua, aut agendo fuerunt, aut ferendo. tamen non nihil leuamenti afferre visus Henricus Caetanus Cardinalis illustrissimus a Pōtifice maximo legatus. is cum exceptus fuisset a ciuibus, pro eo ac fieri tum poterat, splendida pompa, visum nostrum officium est, cum a moderatoribus Collegij inuitatus, & ab ijs patribus quos secum Roma duxerat, Collegiū accessit, vt cōferremus ad eum ornādum colendumque omne ingenium ac studium nostrum. Quod si cogites conuestitos atrij parietes ac domus, qua erat transiturus, non dico peristromate signisque (namque hæc vulgaria sunt) sed multo magis apparatus carminum, vario numero, dispositu, artificio, propria omnium elegancia: siue dictas orationes,

actosque

actosque dialogos ( datum inter hæc drama,  
 de egressu Israelis puluerulenti medias per  
 vndas ex Aegypto Moise duce ) siue muscos  
 concentus quasi extrema uocum imagine ite  
 rante cantus, mira iuxta aurium animorum-  
 que voluptate: siue ita compositos versus, vt  
 multiplici contextu litterarum variante for-  
 mas, certas exprimerent effigies rerum, ductis  
 veluti lineamécis penicillo: siue inuenta poe-  
 tarum illudentium oculis, vt hoc vel illo situ  
 non legi aut non intelligi possent, legerentur  
 rursus alio atque intelligerentur, cum vellét,  
 oppositu speculi, iucunda fraude: siue denique  
 argumenta alia plena artis & ingenij: hæc om-  
 nia si ratione tecum & animo cogites, dicas  
 ad celebrandam excepti laudem, & excipien-  
 tium lætitiã, nihil defuisse: & fortasse nihil si-  
 mile alias a discipulis factitarum: quæ, si disci-  
 pulorum opera fuerunt, vt plerique affirmât,  
 siue magistrorum, pari gloria digni sunt no-  
 stri, qui aut illa fecerunt, aut discipulos reddi-  
 derunt tam doctos politosque, a quibus talia  
 efficerentur. dicta omnia scriptaque, non so-  
 lum probata sunt Cardinali optimo, sed dona-  
 ta etiam libenti, delectu habito, in tres libros  
 iustæ magnitudinis eleganter digesta. discipu-  
 li, id tempus, minimum sexcenti viginti erant,  
 numeratis Conuictoribus: quos postea vrgen-  
 te fame, religio fuit dimittere ad natale so-  
 lum, cum circa urbem omnia intuta essent.  
 neque vero illud non celebratum est, ex alio

quo-



quocumque Gymnasio, dilapsis discipulis, scholisque tacentibus, nostram Academiam tenuisse suum cursum: ut in tumultu licet bellico, litteræ pacis alumna non exclusæ essent. Igitur valde laboratum est nostris, cum in tanta penuria etiam Conuictoribus prospicerent cibum. fames autem ita angere cœpit urbem ne sciam inopia, cum interclusisset hostis, aut interciperet commeatus, ut quæ admiramur in annalibus veterum de obsessarum ærumnis urbium (si demas tantum comesas humanas carnes) Parisiensium calamitas sit experta. equos aliquot suos illustrissimus Legatus Philippi regis (acciso reliquo opsonio) confecit, ut ijs vesceretur: quorum partem ad nos misit pro cetera sua liberalitate, magni muneris loco. magna vero illius viri his temporibus erga pauperes beneficentia fuit: nempe (ut multa sileantur) vasa omnia abaci sui aurea argenteaque, itemque supellectilem domesticam maximi pretij ad subleuandam plurimorum inopiam distraxit. Ergo factum, Dei prouisu, ut e duobus Legatis Pontificio ac Regio, solatio vnum, alterum subsidio ciuitas haberet. Sed quo diutius durabat obsidio & auxilia differebantur, eo magis malum crescebat: ut nobis, qui ab initio largiores fueramus in necessitatem pauperum (dabamus quotidie stipem pane trecenis) vix ad vnum diem alterumue cibus superesset. dum tandem Alexander Farnesius Dux Parmensium exercitu addu-

adducto hostem depulit, & famem. Multis interea supplicationibus Parisienses ( quos inter cōspiciebantur discipuli nostri e Conuictorium contubernio & Sodalitio vtroque Mariæ Virginis ) Deum placare moliebantur. Magnum enim nomen sodalium, magna in proximis adiuuandis diligentia, magna pietas in Deo colendo. neque alia fuit causa Siluaneſi Episcopo (de quo aliquid proxime scripsimus in Parisiensi Domo Professa ) cur ad eam se admitti tantis precibus postularit. Vrbs autem hæc Dei matris auxilio, quam patronam sensit semper in omnibus rebus, se stetit gloriatur. Votum nuper fecerat missuram nauigium argenteum ornatum instructumque (signum est Senatus populi que Parisiensis) ad ædem Lauretanam. posteriore anno, pedestrem peregrinationem ad Carnutenſem (distat octodecim millibus passuum) publice promisit. Nec tamen interea, licet abscessu hostis, tranquilla fuere omnia aut pacata, præsertim post reditum Parmensis: quotidiana enim pæne audiebantur stratagemata hostium: et iustior metus ab internis erat, nam (vt fit in tam longo obsidio) quidam tædio fortasse mali diuturni ac famis claris vocibus aut panem deposcentes aut pacem, dicebantur esse corporibus intra muros, qui animos extra mœnia haberent. Igitur assidue conducti milites, et ciues ad arcendos nouos



inimicorum impetus, euocabantur in turres ac propugnacula. ita nulla fere sine timore ac solitudine nox nullus sine labore ac periculo dies: vbique fames ac lassitudo: et super hæc omnia, inopia consilij. Ergo in communi discrimine nemo se eximium esse cupiebat. Conuictores etiam nostri e grandioribus, immo nostri etiam fratres (monstrabat verus amor religionis) non valde quamquam bello exerciti, pro muris stabant cum armis, si necessitas erat, et fuit aliquando, cum opera nostrorum Parisiensium vrbi supremam opem videtur tulisse. Tulerat rumor, hostes qui nõ longe tendebant, aggressuros vrbẽ scalis proxima nocte: emissi equites exploratum rem ita se habere renuntiarunt. itaque ad æris campani tinnitum (vt in talibus rebus) omnes ad muros conuolant: nec nostri tenent se domi: rapiunt & ipsi ignota arma, vt præferratis contis detrudant nocturnum hostem fortasse subeuntem, multum iam noctis processerat, cum vndique silentium et quies, hostium ea astutia erat: vt quasi nullum iam periculum esset, dilaberentur propugnatores, mox & opprimerentur incanti. haud temere coniectum, abierant fere omnes desertis muris: nostri tamen cum pauculis quibusdam stationem non deserbant, cum paulum substitissent, obscuro adhuc cceptæ lucis, incertum murmur, & strepitus ad mouentium scalas hostem prodidit. con-

cla-

clamant, scilicet, ad arma, & aliqui per urbem discurrunt nuntianres periculum. in hoc tumultu eminebat e muri fastigio armatus miles, qui iam conscenderat, iam & ex humero breuiores scalas deijciebat in partem interiori urbem, qua se demitteret, inter duos nostris: animos timor addidit & magnitudo periculi. itaque scalas iam deiectas pronoluunt ad terram: et miles facti nescius, vt in muro constitit imminens in descensum, spe frustratus sclopum displodit in alterum furore incensus: ceterum, vltra puluerem inflammatum atro fumo, non constitit ictus, Deo vim retundente, et inter hæc iam concurrerant ex reliqua vrbe auxilia hosti deturbando. maius opinione fuit periculum: quod & vrbs agnouit postea, & secunda fama per totam Galliam tulit. quin & dies institutus anniuertariæ supplicationi circum Academiam ab Academicis ordinibus, memoriæ propulsati periculi propagandæ, scalas porro ipsas, rei monumentum, in Collegium nostri atulere. Secundum hæc, Cardinale Legato Romam reuertente, Conuictoribus permillum, vt discederent, rediere ad instaurationem studiorum fere centum, auditores omnino quingenti. Sed lapsi deinde, vbi est auditum redire hostium ducem exercitu æque instructo, animo magis attento. factum hoc sine anni prioris, quo e Conuictoribus mortui nonnulli, nec tamen multo pa-

cator



tior fuit posterior annus, cum infestis la-  
 trocinijs sic infesta essent omnia, vt ex vrbe  
 non liceret pedem efferre. cum interea breues  
 intra terminos nostrorum se industria exerce-  
 ret. Profectum est nonnihil concionibus: vt  
 intelligerent Parisienses, quemadmodum bel-  
 lum origo est famis pestilentiaque, sic stirpem  
 & caput malorum omnium esse peccatum: nec  
 quemquam esse hostem nec priuatim nec pu-  
 blice capitaliorem, aut magis timendum. et  
 hic fructus concionum esse debuit. Visitatae  
 publicae custodiae. vnus leuiorem ob causam  
 damnatus morte, nostris eum placantibus qui  
 affectus fuerat iniuria, donatus est vita. Totius  
 antea vitae confessiones auditae plurimae:  
 sed non numeratae in his turbis. Vnus quidam  
 tot fractus incommodis, qua pestis, qua belli,  
 scuire constituerat in coniugem liberosque,  
 specie miserantis: mox cum uidisset cacoda-  
 monem assistentem sibi ad latus auctorem fee-  
 lerati consilij, exhorruit: et nostros meliora  
 suafuros accersit. aliquot adolescentium pro-  
 fligati mores correcti. exiguus numerus di-  
 scipulorum, sed fructus ingens. ex una schola,  
 pancae intra hebdomadas, allati libri amplius  
 quadraginta damnatae superstitionis, & in i-  
 gnem coniecti. Ceterum, illud quoque his  
 temporibus debemus, quod audiri ceptum v-  
 na ab Academicis sacrum quotidie: quod sa-  
 pe antea tentatum nunquam processerat.

Fuit

Fuit & posteriore anno sua declamationum,  
& datorum publice dramatum elegancia ac  
species, augeri cœptus auditorum cœtus an-  
no extremo: sexcenti erant, & septuaginta:  
ita, et doctor vnus Theologiæ redditus.  
Hic fere status in hac confusione rerum Col-  
legij Parisiensis: ei melius futurum aliquan-  
do a Dei clementia, spes magna & fiducia  
est: neque enim continet in ira misericor-  
diam Deus: et vbi filios castigauit errantes,  
mox pœnitentes paterna humanitate ac bene-  
uolentia respicere solet. Ceterum, visa aliquot  
prodigia, quæ suspensos animos ac pavidos  
habent. Auditum est Dominum Rambierium  
equestris turmae ductorem, & Picardiæ Præto-  
rem designatum, optimeque de Catholica re-  
ligione meritum, vt ex hostium insidijs gra-  
ui vulnere accepto in capite extinctus est,  
magnam admirationis causam mortalibus  
dedisse: cum enim sepulturæ esset mandatus,  
dum soluitur plaga, in eius fascia exiguæ cru-  
ces multæ repertæ sunt, variis notis expressæ,  
similesque in interiore indusio, funebrique lin-  
teo, quo involutum est corpus. Parocho iu-  
dem Corbienti rem diuinam postridie facien-  
ti pusillæ cruces visæ in sacro linteolo Dom-  
nici corporis, postmodum in altarium mappis,  
lintheaque templorum veste, vrbis Ambianen-  
sis, & Montdiderii: atque adeo in sudariis &  
mantilibus multarum familiarum. colore om-



nes subflauo erant, & rutilo. Scriptum ea de re Lutetiam ad multos ab amicis, & ad nostros etiam ab Augensi Collegio, quod illinc non longe abest, ita hæc accepta tum ab graui- bus auctoribus, tum ab iis, qui omnia per se ipsos explorata referrent. et ne sit ullus dubitationi locus, voluit præpotens Deus etiam Lutetiæ conspici: in linea primum supellectili multarum ædium sacrarum, dein quoque in stropholis, interulis, & linteo vestitu laicæ multitudinis: eodem colore, quo priores, ceterum ita adhærescente, vt nullo artificio aut ingenio elui posset. In aliquot quidem certe sacelli nostri linteolis sacris Dominici corporis (corporalia dicuntur) & in palla calicis, crux paruula emicabat ab uno hastili geminata. Sed & cuidam adolescenti, qui apud nos dat operam litteris, postridie quam sacre communionis particeps effectus est, in subuculæ collari eadem species apparuit, aliquanto maior quam ceteræ omnes. quamquam postea, ante tertium nonas Maias, alter immortalis cibo refectus, cum redisset domum, vt forte aperit sinum, crucem aspicit, quæ magnitudine alias superabat in intima tunica tēgente pectus: præcidit eam particulam adolescens, itaque insignitam ad nos attulit mirabundus. Per idem tempus ad sancti Dionysij oppidum (duobus Lutetia milliaribus abest) spectata in aere eiusdem notæ & coloris effigies,

gies, circa meridiem, per horas duas: eiusdem generis ostentum Biturigibus fuit. crux duplex commissa in eundem scapum. admiratio nem auxit, quod superior crux coronam confertam spinis sustinebat: quodque remotæ cruces ab ara, in cuius mappa viscebantur, vt liberior esset populo inspicuendi potestas, & ad parietem affixæ, euanescere incipiebant, vt per exigua remanerent lineamenta: vbi suo altari restituebantur, redibat species & color. id tēplum a miraculo, quo Dei mater Christianum puerum coniectum in ardentem clibanum seruauit incolumem, propria Gallorum lingua a Furno calido cognomen inuenit. Quid hæc signa portendant, in incerto est: neque tamen ignarum est, inclytam esse Crucem, eamque veluti coronam & clypeum pro Deo pugnantibus obtendi: atque hoc solitum e cælo signum illustre sideribus in multa luce victoribus dari.

## VIRODVNENSE COLLEGIUM:

**S**EX ET VIGINTI habebant olim hoc Collegium, si Nouitij etiam censerentur, auxere numerum Theologiae professores duo, cum discipulis decem, totidemq; Tyronibus, qui studiorum causa, huc profecti Latetia Septembri exeunte: sed e magistris alterum, e laboribus, credo, ac molestijs vix, cum Rhemis



esset, morbus detinuit: duobus cum eo remanentibus officij causa, quorum alter erat sacerdos: qui cum similiter laborarent, breui alleuati sunt. postremus assurrexit, qui primus decubuit, & (quæ res non caruit admiratione) præter expectationem medicorum, cum pro valetudine votum ad Sanctæ Genouefæ fecisset. Experti interea sunt pietatem Anglorum, nonnullorumque ciuium Rhemensium, & (quod mirum magis) aliquorum, qui a nobis antea dissidebant. illius enim Academiæ moderatores ac ludimagistri immutarunt se nobis, vt, quos olim calumniabantur, nunc admirentur: sic, & inuisebant nostros ægros, & inuitabant valentes. narrauit Cancellarius, excitatos nuper suos eius oratione ad imitandum Gymnasium nostrum. quamobrem explicatur doctrina Christiana ex Patris Canisij libello. At nostri tandem reciperata valetudine, multis perfuncti periculis Virodunum tenuere. iam docendi initium fecerat sacerdos ille, qui præcesserat decimotertio calendis Decembres: secutus est hic alter quarto idus eiusdem mensis. tanta frequentia adolescentium, vt esset veluti indicio processus minime diuturni. Scholæ mansuetiorum litterarum auctæ: maxime studium pietatis: vt oportuerit sacerdotem præfici immunè ab omni alia cura discipulorum cõfessionibus excipiendis: eas plerique octauo quoque die frequentant:

octo

octo exijs Societatem petunt: quibus videlicet expectandum, aut dum imitescant tempora, aut dum ipsi adolefcent. Veriti libri, quos habebant discipuli, siue alijs surripuerant pro furto, magna afferentium latitia in Collegij area combulti. Bacchanalibus Politici accommodato ad tempus argumento, non sine risu ac facetijs in scena vere reprehensi, placuit acris, & postridie a ciuibus reuocata. Hæc de scholis. Cetera munia Societatis strenue obita. Confessionis sacramentum diebus festis celebratum adeo, vt nulli sacerdotum interquiescendi spatium daretur: tanta uis communitantium, vt nullum fieret sacrum in altari maximo, quo non plurimi caelesti pane reficerentur: numerati anno superiore in Iubileo circiter mille: posteriore, præterea centum. apparuit in multorum detectione peccatorum, patrocinium Virginis. Sed hæc turius est tacite æstimationi relinqui. Facta etiam in oppida propinqua, vt in his locorum ac tæporum angustijs, aliqua excursio, nec caruit fructu, sed quo minus licuit progredi, eo magis in urbanos opera collata est. igitur repeti placuit catechesim, graues ob causas aliquamdiu intermissam. ter quot hebdomadis conueniebant pueri, puellæque, discreto ordine, allicientibus munusculis, & sub Crucis vexillo, modulatrice pompa. magna omnibus, in conspectu virorum nobilium, atque ipsius etiam Episcopi.



pi, vincendi æmulatio. E multis egressibus, quos accepi celebratos, fatius duxi seligere vnum maxime insignem, obuia rerum similitudine vitandæ satietati: nec minimum afferet oblectationis: et fortasse alios, qui in eadem versantur cura, prouocabit exemplum. Igitur, die festo Sancti Michaelis sub finem Septembris, visum octo Cathechismi partes, vt suam vnaquæque veluti classem agnosceret, distribuere sub signis, exornatas instructasque propria personarum specie, ac forma. præibât cruces binæ prægrandes, communia totius agminis vexilla, tamquam turbæ submouendæ. nam singulis (vt dixi) singula prænitebant cum præscripta sententia ex sacris libris, quæ argumentum referret. ordo autem agminis erat talis. Primi omnium duodeni proceres, & Antistites religionis nostræ: distinctos præferebant articulos fidei, & instrumenta mortis, qua Christum testari intrepide occubuissent. sequebatur virgo cum pretioso cultu ornatuque capitis, ex auro, gemmaque: diuinam exprimebat Gratiâ, dextraque extollebat in rotundam spheram ineffabile Dei nomen inscriptum: duobus Angelis latera regentibus. haud procul altera non minus splendida veste, illustriore vertice, quem insigniebat corona triplex, in cuius apice columba: vna gloriofum manu orbem, phœnicem auem & binas clauis altera gestabat: imago erat Ecclesiæ, quam

quam unam esse ac præpotentem in omnibus  
 terris intelligi volebat: ante cedebant caelestes  
 iuvenes duo, & tertius præterea; in cuius in-  
 cessu, armisque Michaelé Archangelum agno-  
 sceres. habebant mediam pueri conspicui, hic  
 vestiti populari, ille Ecclesiastico: vterque cum  
 gladio stricto: duplicem Potestatem vt inter-  
 pretarentur qui spectabant, admonebant lit-  
 terarum notæ; quæ in capulo legebantur. eod-  
 dem ordine conspiciebatur Angelorum Domi-  
 na; ac cæli regina, Dei Mater & Virgo: cuius  
 diadema in capite ex nexu stellarum duode-  
 cim varie micantium: candidum illi in manu  
 liliam, virginittatis argumentum: comes Ga-  
 briel verba salutationis in sceptrum prætende-  
 bat eleganter inserta. Dein beata Elisabeth  
 cum puellis septem, vt existimares particulas  
 precatationis Dominicæ; quas sua cuiusque ta-  
 bella scite ac litterate indicabat. Tertius Dei  
 Nuntiorum ordo, decem duarum tabularum,  
 & Ecclesiæ præcepta quinque, singillatim præ-  
 monstrantium, cum titulo insigni. Theologi-  
 carum quartus, principumque Virtutum, quas  
 Cardinales vocant, signa, nominaque præpor-  
 tabat, aliz deinceps tamquam sociæ aut ad-  
 ministræ in earum vestigijs pedem ponebant.  
 Quintum ordinem adolescentes septem ex to-  
 tidem numero sacramentorum cum suo quis-  
 que vase, atque indice constituebant. Nouem  
 decim pueri lineo amictu facem portantes



singuli clara luce fulgurantem, vt æquarent  
 numerum donorum, fructuumque sancti Spi-  
 ritus in sexta classe. In septima enim mul-  
 tiplex virgo, quotuplex beatitudo designa-  
 tur. Angeli vltimi cum iudicijs Christi Domi-  
 ni cruciatum ac mortis, lugubri spectacu-  
 lo. Hæc omnia cum attenderes, ambulare di-  
 ceres animatum Catechismum. Singuli ordi-  
 nes peculiare carmen, & congruens personis  
 quas gererent, canebant. claudebatur por-  
 ro agmen vniuersum Musicorum coetu, cum  
 proximis alternante choro concinentium. &  
 magnus præterea numerus sexus vtriusque  
 ingenti significatione pietatis. Obiit hac pò-  
 pa vrbani templis celebrioribus, reditum est  
 ad nostrum, vbi instructum theatrum cum pa-  
 ratu illustri futuræ disputationi. Consedere tri-  
 buti proprias in classes suis gradibus singuli  
 (numero omnes centum circiter, ac triginta)  
 conspicui digitis hominum, nutibusque nota-  
 biles. instituta dein concertatio catechistica,  
 vnoquoque munus tuente ac partes illius  
 personæ, quam vultu cultuque assimulabat,  
 singulari industria: ut nihil tacitum, nihil non  
 excussum relinqueretur. Secutus dialogus ad-  
 uersus hæreticos, Michaellem inter, & eos, qui  
 duplicis Ecclesiastici imperij imaginem refer-  
 rent. Secundum hos exposuere Christi cru-  
 ciamenta, qui talia explicabant insignia. Pe-  
 rorauit denique vnus, gratulans Virodunensi

popu-

populo, & collaudans hanc inuentutis erudienda rationem in obseruatione antiqui ritus, & cognitione Catholicæ disciplinæ. Gratum uiris etiam prudentibus spectaculum: & repetitum die postero non minori voluptate. Ceterum hoc anno instituta sæpius ab Episcopo preces publicæ numini propitiando, quo etiam tempore egregia puerorum catechesi species fuit. cum Catechistes quotidie uesperis, etsi cum pauculis domo egressus, paulatim se aggregantibus alijs atque alijs, composito agmine, numeroque aucto, duce nos interdum supplicatum adduxit. Hinc magna erga nos beneuolentia ciuitatis, & sacrorum Antistitis: quam & plena laudum oratione testantur. Hæc pauca de Collegio

DOMVS PROBATIONIS, quæ illi adnexa, ut in hac perturbatione rerum, non numerosa admodum fuit. sed quanto pauciores Nouitii, magis spectatæ virtutis, de quibus (ut multa præteream) commemoranda vnius e Lutetia Parisiorum uocatio fieri non potest. Agebat Lutetiæ litterarum studiosis iis temporibus, quibus omnia circum hostibus erant infesta: exarsit cupiditate nostræ Societatis: neque a Patre Prouinciali, ut inter Parisienses admitteretur, potuit obtinere: huc igitur conuertit petitionem & curam: sed difficilis erat egressus vrbe, siue interdicto magistratum, siue ab hostibus periculo. cum in



hac cogitatione esset, in hominem incidit, qui ad Sancti Dionysii tutum se ei comitem fore pollicetur. Igitur a Patre Prouinciali abeundi veniam, & (quoniam dari litteræ tuto non poterant) admisionis quasi reseram impetrat. interim illi alteri immutata seu voluntas, seu facultas, nec propterea adolescens segnior factus: vestigat alias vias: cum interea non ageret in ore nostrorum, ne alterius consilii occasionem daret. omnia exploranti nuntiatum factam a magistratu potestatem iuueni cuidam nobili, abeundi cum aliis aliquot comitibus, quos vellet: hoc facilius, quod centurionem inimici exercitus propinquitate coniunctum haberet: ad quem deleniendum munera a delectis sociis ambitiose comparabantur. hic, etsi nulla sibi esset cum iuvene consuetudo, adit tamen illum, oratque ut in comitatum admittatur: & exorat leui negotio: res duæ consilium distinebant: vna, quod iam magistratus definierat numerum discedentium, & eorum nomina coniecerat in schedam; ut neque auferri ille, neque hæc inuerti possent: altera, quod dona afferentibus aliis auro graui, inanem vnum ac vacuum conspici non satis tutum erat. sed quam multa fieri non posse cogitamus, quæ experientibus facilia videntur? Sunt, quæ nisi peracta laudari non possunt. Deus adest optimæ voluntati. Ceterum noster cuiuslibet periculi quam moræ patiētiior, Deo  
 fre.

fretus, statuit cum alijs innominatus licet at-  
 que imparatus discedere. cum uentum esset  
 ad ripam fluminis, e qua in aduersam nomina-  
 tim erant transportandi, recensenti cuidam  
 ex accepta scheda singulorum nomina, ut suū  
 quisque recognosceret, excidit (forte, an Dei  
 permisso) barbarum quoddam nomen, quod  
 cum hic accepisset pro suo, subuectus est cum  
 alijs ad Ducem breui transmissu, ab eoque, i-  
 gnotus quamquam, nec munere dexteram  
 pragrauante, exceptus comiter sueta erga in-  
 timos liberalitate: sic ut diebus ipsis octo, eadē  
 mensa, eodemque diuersorio uteretur: eum  
 tamen (excepto eius propinquo, cum unico  
 famulo, quos nihilominus asperere, ut grandi pe-  
 cunia redimendos, tractabat) ceteri omnes,  
 (et si onerarent auro manus) exuti pecunia  
 reliqua, & veste, relicta solum interiore tuni-  
 ca, in urbem regredi coacti fuissent. Huc ac-  
 cessit, quod libera ei potestas fuit sine ullo cu-  
 stode uisendi quæ uellet, & datis defensoribus  
 eundi ad Sancti Dionysii oppidum: ubi cum  
 inter hostes prandet (in plena mensa agnitus  
 a vetere olim condiscipulo, appellatusque  
 prodito nomine, ac patria ditionis Hispania-  
 rum regis, cuius odio imbutæ omnium men-  
 tes erant) magnum discrimen subijt: sed, Deo  
 volente, præterita res silentio, aut obliuioni  
 data. nec uidebatur hic diutius sine pericu-  
 lo futurus. Ergo cum uale dixisset hospiti, &

egisset



egisset grates, isque ei contra auxilium omne atque officium peramanter offerret, plenus admirationis, eo quo concupierat, iter intendit: haud dubie bellum inter & hostes Deo ducente. nam eius comes aliquando a militibus captus, spoliatus alias a latronibus eo procul aspiciente: et iterum alibi, cum se proditum intelligeret, insalutatos hostes pro hospitibus, & illibatas ore dapes relinquens, prædâ inhiantes elusit. eodem itinere cum diuertisset in pagum, nondum certa luce quæ viam ostenderet, discessit, quamquam hospite dissuadente: nec adeo multum processit, cum aberravit: hic error saluti fuit: paulo enim post audito primum signo campani aris properantem vidit turmam equitum militari via ad prædandum effusam: quorum non effugerat impetum, si recta perrexisset. huc tandem, ita post longum iter, ut incertum & anceps, emerfit, Dei tutelam agnoscens, ac prædicâs, cuius sanctæ militiæ daturus nomē veniebat. Sequitur posterior annus, quo nostri fuere semper fere triginta. Multa cum superiore anno cōmunia. Propria quæ fas narrare, hæc ferme sunt. Virgo erat notæ iamdudum pietatis, erga res diuinas ita affecta, ut cū de iis inferretur sermo a sacerdote, qui erat a confessionibus, opportuno ipsius prouisu atque admonitu incidere oporteret mediū, quod deficere spiritū sentiret imparē præsentī voluptati:

thobij hoc anno: nec obscura deditianctitatis  
 indicia in certamine extremo. vt sacro fuit  
 delibuta oleo, quē antea amiserat linguæ vsum  
 ac vocis recepit. Morti vicina his vocibus ma-  
 trem saepe compellabat. Quam mihi bene est,  
 mater, quam ego diuino beneficio felix ac bea-  
 ta sum. Rosarium interim, ac symbolum A-  
 postolorum pie recitabat: ad quod opus subin-  
 de recurrerebat, vbi satisfecisset alicui inter-  
 rogationi, breui responso. circumfistebant le-  
 ctulum amicæ complures ac propinquæ: qua-  
 rum singillatim Rosaria orabat sibi conce-  
 dit oscularibus piacularibus sigillis, gratia in-  
 dulgentiæ: quin & postulauit supremi benefi-  
 cij loco in moribundæ corpus simul injeci om-  
 nia, neque ante extremum spiritum tolli: vt  
 gauderet pariter beneficio cunctorum. Nobi-  
 lis alia mulier (ea, opinor, de qua eodem Colle-  
 gio, anno abhinc tertio) ex assiduitate ægro-  
 tis in nosocomio ministrandi sibi accersisse mor-  
 tem, quinque reliquit peristromata ornando  
 templo. De Catechismi utilitate, deque pue-  
 rilium supplicationum celebritate ac pompa,  
 vt, cum quattuor nouissima Bacchanalibus,  
 cum die Dei Matris annuntiata, prophetas,  
 matronasque instrumēti veteris expresserunt  
 prædictione aliqua insignes, aut adumbratio-  
 ne sanctissimæ Virginis, cum quiddam posueri-  
 mus supra, gratia exempli, satis est tantum  
 indicasse. De discipulorum pietate idem iudi-

muo

cium



cium esse debet. Ex eorum numero vnus, cum  
 scelestum apud hominem diuersari cogatur  
 paupertate vrgehente, tantum abest illa, vt con-  
 suetudine pertrahatur ad illicita, vt eum con-  
 tra sensum alliciat ad pulchritudinem virtu-  
 tis. Alter sic arte complexus est amorem san-  
 ctorum morum, ac religionis antiquæ, vt Dei  
 obsequio se dedicare, & suauè ipsius subire  
 iugum in societate nostra constituat. differ-  
 tur votum, vt flagrantiore studio adolescat.  
 Ceterum hic annus exercendæ nobis in dome-  
 sticos externosque caritatis materiam vberem  
 dedit, ac primum de externis. Cum ad  
 hanc urbem Catholicorum exercitus princi-  
 pum ex varijs confatus nationibus castra fi-  
 xisset, propter militiæ incommoda multis sub-  
 inde agrotantibus, Hispanis, Italis, Germa-  
 nis, Gallis, publicum Xenodochium impleri  
 ceptum: tantaque consecuta inopia rerum,  
 vt plerique modicæ substrata palea in summo  
 frigore cubarent: ex quo exanimabantur quo-  
 tidie non pauci morbo ingrauescente sauge-  
 bat calamitatem Gallicæ ignoratio linguæ:  
 nam etsi Montis Marci Dux pecuniam sub-  
 sidio attribuisset, nec decissent in vrbe, qui præ-  
 eunte Episcopo subleuarent egenos, quia ta-  
 men carebant sermonis commercio, cum ne-  
 que intelligerent ministrantes, neque ab ijs in-  
 telligerentur, multa misera patiebantur. igitur  
 cum eo se contulissent & nostri, intelle-  
 cum

Cum est opem esse non solum in animas, sed  
 & in corpora conferendam, ac primum, per  
 distributos sacerdotes, qui aliquid poterant  
 in idiomate externo, auditi de peccatis: tum  
 pro nostra tenuitate, subministrati cibus, &  
 stragula vestis. Probata in hoc opere maxi-  
 me Tyronum virtus ac patientia: cum mane  
 quotidie a magistro ducerentur, & plus exem-  
 plo formarentur, quam præcepto. dabat pa-  
 ter operam expiandis confessione animis: ipsi  
 interea ægrotis cibos in os inferebant, reme-  
 dia comparabant, sternerant lectos, purga-  
 bant corpora, fouebantque: adiunabat etiam  
 magister, ubi vacuus esset: quin & grauem ef-  
 fe dicebat seruitutem corporis, necessaria cu-  
 ius procuratio obsequia pauperum tantisper  
 differret. itaque eius insu, nulla erat hora diur-  
 na, quæ careret ministerio. mane ceteris au-  
 dientibus sacrum, & redeuntibus meridie in  
 Collegium cibo capiendo, præmittebantur bi-  
 ni, & relinquebantur quasi exploratores ope-  
 ris, aut custodes. ipse cum matutinus exisset,  
 domum, non nisi post octauam horam aut non-  
 nam, repetebat. quod institutum eum ad ali-  
 quot dies constanter seruat, prouidus rerum  
 alienarum, incuriosus sui, impar labori, suc-  
 cubuit: cæpit decumbere per uigilio Sancto-  
 rum omnium: ad quem Nouitius forte as-  
 dens, cum dixisset. Numquid, aues, pater, ad-  
 iungi caelestibus, quos uniuersos vna celebri-  
 tate



tate veneramur? tanto spiritu sensuque disputare instituit de calidibus, vt lacrimæ obfunderent loquentem. ardebat dolore capitis, vt nec momentum temporis ad quietem daretur. igitur cum vereretur (quod testatus est ipse) ne, quod saepe accidit, diuturna insomnia migraret in alienationem mētis, vt somno liceret acquiescere, a Deo obtinuit, cum opprimeretur doloribus, Iesum, Mariam, ac beatum Iosephum, assidue inuocabat, concinens interim aliquid ex latifico carmine beati Bernardi. integra demum mente sensibusque, munitus Ecclesiasticis omnibus sacramentis, rogatus Nouitiorum nomine, diuinum vt illis precaretur fauorem, iunctis manibus, atque inter mortuis vocibus, Opto vos (inquit) esse & habitare in visceribus Christi IES V, et vt id ipsum de me optetis maxime cupio. Tum quodam e nostris manus regente benedixit. post die defixis oculis in Crucifixi imaginem feliciter obdormijt. Vir fuit in quo cerneres omnium virtutum exempla. Vndetricesimum annum in Societate versatus: quam, adiungendis ad eam multis & informandis pro virili, auxit ornauitque. obiit per eosdem dies Pater Petrus Braccinus Italus, qui cum exercitu uenerat. ut vita utilis, sic defletus in morte. Vir cum alijs virtutibus, tum maxime caritate & alta quadam sui despicientia excellens. Graui etiã tentati morbo sunt omnes, qui ægros in Xenodochio

dochio curarunt. vt eodem tempore vna laborarent amplius decem. visum est Deo differre obitum, vt ad grauiores labores viuendo se accingant.

COLLEGIUM MVSSIPONTANVM.

**S**OCIJ septuaginta octo. auctus videlicet numerus accessione Parisiensium, qui aliquamdiu Viroduni commorati, huc, vt commodius operarentur humanis diuinisque studijs, se contulere: vt diximus supra. Posteriore anno (huius enim acta precipue scribentur) decessit vnus, singulari Dei beneficio, domi, vt in parum munita vrbe, forisque in peregrinatione multiplici, a perfidiosorum insidijs armisque nostri liberati. Ex ijs pauca ponentur. Mense Septembri superioris anni missi in Picardiam duo, sacerdos, & scholasticus. ij cum in itinere grassatorum, & hæreticorum manus diuinitus effugissent, Metiosedum deueniunt, id nomen oppido est in Ambianis (Corbeiam appellant) hic sacerdos impiger in muneribus nostris, conciones habere, Christianam doctrinam rudibus explicare, adesse moribundis. Scholasticus in vrbis Gymnasio ipsius Gymnasiarchæ rogatu, pueros edocere, magna omnium approbatione, fructu non pernitendo. Oppidum interea ab hæreticis dolocapitur: & furor hostilis omnia ferro prædaque



quæ miscet. non fuit commodum latere scho-  
lastico, cuius certa domus: itaque compre-  
hensus rapitur ad patibulum. in itinere (mife-  
rabilis oppidi facies) incidit in consortes eius-  
dem pœnæ, ad quam pro Catholica fide forti  
animo tolerandam. intrepidus hortatur: ipse  
enim lætus, & spei certus, consolabatur se con-  
scientia muneris ex obedientia suscepti, & co-  
gitatione diuinæ voluntatis. inter ceteros ob-  
uium habuit virum primarium, qui & ipse tra-  
hebatur: et (quod mirum) qui erat miseran-  
das, misertus est socij nostri: ad milites enim  
conuersus. Quin vos, inquit, Iesuitam istam  
inopem dimittitis? cur hominem innocentem  
morte multatis? absoluite virum, si quisquam  
est alius, dignissimum vita. Negarunt primo,  
deinde (mente nempe diuinitus iniecta: neque  
enim causam aliam fuisse credam) liberum ef-  
se iusserunt. is in Belgicam contendit. cum na-  
uem aliquando conscenderet, incerta luce, cõ-  
spicatur hæreticos appropinquantés: confugit  
illico ad preces: ea solita arma. cum vocaret in-  
vota Dei parentem, prædones vertere cur-  
rum, & tres alias inuadunt naues, pone se-  
quentes. Sacerdotem vero hac ratione Deus  
seruauit. In Xenodochio (hoc enim illi diner-  
sorium fuit) rei diuinæ procurandæ duo erant  
sacerdotes: vtrumque extrudit mulier quæ  
præerat gubernationi, Prætoris permissu: in  
vnius vicem nostrum substituit, ignara quis

esset. neque operæ pretium erat agnoscere: itaque  
 que omni ratione se cautissime occultabat. Nierno  
 alter per Burgundiam Musipontum aduentans,  
 delapsus est in milites Nauarri: a quibus cum  
 inclementius tractarentur Catholici alij sacerdo-  
 tes, propter eius suauitatem quamdam sermonis,  
 & amœnitatem ingenij, non solum benigne ac-  
 ceptus est, sed & beniuole dimissus, vt docerent  
 etiam viam. Bicurigibus item profecti aliquot  
 e nostris cum huc iter habent, illustrissimi Ducis  
 Guisij recens e custodia non sine miraculo elapsi  
 militares copias sequebantur: quo in itinere cum  
 concionator ad eum noster rettulisset de rumore,  
 qui spargebatur in castris, ipsius ductu, perinde  
 vt captiuos trahi concionatores, qui Duci Meinxo  
 sisterentur, mendacium iniquo animo tulit, vt  
 stomachans diceret in magna frequentia, Ego  
 uero mendaces istos ulcisci vel fustuario gestio  
 (ignominiosum hoc genus pœnæ, & inter nobiles  
 Gallos ipsa morte redimendum) iniuria nempe  
 fit religioni Catholice, quam vt ego hoc ferro,  
 concionatores ipsi spiritali gladio propagare  
 conantur, bonus iuuenis. vt appareat diuina  
 seruatam providentia in spem publicam ad  
 opportunitatem rerum maximarum. Nunc redeo  
 domum, Iubileo & insequenti Paschate  
 consentientium prope innumerabilis turba  
 cohortationum, & Catechismi diebus festis ad  
 stationes mili-



tares, conuentusque alios urbanos, ingens fructus. de auulsis pellicibus, de sublatis superstitionibus, de restincta duorum pugna, quæ ex mutua prouocatione exarserat, deque alijs rebus nihil colloco, quas etiam me tacente intelligere licet. carptim aliqua seligentur. Virgo ætate prouectior, tot incitata furiis, ut obsessa diceretur, recitatis a sacerdote nostro litaniis, infecta altera maleficiis, epota salutari aqua, alia vexata a maligno spiritu, appensa ad collum sacra cera caelestis agni ad se rediere, mox & confessæ decessere e vita, cum essent precibus intentæ. Matrona Caluini institutiones (quem architectum scelerati dogmatis esse intellexerat) summis precibus a marito cum obtinisset, obtulit nobis inflammandas, ne & parietes ipsi (sic enim dicebat) polluerentur afflatu veneni. Vir a funebri lucro: ab iniusto alter sacerdotio, extracti. Absoluti aliquot criminibus vitæ totius. et fuit qui post eiuratum hæresim tam atroci affligeretur morbo, vt cum modo iaceret exanimis, modo vociferaretur animam caco-dæmoni debitam esse ex pacto conuento, vix cedere tinictis uinclis, neque vllum admitteret solatium. non illum iuuabant precatio-nes astantium, non consecrata in cera effigies agni, in quam sic ferebatur ira, vt nec abstineret dentes. tandem in hoc conflictu, modico furoris interstitio, cum sacerdoti assensus sacro

sacro oleo inungitur (rem insolitam vsurpan-  
 tibus oculis ipsius propinquis, qui erant e-  
 Germania, & pie tamen venerantibus) vale-  
 tudinem recepit. Alius item Germanus, pro-  
 digentia opum, quibus affluebat, & sicariorum  
 consuetudine sane quam notus, prauis eiectis  
 de religione opinionibus quas infundebat in  
 alios, pie moritur. Quidam hæreticorum par-  
 tes cur relinqueret, duas hæc potissimum  
 causas esse testatus est: primum, quod mini-  
 strum perfidiæ, quem noctu in varia deduce-  
 bat loca Ducis iussu, a diabolo arripi per se-  
 pe conspiceretur; dein, quod ipsimet hæreti-  
 ci æmulatores se profiterentur esse studiorum  
 diaboli, Crucis signum & lustralem aquam  
 immenso odio detestantes. Morientibus sæpe  
 astuimus: et visa aliquorum mors sustentata  
 tantisper, dum absoluerentur. Non parua  
 pars pecuniæ admonitu sacerdotis remissa:  
 pars altera, quæ totum dissolueret debitum,  
 ostiatim emendicantibus duabus matronis, re-  
 perta. atque ita debitor ære alieno & carce-  
 re liberatus. Auctus templi ornatus peripe-  
 rasmate serico, pluribusque velis auro argen-  
 toque contextis. et nunc primum in eius vsu  
 aliquid legari cœptum. reliquit quidam mo-  
 riens aureos decem. non magna res, sed in re-  
 pia non parum est incepisse. Illa domi. Hæc  
 foris. Feriis Paschalibus & natalitiis ad varia  
 loca emissi octodecim strenue laborarunt.



Singula percerere molestum sit: referre ali-  
 qua fortasse non inutile. In aula Lotaringiz  
 Ducis nonnulla præstita cum fructu. Virgi-  
 nes aliquot, duæ præsertim splendidissimis na-  
 talibus, pudicitiam tueri velle aduersum quasi  
 bet parentum minas blanditiasve constanter  
 firmarunt. restituta multa, quæ pertinent ad  
 reuocandos mores priscos, et Ecclesiasticam  
 disciplinam. In militibus etiam adiuuandis  
 opera stetit. Ac (ne repetam contrita) quat-  
 tuor ad Romanam Ecclesiam reducti: in his Sa-  
 xo iuuenis, indole familiaque iuxta excellens:  
 adductus (vt referebat) potissimum, Parisien-  
 sium cum obsiderentur, in supplicando pieta-  
 ris, in tolerando patientiam, in subleuando ino-  
 pes misericordiam, quotidiano spectaculo. Ad  
 pagum excurrit sacerdos domini rogatu: per-  
 mouit concionando populum, multo magis  
 refutandis pecunia muneribusque, quæ offe-  
 rebantur: audiuit repetitas antea vitæ cõ-  
 fessiones multas: inter fratres pacem consti-  
 tuit super hereditate capitali odio disside-  
 ntes. Ludimagister assignatus informandam  
 inuenturi. Schola subsellijs instructa. hanc  
 ad rem rusticanorum studia ostentu vtilitatis  
 vehementer accensa. Idem sacerdos e pueris  
 supplicationem coegit septem vicinorum pago-  
 rum affluente turba cum celebri ornatu. Ce-  
 terum puella repetitis ijs rebus, quas audiuit  
 de Christiana doctrina, æquales instituit. Mis-  
 sus

sus sacerdos alius cum socio, ijs diebus quibus præparatur Domini aduentus, Tullum: de pœnitentia conciones habuit perutiles ac frequentes. numerus auditorum in non magna vrbe senum millium. auditæ ab eo alteroque sacerdote in subsidium misso generales confessiones amplius octoginta: a Parochis non pauciores. æris alieni restitutiones multæ & grandes factæ. ad pudicitiam complures reductæ. abortiones impeditæ. aditi qui in nosocomio erant, adiutique liberali ope. Italus quidam miles contra sententiam medicorum perfanatus est (quod & futurum sacerdoti prænuntiatur) Eucharistia percepta. Canonici nonnulli cum Episcopo reconciliati. At socius concionatoris, super dies festos, ter hebdomada explanauit Catechismum. Hæc propter & alia a magistratu Cleroque bini separatim missi e viris primarijs, qui gratias agerent cum donis afferendis: quæ vbi respuuntur, vtrisque visum est dare operam vt Mussipontum non incomitati reuenterentur. Sed vt aliqua de scholis. auditores sexcenti. inter hos Dominus Henricus Cardinalis Vaudemontani (cuius æterna memoria) germanus frater: is non in disciplinam solum se dedit, sed etiam in cõuictum. Adolescentes quidam a solutiore vita ad emendatam traducti. Sollicitatus vnus ad flagitium, sollicitantem ad peccatorum omnium confessionem impulit.



ter septemdecim mensium depulit (de no-  
strorum consilio) sacro Christi corpore susce-  
pto. Verum hæc quæ sequuntur, miranda.  
Puer erat nobili magis pollens genere, quam  
domo opulenta: compingitur in aulam parē-  
tum iussu a Gymnasio abtractus: sed mobili-  
tate ingenii, cū recursaret desiderium vitæ  
prioris, statuit inter lixas calonesque versari  
potius in castris. iter ingresso atra viri facies  
occurrit in serica veste: qui interrogans cau-  
sam tristitiæ, pollicetur remedium. Verum,  
vbi ego te adiuuero, ecquid erit præmij? At  
puer. Ut totum (inquit) me excutias, ne terun-  
cium quidem reperias. subijcit alter. Da te  
mihi modo: nulla tibi, cupiditas frustra erit.  
existimauit puer se in seruitium expeti: postu-  
lat tempus deliberandi: ille contra, onerare  
promissis ingentibus, vt vel puero tanta iam  
vaniloquentia mira esset. suspectare cœpit, nū  
in figura hominis lateret cacodæmon. mox,  
cum tacitus totum eius corpus enteritur ocu-  
lis, sinistrum pedem animaduertit cum bifida  
ungula ac deformi: statim cohorrui, et (qui  
mos recte institutis in metu repentino) Iesum  
ingeminans Crucis signo armat frontem: eo-  
demque puncto sæua species euanuit. tertio  
post die ad suos reuertenti eadem imago se of-  
fert, & proditur pedis eadem nota. quærenti  
vtrū captū esset cōsiliū, respondit puer sibi  
domino opus non esse. rogatus quo iret, vrbē

nomi-

nominauit. tum dæmon ante eius pedes, cru-  
 menam iacit sonantem, in qua triginta qua-  
 dragintaue Flandrici nummi ( ex his reperti  
 postea inaurati duodecim, recent es dices  
 & asperos, veluti ab adulterantibus monetâ :  
 nam æreos fuisse ignis ostendit) tum puluerem  
 in linteo perniciousam tradit, cui cum que sub-  
 ita morte tollendo. addit consilia ad turpes li-  
 bidoines, & admonitâ, ab piacularis vsu aquæ,  
 & ab adoratione consecratæ hostiæ ( quam  
 contemptim plancentulam appellabat) absti-  
 nendi. eam blasphemiam, dum auersatur puer  
 animo pio, simulque veretur ne obtorto collo  
 stranguletur a monstro, salutarem Crucem  
 imprimit pectori, statimque magno impetu  
 allidit ad terram : nec nisi post semihoram  
 assurgit: mox matri redditus scholæque, & sa-  
 cra confessione expiatus, e laqueo venantium  
 metuque creptum se esse diuina ope gratula-  
 tur. Accipite alterum non absimile. Vna ha-  
 bitabant scholastici tres, inter duos ex illis ( vt  
 fit sæpe ) coorta altercatione, deuouet alter  
 immodicus ira dæmoni caput: intercedit ter-  
 tius: & rixæ sedantur. nec ita longa a diabolo  
 quies: promotâ nocte, is qui magis incaluerat  
 sibi diras imprecatus, atrociter exclamat vi-  
 deri sibi terribissimum Aethiopem horribili a-  
 spectu. cum admoneretur a socijs trepidanti-  
 bus, efformaret Crucem, negabat posse: quin  
 & crebris ictibus quasi a malleo dolebat obi-



tum caput, ad extremum surgit, aperta que  
 fenestra dedisset se ex ea precipitem, impel-  
 lente dæmone, nisi accurrentes alij attinuis-  
 sent, & crebris Iesu vocatibus diabolum fugaf-  
 sent. post hæc in preces nox reliqua exacta, ma-  
 ne aditus in templo sacerdos, & tranquillatus  
 animus patefacta conscientia. Ceterum quã-  
 quam armorum strepitus circum hæc urbem  
 perpetuus, non dilapsa schola, nisi ætate  
 adulta, cum Germanorum exercitus pene-  
 trans in Galliam vix duobus miliaribus abes-  
 set: quo tempore enituit adolescentuli virtus,  
 erat quodam in castello, quod oppugnatum,  
 ac sponte deditum pretio libertatis: sed cum  
 præter ius fasque contrucidantur milites in-  
 gressu, quasi oblata pulchra occasione pro Chri-  
 sto moriendi (vt nobis discedens erat pollici-  
 tus) Catholicum se esse proclamat, nec solum  
 in ea, sed pro ea etiam religione paratum oc-  
 cumbere. Incendit ea vox efferatos animos, &  
 per multa vulnera interfectus, in proximam  
 que ignem, veluti sacra quædam victima, con-  
 iectus est. Beata Virginis Sodalitium toto fe-  
 re anno centum habuit: nunc, quia nondum  
 omnes rediere, septuaginta eximia pietas sin-  
 gulorum, id ex vno intelligetur. Euocatus in  
 patriam ab hæretico parente extrema hebdo-  
 mada longi ieiunij, precibus primum blandi-  
 tijque ad vescendum carnibus impellitur: ne-  
 fas esse dicenti, parens, Et mihi quoque (in-  
 quit)

quit) animæ meæ cura est : an tu me sapien-  
tior ? ita ne pater filio contemnendus ? hæc e-  
gregia illa disciplina ? posthæc, a me ne tantu-  
lum quidem opis expecta. Ad hæc adolescens  
modeste (vt debuit) De um sibi parētis loco fu-  
turum. Vix manus continuit pater, interim il-  
le in oppidulum discessit, rei diuinæ audiendæ  
non longe distans : et patris ira mitigata est,  
factaque potestas & copia redeundi ad Gy-

mnasium. Ceterum res domestica cre-  
uit sacerdotio Amellino. benefi-

cium hoc quoque Gregorij  
Tertijdecimi, san-

cta memo-  
ria.

in Dolo, prius vnum de viginti, postea  
viginti octo. In Anicia, viginti, postea

octiduum, nunc viginti. In Probationis  
Domo primo anno viginti sex, secundo, duo-

decim. Exulit his duobus annis, quatuor  
excepit intrans vnde quatuordecim.

COLLEGIUM BILLOMENSE.

CAV. P. V. B. L. L. C. I. C. primariis que calant  
Crispianus creati defforum iudicia : it-

deus in v. de epaciones totis que multos in  
de continerunt aliquid hinc hinc : et vel

PRO-



PROVINCIA  
LUGDVNENSIS.



LVIT SEDIBVS nouem ,  
 priore anno, socios ducen-  
 tos viginti duos: ducentos  
 altero triginta tres. In Col-  
 legio Billomensi, priore an-  
 no, septemdecim, altero,  
 viginquattuor. In Turno-  
 nensi, vnde triginta, dein vigintiseptem. Vn-  
 dequadraginta in Lugdunensi, mox quadra-  
 ginta sex. In Auenionensi, vtroque anno fere  
 videnos binos. Videnos in Diuionensi. In Cam-  
 berienti, olim septemdecim, tum viginti duos.  
 In Dolano, prius vnum de triginta, posterius  
 triginta octo. In Aniciensi, viginti, postea,  
 octodecim, numero imminuto. In Probationis  
 Domo primo anno viginti sex, secundo, duo-  
 deviginti. Extulit his duobus annis, quattuor,  
 excepti intrantes vndequadraginta.

COLLEGIVM BILLOMENSE.

CVM PVBLICIS priuatisque calami-  
 tatibus creuit nostrorum industria: fre-  
 quentes in vrbe conciones forisque multos in  
 fide continuerunt alioqui fluctuantes: vt vel  
 ipsi iactitent hostes nō staturam fuisse in hac

Pro-

Prouincia Catholicam religionem, nisi Iesui-  
 tarum artes obstitissent. Instauratæ tum alijs  
 in templis, tum etiam in nostro, supplicatio-  
 nes coram sacrosancta Eucharistia, miro ordi-  
 ne supplicantium. conspecti maxime discipu-  
 li, nudis pedibus, apertoque capite, amicti  
 faccis, quorum vel horrerent membra cilicio,  
 vel terga flagris cruentarentur: insolens spe-  
 ctaculum. auxit admirationem, quod innutri-  
 ti delicijs cælum quãuis algidum aut pluuium  
 pertulerunt sine damno: pernoctarunt ijdem  
 in precationibus, cum hostis vrbi immineret.  
 neque ijs inuiderunt lintheatæ puellæ, ac nu-  
 dipedes, persæpe, licet sæua tempestate, a ma-  
 tribus deductæ. Tam creber porro sacròrum  
 mysteriorum vsus, vt perpetuum Pascha vide-  
 retur. Confessionum generalium numerum  
 inire promptum non sit: adducti nõ raro, præ-  
 cipui Catholicorum Duces, vt ad prælium  
 digredientes, siue regredientes a præliò do-  
 mum, perciperent Christi corpus, impetran-  
 dis ab eo viribus, aut gratijs agendis. illustris  
 Marchio Cauilliacus cum matre, sororibus,  
 totaq; familia, quinque leucarum itinere, huc  
 venit, vt octo circiter dies (nostro ductu) Chri-  
 stianis sacris operarentur. At Randani Comi-  
 tis Aruerniæ Gubernatoris præclara vox præ-  
 teriri non potest. is enim ab salutari commu-  
 nione, alta cogitatione defixus, aliquanto post  
 spatio, hæc effatus dicitur. Video super caput  
 Catho-



Catholicorum grande periculum: cerno animo immanem iactationem sanctissimæ religionis. sed solidam boni viri mentem nihil dimoueat. ego feliciter tecum agi existimabo, si animam hanc & sanguinem pro Christi fide profundam. oraculum fuit. sesquianno post in atroci pugna pro re Catholica, siue oppressus ab hostibus, siue desertus a suis, victor occubuit. Catechismi explicatio aliquādiu intermissa, repetita superiore anno in nostra æde magno concursu, fructuque. exercitationibus spiritualibus, quarum vsus nondum satis innotuit, excultus per aliquot hebdomadas sacerdos externus, ita vtiliter, vt illustri religionum familia, in qua versatur, vitæ degendæ ratione, in contemplatione rerum diuinarum, & castigatione corporis posita, sit pietatis exemplo. eisdem dedit operam, vt alios taceam, religiosissimus Abbas a sancto Martino Claromōtani Episcopi frater, tanto cum sensu voluptatis, vt grates agens de nunc accepto beneficio, conqueratur nō nihil de tam diu retento. scilicet vt benefacias amico, non expectanda occasio, sed quærenda, & occupanda est: et satagere præstat, quam cunctari, vbi nimia diligentia laudabilis non est, & si forte quid offendas, eius salutis amor sustinet culpam. plerumque piis consiliis nihil magis aduersum, quam inepta verecundia. Reuertor ad rem. Studia litterarum, circumstrepenti-

pentibus quamquam armis, numquam silue-  
 runt. Discipuli, nostri, & Societatis amantes,  
 quæ, ambientibus multis, paruit tantum, vno  
 anno, duobus: sed illorum e numero vnus,  
 grauem morbum suscepta cogitatione nostri  
 ordinis: febrem alter, peracta peccatorum  
 cõfessione depulisse se affirmant. ordinum por-  
 ro vrbis ea in nos benevolentia, vt publicis  
 Comitijs vtroque anno sexcenos aureos Col-  
 legio decrerint, amplo cum honore verbo-  
 rum. nobilitas æque affecta. Dux Namursen-  
 sium, cum hac lter haberet, vario ac multipli-  
 ci carmine salutatus a discipulis, suum erga  
 nos amorem in clarissimo cœtu testatus est  
 oratione plena humanitatis. Patri Rectori ex-  
 ponenti angustias Collegij, quicquid peteret,  
 nihil denegauit: chartam quinimmo puram  
 porrexit, subscribendam ijs condicionibus,  
 quas nostri postularent, eamque rem modera-  
 toribus reipublicæ mirifice commendauit.  
 fuit hoc non solum ad rem vtile, sed ad spe-  
 ciem illustre. Iam de Claromontani Antistitis,  
 optimique fratris eius, totiusque Randanzæ fa-  
 milix excellenti liberalitate, silere melius pu-  
 to, quam nihil dicere, cum Collegio nihil de-  
 esse patiantur. Aliqui e primoribus vrbis re-  
 conciliati nobis posteriore anno prudentia  
 Paris Rectoris. Auctum interea sacrum in-  
 strumentum, præsertim ope clarissimæ feminæ  
 Dominæ Randanzæ, quæ pari erga nos carita-

te cum



te cum Episcopo filio contendit. Alterius mulieris spectata pietas dono tabulæ, in qua religionis cymba cunctis circa eam flantibus ventis depicta, eleganti artificio. opus centum amplius aureis stetit. Alia mulier primaria, ex propinqua silua cædendæ comportandæque in Collegium materiæ quantum vellemus, potestatem fecit. Posteriore anno conciones habitæ quadraginta diebus ieiunij maximi in maiore templo, haud facile æstimes quam vtilis vulgo, & acceptæ. officia deserabantur: officinæ præter consuetudinem clauderentur: diceres totam ciuitatem inclusam in templum, vt paganis vndique circumfluentibus, arctante capacitatem ædis ciuium multitudine, non esset locus. His ad Dei gloriam & animarum salutem multa peracta. Tria circiter aureorum millia non satis bona fide quæ sita, veris dominis reddita. vt fenerandi voluntati nuntium remitterent adducti complures. Duæ concubinæ, quibus aliqui insueuerant, exturbatæ. mulierculæ aliæ a turpi quaestu ereptæ. nonnullarum periclitanti pudicitia consultum. Quidam virginis animum pecunia expugnat: opportunitas expectabatur: vterque audita concione immutatus saniora respexit. Quartum iam annum coniuges duo capitali inter se odio dissidentes, quamquam magna mole, ad concordiam reducti. compressæ etiam graues inimicitia paruritit-

turituræ alioqui varias cædes. Ceterum Pa-  
 ter Prouincialis, cum Collegium de more lu-  
 strat, augustissimæ Virginis Sodalitium insti-  
 tuit: vno mense numerati amplius sexaginta,  
 viri graues: nec discipuli pauciores: & secu-  
 ta in omnibus, lætante ciuitate, mirabilis mu-  
 tatio morum. Tam secundis rerum successi-  
 bus, cum sibi concionator non parcit, sub Pa-  
 schales ferias, ex labore incidit in morbum,  
 adeo sauum, vt non multum abesse a morte iu-  
 dicaretur: vim fregerunt ciuium preces, &  
 vota pro ipsius incolumitate suscepta. tantus  
 enim omnes inuaserat doloris sensus, vt om-  
 nium salutem in vnius capite agi putares. Ex-  
 cursum interim in varia loca, nec sine pericu-  
 lo, & cum aliquo rei Christianæ emolumento.  
 Vno in oppido, Namursensium Ducis virtute  
 ab hostibus reciperato, per multos dies pro  
 suggestu ciues edocti, qui ceciderant erecti,  
 & confirmati vacillantes. In alio, cum audi-  
 tum esset de nostrorum aduentu, ita se oppi-  
 dani compararunt, vt breui spatio sacerdos  
 quadraginta totius vitæ confessiones accepe-  
 rit: alibi fere ducentas. Hinc immane contra  
 nos odium perduellium, & sonoræ minæ: quæ  
 etsi interdum in rem adductæ, steterit citra pe-  
 riculum. Aliqua ponetur. Captus socius vnus  
 in itinere, in quem cum sclopum miles inten-  
 dit, prohibuit alter stricto ferro: dein perdu-  
 ctus in castrū, in quo militum dux, exceptus-  
 que



que effusa ad visendum turbæ sibilis probris-  
 que. dux autem cum perbenigne suo in cubi-  
 culo ea nocte habuit, ac summo mane incolumem dimisit. Dies sollemnis celebrabatur Virgini assumptæ, cum fratres duo e suburbana villa venientes in Collegium religionis ergo, non effugiunt oculos, & fere manus hostium insequentium. igitur correpunt in dumeta nõtuta fuga. odorati hoc venatici canes, omnia circum indagant, rimanturque, non tam prædandi spe, quam cupidine cædis: factumq., intercedete Deipara, cuius præsidium implorabāt, vt iamiamque detecti, comprehensisque, delitescerent tamen. Redibat e Congregatione Rector cum alio sacerdote & quibusdam mercatoribus, qui se comites adiunxerant: aduolant interea latrones pernicious equis, circumdatosque capiunt, & abducunt in saltus desertos, densisque obsitos virgultis, ania commeatibus loca, aptaque latrocinij. hic manere nostros, vti erant in equis, desilire mercatores & exonerare iumenta iubent: nec, quamquam lacrimantibus, parcunt, sed spoliant, vexantque: aspicientibus interea nostris imaginem mali, quod sibi timerent: aut subtrahentibus potius, præ miseratione oculos, & tacitis fletibus votisque implorātibus misericordix parentem. audita preces: duo latronum duces prædæ finem alijs imperant, & a nostris, vbi asseruarent mercatorum crumenas minaciter petunt:

petunt: nullæ erant: igitur iubentur descen-  
dere, & sarcinulas porrigere: in quibus curio-  
se scrutandis, cum aliud reperirent nihil, præ-  
ter agnos cereos, Rosaria, & id genus rerum  
piacularium, rapiunt partem: tum ad eos (il-  
lud scilicet expectantes, vt spoliati vincirentur)  
serena fronte, sermonem conuertere, lau-  
dare munia Societatis, ægre ferre, quod ira  
fors tulisset, vt cum mercatoribus caperetur:  
dein remiserunt intactos. actæ latronibus gra-  
tiæ, quod vitam dedissent, quibus scilicet non  
ademerant: sed ex animo Deo habitæ, aquo  
benignam mentem illi interea accepissent,  
genitrice deprecante.

## TVRNONENSE COLLEGIVM.

**E**CAPITIBVS quæ accepi, siue domi,  
siue foris gesta, hæc veluti selecta reddentur.  
De excursionibus primum: in quibus ob-  
tinent non vltimum locum pacati discordes.  
Quattuordecim annorum pertinaci odio, vi-  
ros inter duos splendore generis insignes, im-  
positus finis, consilio sapientiaque vnus e no-  
stris, quem quasi arbitrum delegerât. incidit  
idem in milites duos leuiore de causa feren-  
tes se in mutuâ cædem: ac primum dexteram  
expedientis scloperum inhibuit, tum cognita  
causa rixæ, nummulisque, quos pro viatico  
acceperat, vni datis, qui assueverat tantum



deberi sibi, alterum absoluit: extollentibus  
 factum, qui concurrerant ad spectaculum cer-  
 taminis. Vir nobilis graui iniuria ab hæretico  
 oneratus, calumnia nimirum, colapho, & inie-  
 ctione manus in barbam, in media hæretico-  
 rum vrbe, etsi se vlciscendi non deerat facul-  
 tas, nostrorum hortatu maluit sequi Christi  
 domini exemplum, pari pietate alter inimi-  
 co, falsam cuius propter criminationem gran-  
 di fuerat pecunia multatus, vt nostrorum ad-  
 monitu crimen retexuit, non veniam solum  
 dedit, sed impetrauit etiam a magistratu im-  
 punitatem delicti. Quin & inter matronas  
 duas femineæ iræ compressæ. Sed inter hæc re-  
 conciliati aliquot cum Deo, hæresi schisma-  
 teue deserto. Fuit hoc vtile ad nutantes ful-  
 ciendos, & ad reprimendam perditorum au-  
 daciam. Ceterum in his excursionibus con-  
 tigare aliqua scriptio non indigna. Attulit  
 vnus ad sacerdotem inuolucrum quoddam e  
 duplici bysso, rem sacram occultari affirmans,  
 quam foceri magno semper in pretio habi-  
 tam, supremis temporibus magnopere com-  
 mendassent: sibi quidem religioni fuisse inspi-  
 cere quid esset. tum vero euoluentibus, man-  
 dragoræ semihominis ridicula facies appa-  
 ruit: eam cum integumentis indignatus hæ-  
 res flamma absumpsit. Hac addendum, quod  
 cum vnus e nostris in pago docet elementa  
 Christianæ religionis, inuehiturque in veneci-  
 cia,

cia, & a dæmone superstitiosas hariolationes,  
 E circumfusa turba, puella quadam (energum-  
 enam esse constitit) frontem contrahere,  
 versare oculos, distorquere os, rotare crinem,  
 fridere dentibus, visa est. agnouit Catechi-  
 stes morbum, sed non ausus (quia sacerdos  
 non erat) adhibere remedium, solatium attu-  
 lit verborum, & Rosaria, sacrasque icunculas  
 puellari animo tranquillando. Eodem in pa-  
 go cœpit adolescens de Christi iugo cogita-  
 re, quod aperienti librum donatum a nostro,  
 ea primum occurrisset sententia, qua Chri-  
 stus amplissima se sequentibus præmia polli-  
 cetur. Hic rem quamdam, etsi nihil pertineat  
 ad nostros, quia interest non ignorari, propter  
 ipsius admirabilitatem, adiungam. Narravit  
 paganus Prætor, delatum ad se rusticorum  
 hominem, qui mala fide obtineret bona quæ-  
 dam a suis maioribus Ecclesiæ relicta: instigat  
 se dicebatur oblata pecunia alium ad inflam-  
 manda scripta, quibus euinci posset. igitur  
 (quod maximum est remedium expedienda-  
 rum litium, defectu probationum) decurritur  
 ad religionem iurisiurandi. admonet prius,  
 quanti sit Deum testem adhibere. dictorum fa-  
 ctorumque: quam peccet is, qui diuino numi-  
 ne abutatur ad firmandum mendacium. sed  
 quadam lucelli dulcedo obstruxerat aures:  
 non veritus est periurio polluere animam:  
 quod postea patuit. cum enim die proximo



Dominico, inire vult templum vt interfit rei diuinæ, sensit se vi quadam repelli: hæsit diu at tonitus, ac stupens: mox cum existimaret prohiberi fascino, circumit ædem, & nihilominus arcetur: cum altero dein die ac tertio, eodem modo idem frustra tentasset, sederetque ante limen, conscientia flagitij fixis in terram oculis, unus ex intimis. Quid hic tu Ioannes? (id rustico nomen) num mihi factus Hugonotus, qui rem sacram audire contempnas? Minime vero (inquit ille) sed quod verbis concepi perjurium, prohibet ingressu. Ergo ex eius confilio recta ad iudicem, aperit quo Deum scelere ad iracundiam prouocarit: neque abnuuit, quo minus sacerdotibus populoque rem totam exponat, vt affines culpæ ad confessionem impellat. ita patuit Ioanni introitus ad Ecclesiam, venia apud Deum inuenta. Mirum quo ardore animi, quoquo se contulerint, excipiantur nostri, qua alacritate audiantur: neque abest profectus. illis auctoribus sanantur vulnera, quæ imposuere dudum hostes veritatis: restitui cœpta multis in locis templa: Christianæ disciplinæ capita passim explicata: viri a fenore reuocati, mulieres a turpi quæstu: insigni cum fructu multorum confessiones audita: libri corrupendis apti moribus exusti: adiuti sacerdotes, instructique: Caluinum quondam secutos esse proditorem animarum ingemuere complures. Domi hæc ferme facta. E  
 nostris

nostris scholis adolescentes nonnulli Philosophiæ lauream adepti, in vicinis aliquot urbibus ita sapientiæ iuxta ac pietatis specimen dedere disputationibus publicis, ut cum sapientiam admirarentur omnes, pietatem Caluini vererentur. Ceterum, inter auditores primas tenent Partheniani: jifere septuaginta: conueniunt in sacellum ornatum proprio sumptu: in quibus cum multa admiratur ciuitas, tum maxime, ad anniuersarium Christi sepulcrum, immitem (ut muscat vulgus insolens spectaculi) susceptam corporis diuerberationem. Non ingratum sibi esse tot clientium studium patrona Virgo hoc argumento ostendit. Matrona parturiens tertium iam diem acerbis doloribus differebatur: nihil proficientibus remedijs, viro eius uenit in mentem, Dei matris paruulam effigiem, quam a nostris acceperat, admonere laboranti. res mira, simul contactum corpus, & partu solutum est. uagata tota vrbe miraculi fama exciuit certamen mulierum petentium subsidia partus. Puella recens nuptui collocata. post horarum trium irritam luctam cum horrendo spectro, sono vocis motuque corporis energumenam referebat: mox breui gestatione sacratæ agni imaginis, quam a nobis acceperat, est in pristinum restituta. E nostris discipulis quinque se cum Romana Ecclesia coniunxerunt. Unus (hæretico nempe patre natus) post pueritiam



ritiam Genevæ actam, difficiliore negotio: Caluini flexus omnes norat, & diuerticula: ubi captum putares, aliunde effugiebat: tandem cum resistere non posset, victum se quidem fatebatur, sed cogitanti diutius propter prauitatem consuetudinis, elabi omnem assentum: voluntatem esse cogendam: ad extremum manus dedit: in formula concipiendæ professionis, cum uenisset ad ultima sanctionis verba, Ego idem spondeo voueo ac iuro, ita, voce se implicante, agitari repente ac torqueri cepit, ut perinde quasi pœniteret pœnitentiæ, profusis lacrimis, progredi ultra non posset. sed hunc quoque scopulum, Deo annuente, superauit. Dolet nimirum communis hostis machinas nostrorum: sed & ipse, quibus nos cumque potest, artibus oppugnat. Nocte quadam sacerdotem unum excitauit a somno fragore ingenti, ad perterrefaciendum apto. at ille, cum in mentem redisset magni Antonij, nostrique Patris Ignatij, quos simili in periculo eadem dixisse cognouimus. Quin uos, inquit, infernæ bestię, si quam uobis in me potestatem permisit Deus, exercete, scilicet non repugno. Hæc uox a fidenti pectore profecta formidolosi strepitus exitus fuit. Sed & ego re uia addita hoc Collegium absoluam. Nouitius unus e nostris, uix expleto priorē anno tyrociniij, lenta laborans tabe, in patriam mittitur ualeitudini recipendæ. hic primo plus fuit ei certa  
 minis

minis cum domesticis, quam cum morbo. p̄an-  
 nosum habitum, & tegmen capitis indigne fe-  
 rebant. Atqui ego, dicebat ille mira pieta-  
 te adolescens, obsoletam hanc tunicam gale-  
 rumque tenuiculum, non permutem auro, pur-  
 paraque fulgenti. similis constantia in dolo-  
 ribus corporis: ad quam mensuris Sanctoꝝ  
 tutelarium schedulis, quas ad se mitti ualde  
 cupiebat (quasi Deo admonente) subinde fir-  
 mabatur. postrema hæc fuit. Siue uiuimus, siue  
 morimur, Domini sumus. Narrarunt mulie-  
 res duæ ægrotum procurantes, nocte, quæ vlti-  
 ma ei fuit, visam in cubiculo lætificam lucem  
 inusitati splendoris. paulopost pater ipsius  
 (neque enim patrius amor consistere mentē  
 patiebatur) accedit, moribundum reperit: ro-  
 gat, numquid velit. tum Iacobus (hoc nempe  
 Nouitio nomen) orat legi sibi clara voce, vt  
 audiat, horarias preces: quod dum religiose  
 exequitur parens, recitatque illa verba, Bea-  
 ti omnes qui confidunt in eo: excepit iucun-  
 de filius, eademque iterum ac tertio constan-  
 ti animo ac lingua repetentem, mortalis vi-  
 ta destituit. Ceterum accessit, superiore an-  
 no, ad facultates Collegij prædium suburba-  
 num, amœnum iuxta atque vtile, quod qui-  
 dam nobis moriens testamento reliquit.



## COLLEGIUM LVGDVNENSE.

IN EADEM facie periculorum, eadem  
 I cura placandi numinis, quæ alijs annis: nec  
 nobis tamen quæ olim scripsimus iteranda.  
 Priore anno Collegium auctum Theologiæ  
 schola, ac duobus magistris. patefacta arca  
 deiectis circū ædibus latiori templo extruen-  
 do. Primores patres conuenere ex Prouincia  
 ad legitimum cœtum: et aliqui eorum, per  
 medios licet hostes, personantibus auribus  
 conuiciorum iactu, et quod non leuius est, stre-  
 pitu scloporum, intacti. Petrus Pinacus huius  
 vrbs Archiepiscopus, indigno ereptus carce-  
 re cum huc redisset, inuisere nõ grauatus Col-  
 legium, mirum in modum delectatus est insi-  
 gni carminum varietate & elegantia, quæ ad-  
 uenienti parabantur. magna etiam Cõsulum,  
 vrbanoꝝque magistratuum, & sollempnis  
 totius populi beneuolentia. Marchio Sancti  
 Sorlini Namursensium Principis frater nemi-  
 ni cedit. Is desertoris Iuliani dignam perfidia  
 mortem spectauit, discipulis nostris agentibus,  
 admiratus ingenium poetæ. Idem, cum  
 esset in procinctu, non ex suis ædibus, sed e no-  
 stro templo, vbi perpurgatum animum munie-  
 rat sacro Christi corpore, ad pium bellum  
 perrexit. Sed et interea Gratianopolim (vrbs  
 est Galliæ Narbonensis) & in Matisconen-  
 sem

sem agrum e nostris aliqui, & alij alio ad fir-  
 mandos animos instruendosque profecti, cum  
 prauitate morum, cum peruerfitate fuperfti-  
 tionum, cum infidijs dæmonum, egregie pu-  
 guarunt. Iam p oſterioris anni acta, vt acce-  
 pi diſtinctius, paulo fuſius explicabuntur.  
 Tres e noſtris concionati vno anno Qua-  
 dragefima, potioribus in templis quattuor.  
 conſtabiliti labantes. maculoſa vitæ homines  
 confeſſione abſterſi. mulier hæreſi renuntia-  
 uit. ſuſpenſum duorum matrimonium coniu-  
 gum, intra cognationis gradum lege prohi-  
 tum, donec rite conuenirent venia a ſummo  
 Pontifice conceſſa. perſuaſum nonnullis, qui  
 egeſtate ſuadente vxores proſtituere conſti-  
 tuerant, ut malint quodcumque malum per-  
 peti, quam animam lædere. idem præſtitum  
 cum mulierculis duabus, quarum altera fatius  
 duxit vel mendicando eſurire, quam cum fla-  
 gitio alios paſcere. Audite nunc admirabilem  
 cuiuſdam infaniam, & miſerationem Dei. Mu-  
 lier tædio vitæ ad cupidinem mortis aduñcta,  
 in templo Euchariftiam percipit, certa que  
 exitij reuertitur domum: hic ſimulata impa-  
 tientia ſomni, abdit ſe in cubiculum: mox di-  
 greſſu amicorum familiariumque ſola cum eſ-  
 ſet, arreptum cultrum immergit in iugulam,  
 neque ante extrahit, quam conuerſa acie no-  
 uo loco ad vulnus reperto: cum interea nata-  
 ret lectus ſanguine, ipſa que anhelam vix tra-  
 heret



heret spiritum, famula ( vt patuit, diuino instinctu) verita ne male haberet domina, tacito irrepit ad eam ingressu : statimque ad horrendum spectaculum valde exclamans, exciuit domesticos. accersuntur medici, phisici, vulnerarij: premitur sanguis: obligantur vulnera: parantur fomenta. æstuans illa, & circumuoluens turbidos oculos, scitatur de chirurgo, ecqua sit spes valetudinis: addenti ( vt fit) animos, molli responso, sæuum infrendens. At ego ( inquit) hanc si tu mihi viam morris obstruxeris, aliam inueniam. solantibus interim amicis animi ægram, monentibusque vitam retinere, dum vocatur sacerdos, quasi iã cessisset furor, & moriendi voluntas, persuadet breue spatium concedant temporis quieti capiendæ. faceffunt cubiculo omnes, sublato quolibet noxio ferramento: vna dumtaxat ancilla in custodiam relicta: quæ etsi aliquamdiu periugil assedit, vbi eam existimauit dormire ( etenim vim præfens cura faciebat, neque repugnabat iners solitudo ) victa in verum somnum est, capite annuente. at serox altera, simulatione discussa, duos alios cultros expedit, incertum vbi, nisi forte interstrata, absconditos: eos dum mutuo asperat, acuitque, concurrentium afflictus mucronum non fefellit semisomnem: aduolat repente ad incautam, & repugnanti, conuocato aliorum auxilio, vtrumque de manibus extorquet. ex-

cruciatur hoc magis misera, propter odiū  
 lucis, & agitabatur miris terroribus iam die  
 inclinante. Audistis feminæ insaniam. Audite  
 Dei misericordiam. Forte illac præteribant  
 duo e nostris, introductique a familiaribus  
 cum didicissent ab ipsamet ærumnas vitæ, &  
 destinationem mortis, clementi oratione ad-  
 hibent remedia, quibus exulceratæ mentes ad  
 sanitatem reuocantur. cœpit mulier primū  
 mollescere: eius rei signum, quod præbebat  
 aures non inuitas, & dicentis dexteram arcte  
 tenebat: dein flexa, paulatim sedatiore men-  
 te: ad postremum passa est frangi pertinaciā  
 suam. agit grates de officio, teditum orat. re-  
 uertuntur postridie: at eam non amplius tæ-  
 det vitæ, sed pœnitet: expiat se salutari con-  
 fessione, parata in vtrumque (vtrum Deo col-  
 libuerit) seu viuere, siue mori. quod & his,  
 terue, religiose admodum postea præstitit. sic  
 animata cum esset, die quodam, multo mane,  
 interno spiritu afflata, pretiosiores sibi vestes  
 dari vehementer petit: induit: strato surgit:  
 mox proiecta ad Crucifixi imaginem, eam-  
 que suis circum complexa lacrimis, tamquā  
 e mortali corpore in immortalis Dei ample-  
 xus transituram animam efflauit. Renouata  
 Catechismi explanatio per quinque templa,  
 magna perinde auiditate discipulorum, & spe-  
 ctantium voluptate. Scholæ ac Partheniæ So-  
 dalitates nihil de pietate remittunt. Collegiū

Con-



Conuictorum nobile ac frequens. Itum in pagos natalitij Christi ferijs, Paschalibusq; magno lucro animarum. sublata peruetus idiotarum opinio aperuisse se peccata existimantium, si sollempnem generalis confessionis formulam executi essent pro foribus templi, vel ipsa etiam inter sacra, sacerdote præeunte. Vanæ aliquot, aut sacrilegæ superstitiones enulsæ. Disputatum publice priuatimque cum insipienti hæreticorum magistro, & abductis quamquam discipulis, recusauit dedoceri ipse: adeo non audax solum, sed etiam pertinax imperitia est. Viduæ duæ abductæ a fenerandi vsu. Concubina ab amici contubernio excusata. Exaudiebatur in oppido quodam nocturnus animæ error cum gemitu opem exposcentis: annuorum persoluatione censuum (qui iamdiu Ecclesiæ debebantur) & lustralis aquæ aspersione prohibitus est. In vrbe hæreseos labedudū infecta, a Ceneralibus commorati duo. (quorum alter sacerdos) vsque ad tertium mensem, multa exercuerunt reliqueruntque cinibus vtilia in posterum tempus. Viri ferme quadraginta manu asserti in Catholicam libertatem. Omnibus vitæ noxis soluti complures. excitatum sacellum satis amplum hortatu sacerdotis, post demolitionem nempe ab hæreticis omnium templorum, multitudini capiendæ. Post Pascha instituta scholæ doctrinæ Christianæ, allestante puero-  
rum

rum cantu, longoque ordine procedentium conspicua pompa. Excurrit idem vicina in oppida, experitus votis multorum, quibus audire illum & alloqui iucundissimum erat. excanduit improbitatis minister, nec ideo retinere potuit plebem, gustata suauitate veræ doctrinæ, ad meliora confluentem: suppeditas illi (quippe adductus misericordia) fere voluit medicus (nouerat enim plausum ingenij sui) sed vbi ventum est ad certamen, vix sustinuit primum impetum nostrorum: ita qui patrociniū alteri obtulit, defensore indigebat. igitur vt sutor ad crepidas, bonus medicus conuictus a nostris, irrisus a suis, ad ægrotos reuertit. Porro in discessu, tantum incessit populo desiderium, vt cum illud ferre non possent, lacrimando, & abeuntes ad aliquot milia passuum prosequendo, testarentur.

## COLLEGIVM AVENIONENSE.

**A**DESSE DEVM precibus pie supplicantium in hac tam atroci seditione Gallicani regni, qui ideo irascitur, vt parcat, tum multa docuere, tum hoc quod proxime subestam. Instituta erat, vt sæpe olim, nostrorum discipulorum (ij fere septingenti) celebri paratu, insignis pompa, ab æde nostra, ad maximam vrbis, vbi sedes Archiepiscopi, superiore anno, mense Ianuario adulto: nos ipsi deducere.



cebamus: sequebatur omnis ordo, & sexus: ita processimus ad primum aditum ac vestibulum ædis: quod ipsum, ut res tota intelligatur, breui descriptione adumbrandum est. In edito ac præcelso vrbis loco est ædes maxima: molli cliuo patet ascensus: ante eam æquata planicies magnæ multitudinis capax, manu atque opere facta: in crepidine murus extollitur modicæ altitudinis, ad securitatem prospectumque: infra, via publica despicitur ad pedes quinquaginta. Igitur, ut hic stetit supplicatio, ante sacrum limen late se explicant adolescentuli lunato flexu, nixi genibus, litanias modulate canentes, hoc agentibus, quinquennis puer, ætatis leuitate, podium (de quo diximus) ascendit, mox cum coniecisset oculos in subiecta loca, oborta credo vertigine, præcipitans cadit. exclamarunt omnes vno ore, qui aderant viderantque, Succurre cadenti Virgo Sanctissima. at eius pater (iuriconsultus est vir honoratus & probus) ut suspicabatur, ad filij cadaver accurrit: et erat omnium sermo esse mortuum: præter spem viuum reperit, sed ex casu, aut formidine, non compotem sui, adducit in proximam domum: & quoniam debilitata credidit membra, aut elapsa in prauum, in recenti adhuc iniuria (hoc enim medici iubebant properari remedium) in dissecti modo arietis calidam pellé quasi sopitum conijciunt. At puer, cum calor

reuo-

reuocasset spiritum, hoc primum (adeo igna-  
 xus erat transacti periculi, puerili virgarum  
 metu) Ne resciscat quæso, hoc mater mea: ne  
 vapulem. Tum ad patrem conuersus, stoma-  
 chari, & auersari tam fœdum lectum: ferre  
 non posse: nec vero sibi quicquam mali esse:  
 tandem summis precibus, vt eximatur, obti-  
 nuit. Tum medici, vt diligenter contrecta-  
 runt, æstimaruntque corpus: diuina ope sal-  
 uum esse pronuntiant. Hoc maior parentum  
 lætitia, quasi filius reuixisset: et par gratula-  
 tio vrbs: nec quisquam est, quin miraculum  
 prædicet. biduo post instaurari supplicatione  
 genitor orat, in qua ipse conspiciebatur puer  
 mirabunda ciuitate, accensam facem manu  
 prætendens, vt gratijs agendis se sisteret Sospi-  
 ti Virgini, cuius ope, bonis deprecantibus, re-  
 tinuerat vitam. Puerorum autem, qui ad nos  
 ventitant, mira indoles. Missus vnus a conta-  
 minatis parentibus vix dum decimum annum  
 egressus, sic constanter exiit vanos eorum sen-  
 sus, vt reuersus postea in patriam cum a ma-  
 tre ad concionem duceretur, & de ea sciscita-  
 tus audisset conuenticula esse hæreticorum,  
 de templi vestibulo pedem rettulerit, neque  
 vñquam se ingressurum contenderit, ipsa  
 quamquam minis ac promissis puerilem ani-  
 mum versante. igitur cum sola introisset, sub-  
 misit alios ætate illi & cognatione propin-  
 quos, qui tererent simul ludendo diem. At



pius puer, Ne calites (inquit) firint mihi vltimum esse cum hæreticis commercium. itaque & collusurum negavit. Alter ei fere æqualis, qui ex quadam familia solus ædem nostram frequentat, ijs repetendis quæ a concionatore audit, domesticos ad pietatem instituit. sororem vero a nimio luxu cultuque corporis, non verbis solum, eaque aspernantem, obiectis pœnis Inferorum, sed & muneribus, oblatisque duobus aureis nummis, quos ipse frenarum nomine acceperat, abducere tentavit. Confitentium in æde nostra ingens frequentia. Sacerdos vnus centum, alter quinquaginta audisse, vno anno, qui recolerent omnem vitam confitendo, testantur. Iam de alijs in eodem munere occupatis facilis est coniectura. Mulier maligno vexata spiritu, cui suaserat vnus e nostris vt conueniret sacerdotem (dato interea parentibus cælesti agno, quem ignara insuerunt in vestem) cum consilium obliuiscitur, aut differt, a quattuor quasi felibus per fenestram raptata est supra domesticum tectum: mox audiuit humana voce minantes præcipitium, nisi ceream imaginem abijceret, quam in veste habebat. Intellexit illa quid esset, & agnouit suasores mali. ergo magno animo negavit facturam, statimque conuersa ad preces, relicta est (vt eam inuenit maritus excitatus clamoribus) de tecto suspensa. Ex ijs qui celebrant apud nos sacrosancta myste-

mysteria, multi ambiunt societatem. interim  
 aliqui alijs religioforū ordinibus nomina de-  
 derunt. Ciuitas quædam, & oppidum præte-  
 rea ipsius diœceseos, vnius e nostris opera, cū  
 suo Episcopo reconciliata. Pax inter viros  
 magnæ auctoritatis composita. Instituta do-  
 mus alimentarijs puellis quæ sunt orbæ paru-  
 tibus: earum cura demandata matronis pri-  
 marijs ac Duumuitis octauo quoque die com-  
 municantibus. Anno posteriore, cum præsidia  
 ex Italia huc aduenissent, ac multa terris per-  
 pestus marique miles ægrotaret, nostri dum  
 operam dant confessioni immemores sui, in-  
 cidunt in morbum. Extinctus Pater Franci-  
 scus Gurmius Roma huc destinatus Collegii  
 Rector, excellenti vir demissione animi, &  
 ardore caritatis: comitem ei se addidit Pa-  
 ter Petrus Pegnetus vigesimum iam annum  
 in audiendis consentibus, quorum magnum  
 habebat numerum, admirandæ dexteritatis  
 ac patientiæ. alijs sacerdotibus duobus, votis  
 ciuium incolumitas reddita est, commodo ci-  
 uitatis. Quaternæ conciones in vrbe fuerunt  
 celebrioribus locis. In oppido Vasionensis  
 diœceseos per-anniuersarios dies ieiunii ver-  
 ni vnus concionatus. (ut mittam reliqua.)  
 plures ducentis aures præbuit exponentibus  
 quicquid se vniquam memineralit deliquisse.  
 Nec minus in aliud excurrere pretium fuit,  
 Domum reuerror. Visitata frequenter publi-



ca pauperum hospitia, ergastulaque cum fructu. vtilis opera morte multatis, & ægrotis impensa. Mulier malo dæmone vexata a deo, vt e viri ipsius manibus Iesu licet inelamantem extrahere sæpius conatus sit, effundendum criminum remedio curata est. eadem ratio sanandi viri infimæ sortis, quem vxor cum ad nos adduceret, mortem sibi nexu laquei comparare voluisse arguebat, quod de peccatorum venia desperaret. Mulieres aliquot a turpi consuetudine traductæ. Finis impositus discordijs multorum. Res domestica & sacra nonnihil auctæ. Classes duæ publicis sumptibus extractæ. Bibliotheca resecta. Domus, multis locis quibus vitium faciebat, instaurari cœpta.

#### COLLEGIUM CAMBRIENSE.

**R**APIOR breui narratione facti, quod possit esse instar multorum. Centurio alteri infensus eiusdem dignitatis, tollere eum de medio cogitabat, milite quodam numeratis iam quinquaginta aureis corrupto. sensit hoc agi Cambriensis ciuis, fortasse ex curiosa percontatione militis: consulit vnum de sacerdotibus nostris, de cuius consilio eum adit (in vestibulo templi opperiebatur designati ad eadem centurionis egressum) offert non exiguam pecuniam, vt desistat ab incepto: quin

quin & patefacto iam aditu vehementer ob-  
 iurgat. Quo enim bonum est patrare mortem  
 vnius, perpetuum tibi animi corporisque pe-  
 riculum parituram? & elabetur hic fortasse e  
 manibus re infecta, tu cogitati facinoris lues  
 pœnam. vera dicebantur. finit sibi discessum  
 persuaderi sicarius: et centurio seruatus est.  
 Compressæ quoque nostrorum ope multorum  
 inimicitia tumentes. Discordabant coniu-  
 ges duo vetere dissidio: sed vbi, nostrorum  
 hortatu, vouerunt pro concordia ceream fa-  
 cem sacrosanctæ Eucharistiæ, mutatis ani-  
 mis, facti mitiores. Simili voto desperatam a-  
 lij prolem sibi obtigisse testantur. Capita Chri-  
 stianæ legis in vrbe tribus templis explicari  
 cœpta. Discipulorum perinde in doctrina, vt  
 in pietate profectus. Sodalitium Parthenium  
 constitutum anno superiore. vtroque anno  
 Bacchanalibus data est species fabulæ, magno  
 peræque plausu spectatorum, & fructu. Libri  
 contaminati & turpes ad flammam oblati.  
 Aegroti vinctique persanati animis, & noxa-  
 rum nexu soluti. Illa præcipue opera in alieni-  
 genas collata, qui militabant. sed & adiu-  
 ti in lectulo morientes, & capitali supplicio af-  
 ficiendi. exitum sæpe ab vrbe magno bono  
 villarum pagorumque. de pijs discipulorum  
 supplicationibus, de flagellis corpori inflictis,  
 de quadragenarum horarum comprecationi-  
 bus crebris, deque aliis huiusmodi rebus, quæ



sollemnes fuere in singulis Collegijs Gal-  
liæ, illud tantum attingam, quod in Sena-  
tu dixit vir nobilis omnium assensu, hanc vr-  
bem in eo periculo, quod, volitante propius  
hoste victore, prope vltimum adiit, illorum  
pictate ac precibus videri stetitisse.

### DIVIONENSE COLLEGIVM.

**D**IVES materia. adeo abunde compen-  
sabitur inopia proximorum annualium,  
quibus nihil ( quæcumque ea causa fuerit )  
de hoc Collegio scriptum. sed nunc quoque  
cum modo, suspicionis vitandæ de industria  
quæsitæ vbertatis. In hac procella bellorum  
ac turbine, vastantibus rapientibusque vicina  
vrbi hostibus, in ijs angustijs Collegium erat,  
vt res familiaris non solum deesset ad neces-  
saria, sed fere nulla esset. Excitauit ea res  
(erat enim in oculis omnium) caritatem mul-  
torum. Comportata vltro menses ad plu-  
res frumentum vinumque: nobiles præterea  
matronæ aliquot, nobis nescientibus, inter  
se pactæ sunt, binas quot hebdomadis proui-  
suras Collegio opsonium, eadem ad singulas,  
post certum tempus, reditura vice. neque hoc  
biennio intermissum. ad vestitû aliquid aliun-  
de suppeditatum. Iam mense Octobri prioris  
anni, in publico conuentu Prouinciæ, sine va-  
riatione vlla, decretum est, vt aurei mille quin-  
genti,

genti, annua, bima, trima die nobis darentur :  
 dum tandem Gallia pacata fundetur Colle-  
 gium certo vectigali. super hac re Diuionen-  
 ses ad Pontificem maximum, & ad Henricum  
 Caetanum Cardinalem olim Legatum Galliz  
 daturi litteras, a nobis componi voluerunt.  
 Inter hæc fuimus utroque anno minimum vi-  
 centi. Aedibus iamdiu inchoatis summa ma-  
 nus imposita: ipsæque incolæ inceptæ. Quin &  
 sacra supellex, si tempora cõsideres, creuit nõ  
 mediocri auctu: calice inaurato, candelabris  
 geminis, Christi que e Cruce pendentis signo,  
 ac Virginis matris, e puro argëto. non paruum  
 per se munus, maius videri facit pietas do-  
 nantis: ea est virgo Deo addicta: quæ breues  
 diuitias sæculi contulit in numquam peritu-  
 ras opes omnium sæculorum. sed communis  
 omnium amor numquam æque intellectus,  
 quam posteriore anno, cum Patri Rectori al-  
 ternis exigenti horarias preces cum sacerdo-  
 te altero, violenti soporis specie, repentinus  
 quidam stupor animi & corporis supremum  
 prope exitium attulit. quattuor ipsas horas  
 iacuit cadaueri similis, nisi quod tenuis ad-  
 huc halitus errabat in corpore: cum interea  
 quicquid adhiberetur ad reuocandos spiri-  
 tus, frictionibus, scarificationibus, tortioni-  
 bus, nihil prodesset. At pij fere omnes, & mulie-  
 res paruulos trahentes filios, effunduntur in  
 preces, circum aras & templa, primores qui-



que in Collegio: in vnum versæ vniuersorum  
 curæ erant. Igitur (vt in re conclamata) quod  
 vnum supererat, placuit, alijs consumptis, vl-  
 timum adhibere remedium extremæ Vnctio-  
 nis: sed prius, an per speciem officij, & inter-  
 rogationem sollempnem, quæri ab ipso, num  
 sacro oleo inungi vellet. At ille, non sine ge-  
 mitu, quasi excitus altissimo somno, velle  
 respondit. addidit, toto eo tempore, quo eum  
 alienatum a mente fuisse dicebant, illud tan-  
 tum audisse. Vt inunctus est, redijt penitus ad  
 pristinos sensus. Mox rogatus ab adstantibus,  
 rumperet vocem cumulandis animis lætitiæ:  
 cum exultanti pectore insonuisset, Dominus  
 illuminatio mea, & salus mea: ingens cuncto-  
 rum gratulatio cum lacrimis exorta est, &  
 per multos postea dies gratis sermonibus re-  
 nouata. Nempe præter spem homini pæne  
 mortuo restitutionem valetudinis acceptam  
 votorum multitudini ferunt. Ergo, quo ma-  
 ior erga nos beneuolentia populi, acrior fuit  
 in eius vtilitatem diligentia nostrorum. Con-  
 ciones (hoc primum) in templo nostro num-  
 quam intermissæ: nam sesquimensis sollempnis  
 ieiunij ter hebdomadæ habitæ, cum in æde  
 maxima quotidianæ essent. hinc multorum  
 odia, & aliqua inter proximos (quæ fere fla-  
 grantissima esse solent) extincta. crebræ &  
 generales confessiones institutæ. degentibus  
 in nosocomijs, in custodijs publicis, ægrotan-  
 tibus

tibus in lecto, auxilio, consilio, solatio non defuimus. Communicantium tanta vis, ut dicitent foederati Catholici, hanc alteram esse causam, inter tot discrimina seruandæ vrbs: alteram enim assenerant esse sacrosanctam hostiam nobilem miraculo, quam Iudæorum uolauit perfidia, graphio duodecies impacto: manent adhuc cruda vestigia ictuum, & quasi recentia. Eam ab Eugenio Quarto donatam Philippo Burgundiorum Duci, Apostolicæ litteræ testantur: magnum, ut par est, in sacello regio cultum, & uenerationem habet. quamquam etiam sua laus erat suppliciorum, non horarum amplius numero, sed dierum præfinito: non iam binis, aut quaternis, sed senis, denis, ac vicenis, in horas singulas, ordine supplicantibus. et ductæ sæpius pompæ apparatusissimæ cum illustri cærimonia ad sacras aras, & templa. quo in utroque munere discipuli nostri (ij minimum sexcenti) sibi primas deposcebant: nisi (ut præmonui) quod usurpatum est his temporibus in vniuersa Gallia, subtiliter repetere in singulis Collegijs superuacuum esset. Augebant porro timorem ac religionem populi, prodigia quæ nuntiabantur. Narrabo vnum, quod in septo Cartusianorum vrbi proximo videre plurimi, nostrique: ut nullus sit, qui vnam speciem obiectam oculis putet. visa nimirum saxa, & herbarum folia, satis amplo spa-



tio roranti sanguine conuersa. Sed hoc capi-  
 ti hæreticorum. In magno quodam urbis tem-  
 plo, Catechismus tradi cœptus maximo cœ-  
 tu: non satis mirante ciuitate, sacerdotem,  
 quem aspectabant, cuius ob os concionantis  
 ora obuertebant, vix reddentibus vocem pue-  
 ris infantibus sic anide ac laboriose rudimen-  
 ta ingerentem Christianæ religionis. Antistes  
 Monasterii sancti Benigni Benedictinorum fa-  
 milia orauit nostros, vt eius Nouitiorum au-  
 diendis confessionibus operam darent. ita sin-  
 gulis mensibus ab vno audiuntur. Sed inter  
 hæc, quædam desiderant separatam narratio-  
 nem. Nobilis quædam matrona experts & ex-  
 pes prolis tertiumdecimum annum in matri-  
 monio agebat: hæc permissu viri, post perce-  
 ptam rite Eucharistiam, vouit nouem conse-  
 quentibus deinceps hebdomadis, adituram  
 singulis semel, Fontanum vicum, nobilitatum  
 ortu beati Bernardi, primo ab vrbe lapide:  
 vix septimum ierat eandem uiam, cum se, cõ-  
 cepto fetu, votî cõpotem esse animaduertit. ad  
 huius exêplum hæmorroicæ cuidam puellæ,  
 sanctæ Agathæ martyri nouemdiales preces  
 vouenti, nonus idem dies finem precatio-  
 num & principium valetudinis tulit. tam hæc,  
 quam illa, in nostro templo mysteria partici-  
 pant. Sed & patrona religiosorum Mater Vir-  
 go, virum quemdam in proposito religiosæ  
 vitæ vacillantem, ab eaque auxilium intentis  
 preci-

precibus expetentem firmanit hac ratione. per  
 quietem admonuit inspicere, quid apud se ha-  
 beret: hereticum habebat librum: quem simul  
 inflammavit, animi corporisque sopore dif-  
 cussio, stetit consilij certus, nulla in posterum  
 trepidatione. At debilis sexus interdum fortio-  
 rem vicit. Cilicio multæ atterunt corpus, aliæ  
 incinctæ ferro. Sunt quarum importunis flagi-  
 tationibus prohibere virginitatis votum reli-  
 gio erat. Non defuit, quæ ægra corpore cum  
 esset, antequam sumeret cibum, parentis con-  
 cessu, in templum purgandæ conscientiæ ve-  
 nit: redijt deinde, ac tum demum sumpto ci-  
 bo ægra esse desijt, patre mirante. et si sacræ  
 confessionis virtus in aliis quoque spectata  
 est. hac vir, qui deiectus de statu mentis: hac  
 puella, quæ ad consilium sibi necis afferendæ  
 a dæmone instincta: hac alia, quæ ad obligan-  
 dam fidem prostituendæ pudicitia cuiusdam  
 lenocinio adducta, ad sapientiora animum  
 adiecere. Vnum hoc in genere, quoniam per-  
 tinuit ad plures, proprium habebit locum.  
 Quamdam nocturni lemures domum infesta-  
 bant: medijs tenebris ingens audiebatur stre-  
 pitus cum horrore & quasi vexatæ supellec-  
 tilis: quies erat interdiu, noctes timebantur:  
 affirmabant domestici animam esse patris fa-  
 milias haud dudum defuncti. Igitur re ad sa-  
 cerdotem nostrum delata, auctor fuit cunctis  
 ex ea familia, vel a prima pueritia repetita  
 peccata



peccata confessione expiandi, totamque domum purgandi aqua lustrali, quod ubi factum est, pecunia quædam, a mortuo olim in fossa humo (ea litis erat seminarium) reperta pacavit animos litigantium, & domum nocturno terrore exoluit. Addam huc, propter aliquam similitudinem, mulierem diuturna iactatam feбри, multis remedijs frustra tentatis, cum, de sacerdotis consilio, potui admisceret piacularem aquam, nono die conualuisse. Porro, hoc etiam pertinet ad vim sacramenti penitentiæ, quod quidam abreptus astu morbi, quem sacerdotem ad se ingredientem maximum dæmonum appellarat, eum postea egressurum domo Angelum Dei dixit, etenim discesserat error mentis cum eiectione peccatorum. Sed ut vagam quasi orationem compellam in rectum, Duo sodalitia, priore anno, instituta: opificum, sacerdotumque: atque, ut de utroque seorsum, opificum initia (ut naturalis est hominum ad carpendum aliena facilitas) obrectatoribus non caruere. cessit tamen inuidia Virtuti: ac, veluti post tempestatem, confluentium numerus auctus: & gliscit paulatim eorum existimatio religionis: ut sæpe, qui re aliqua graui premuntur, eorū apud Deum precibus se subleuari postulent. mulier certe, quam, rei subreptæ desiderio, a sortilegis cōsulendis deterruit vnus e sodalibus, ubi se commendauit, paucis post diebus repperit

rit furtum. Mitto de ipsorum pietate dicere, de caritate in ægrotos, de afflictandi studio corporis, de ardore precandi, de incredibili aliquorum intelligentia rerum diuinarum, quas, etsi idiotæ, tam aptis aliquando illustrarunt similibus exemplisque, vt vix credi posset. diuersis temporibus duo a grassatoribus capti, ereptique Virginis Dei parentis ope, in hunc modum. Vnus iter faciens cum in eos incidisset, semel quamquam atque iterum disploso sclopo, percussus non est: ipse interea accelerans fugam, notum implorat patronæ auxilium: iam spatium corripuerat: at grassator, atrox iræ, citato equo in peditem fertur, mucrone districto: iam iamque proximus demersurus reducto gladio caput: cum loco & tempore Virgo affuit clienti, prolapsus repente equus sic equitem suo onere impedijt, vt se diu expedire non posset: inter hæc, salus quaesita fugienti. Captus alter ab hostibus, rapiebatur in eorum comitatu tamquam ad eadem: sic enim in Diuionenses expromebantur odia diu collecta: trahitur prima vespera in vicinum pagum: dum ij cœnant, luduntue militari lascinia, inuersum ipse dolium subire cogitur, quod lapide congesto onerant, circumdantque semusta palea, rimis hiantibus explendis: vt fere fumus suffocaret inclusum, additur post cœnam importuna saltatio: nempe, qua cum solo dolium coibat, situ inæquali, im-

mitti-



mittitur certatim cuspis gladiatorum, ad pedes petendos, quos ipse interim defendebat, vitandis ictibus, alternis extollens. neque alia tota nocte quies: vnum ei solatium opusque, Rosarij percursorio. Sed & vnum postea rettulit (ve secuta recordatio præteriti temporis non caret delectatione) quod non erit iniucundum attexere. scilicet in desperata penitus salute, hanc ei repetitam sæpius formulam precandi, quam in concionibus audierat (an quod sæpe metus obstupescit mentem) Domine si vis, potes me mundare. Hanc aptam existimabat esse orationem, & necessitati congruentem. Non vocem, sed voluntatem, Deus exaudiit. Vbi diluxit, eo inspectante contusi verberibus, qui simul fuerant comprehensi, vinculorum focii, & comites viæ: eximius ipse habitus, ac sine alio ludibrio pretiose libertati redditus est: nulla palam causa, nisi quod matri hunc honorem habuit Deus, ut audiret eius famulum in summis angustijs clamantem. Habuit pariter exoriens sacerdotum Sodalitium suos aduersarios: sed scabies tandem ac dulcedo maledicendi, ut alias sæpe, cum dolore deserbuit. Ex primarijs præterea ciuibus, anno priore, conuenere circiter uiginti, mutuo consensu ad pietatem affecti: ducem requisierunt vnum e nostris: perstant in eadem mente adeo, vt spes sit, in legitimæ Congregationis corpus aliquando coalituros. *Vetus discipulorum Sodalitas*

talitas, cuius appellatio a Virgine Assumpta,  
 antiquum obtinet. priore anno decem ex ijs  
 Societas nostra aucta: alios non cepere angu-  
 stia Nouitatus. mirus omnium amor castita-  
 tis. quidam semel atque iterum luras ab se ab-  
 egerunt lapidibus, furto inhiantes: vnam alij  
 impudentiorem, fretam opportunitate solitu-  
 dinis, non satis habuerunt excussisse: magistra-  
 tu coram accusant, curantque in carcerem  
 detrudendam: vnde deducta circum compita  
 ignominia nobili, simulque exulare iussa voce  
 praconis. Scholae omnino septem: neque in ijs  
 agnosceres damnum belli. sollempnes actio-  
 nes incitandis ingenijs nihil omisit. Iosephus,  
 praclarum non semel spectaculum praebuit:  
 primum venditus: paucis post mensibus,  
 eripiens se e flamma libidinis pallio relicto:  
 dein, fratribus, eiecisse iniuriae memoriam ex  
 animo, beneficiorum gratia ostendens. Hinc in  
 pluribus castimoniae amor, ac remissio offen-  
 sae. Dialogus porro non solum iucundus, sed  
 etiam utilis fuit, de disquisitione librorum. ex-  
 tructa pyramis praecelsa: eam scientiae arbor-  
 rem, e qua prima causa & origo mali, appelli-  
 tabant: iuxtaque carmina in eam sententiam  
 affixa: postremo emissus draco flammanti ore  
 in fauillam omnia redegit ac cinerem hor-  
 rifico strepitu: nimirum ex eo voluptas: vti-  
 litas autem, quod deinde tantus ad nos de-  
 latus est damnatorum librorum numerus, vt  
 alteri



alteri spectaculo materiem abunde suppeditent. Sunt et aliæ scholarum vtilitates. neque enim aliquibus visum est satis ab hæresi resipuisse; nisi etiam parentes ad sanitatem reuerterentur. multa per eos peccata impedita, expiata multa, dum quæ audiunt in scholis, domi narrant. Accipite de vno. Cum videret domi quosdam die sacro ad seruire opus se accingentes, vehementer obiurgauit. tum opperiri paulisper orat, dum consulit patrem: spernebantur scilicet pueritia, & admonitus: pater magnæ vir dignationis, negligere primum, ac silentio preses transmittere: tum instante puero religiosorum dierum et profanorum discriminata opera esse debere, ne contemnere penitus videretur, addit, in celebrioribus festis valere præceptum: at puer, si sacri sunt, eodem numero omnes censerit oportet: tandem impetrauit, vt parens in alium diem differri opus iuberet. Quamquam maiorum natu adolescentium, maioribus in rebus spectata pietas, & magnitudo animi est. cum enim sub Autumnales ferias tribus hostium milibus Diuionensem agrum ad quindecim dies depopulantibus, trepidaretur in vrbe, ac proditio metueretur, discipuli, quibus per ætatem licebat, in armis aduolarunt ad nos, & platea Collegij vndique obstructa, nocturnas vigilias nobiscum egerunt: aliqui etiam obieerunt mœnia ac stationes vrbis, ipsorum videli

Et custodum fide suspecta. Ter autem Deus,  
 manifesto signo, esse curæ sibi pueros, quos do-  
 cemus, ostendit. siue cum postis ligneus in adi-  
 tu ad scholarum impluuium, circum quem de-  
 fati multi, magno strepitu cadit: siue cum ex  
 noui ædificij fastigio capsam cæmentariam an-  
 te pedes delapsam prius conspexere, quam ef-  
 fugere possent, omnium metu, nullius offensa:  
 siue denique cum grandes vltimarum classi-  
 um cancelli improuiso motu concidentes, pe-  
 riculum verterunt in risum: quo tempore, in-  
 ter caua solidaque æqualibus spatijs attempe-  
 rato casu, intercepta sunt cauis capita aliquo-  
 rum, quasi ex compacto, solidis non incumben-  
 tibus. Hæc in vrbe. Quid foris? Egredi non tu-  
 tum, omnia circumfidente hoste, & sitiente  
 sanguinis Iesuitarum. Et patri quidem Re-  
 ctori proficiscenti ad Comitata positæ insidiae  
 euauerunt: At frater curator villæ captus,  
 et in munitam arcem abductus est: sed paucis  
 post diebus, Deo volente, remissus cum capti-  
 uis aliquot: quamquam sæuiens populus ad  
 supplicium deposceret. Alteri quiddam acci-  
 dit in experiendo graue, in narrando iucun-  
 dum. Ab equitibus in itinere exceptus est:  
 mox crebris interrogationibus in omnem par-  
 tem versatus, adductusque in opinionem exiti-  
 ij imminentis: tractus deinde in castellum, ac  
 post lautam mensem honorifice dimissus: animad-  
 uertit se, inter probra minasque, ludibrio ac



ioco, hominibus minime maleuolis, rimantibus interea eius timorem, fuisse. Sed inter hæc tamen ipsius constantia, & magnitudo animi enituit. Ceterum utroque anno (quamquam de posteriore accepi clarius) misit duo Decembri mense, et Quadragesima, Beluam: vrbs est octo milliaribus Gallicis Diuione distans: non sunt omnia dicenda. non de concionum celebritate. non de incessu supplicationum, in structuque, ut ad insolitum spectaculum populo confluente. his & talibus, improborum percussis animi, proborum erecti. Spectata adolescentuli conuersio. Natus & alitus in hæresi erat, frequentabat illius vrbs Collégium minime malum: audit de æqualibus particulam Christianæ doctrinæ: ij inter fuerant semel atque iterum, cum explicaretur a nostris in maximo templo: cum accederet & ipse, cupidine captus discendi, libellum obtinuit, & paucis diebus sic deuorauit, ut edisceret ad verbum: redit ad palæstram, petit fieri sibi potestatem aliquem prouocandi: inque ea disputatione se gerit adeo scienter, ut non tyronem, sed veteranum cuncti admirarentur. quæ ubi innotuere matri (neque enim desunt, qui captant gratiam male de alijs nuntiantes) furore percita redeuntem e templo asperè accipit, libellum, qui adhuc ei in manibus, ut abreptum in ignem iacit. sed gliscebat auctoritas Veritatis in adolescente: et est a nostro firmatus, ut diceret

diceret, malle se deserere a vita, quam deserere rectam fidem: obstinata mulier ubi nihil proficit, medicum adhibet depulsorem fortasse morborum, pestem sanarum mentium, seponitur apud virum specie medium, ut res ipsa docuit, corruptum inclusus apud hunc triduum fuit, ut nec pedem e limine efferret, non ut die Dominico rei diuinæ det operam: non ut intersit Catechismo. pendebat e collo cerea effigies cælestis agni: inuolat veneficus. Quid (inquit) hoc præstigiarum est? aut quos ad usus? respondit adolescentulus quod audierat, Aduersus insidias dæmonum, ac vim flammarum esse. At sceleratus, statim proiecta re sacra in ignem. Vide (ait) stulte, ut prohibere possit incendium, sed nihilominus puer ardebat: et hanc, aliasque omnes machinas apte elusit. Fit interea certior magistratus, citatur sequester, sistere iubetur adolescentulum, & accersitur mater in forum. ibi sic tractata causa est, ut cum puer profiteretur velle se deinceps in Catholicorum castris militare, coacta sit mater eum tradere erudiendum Catholico magistro: si quod ultra de religione verbum fecerit, graui multa indicta. ita factum, adolescentulus a nostro expiatus criminibus, particeps sanctorum mysteriorum fuit, anniuersario die Christi resurgentis: et suis fere omnibus condiscipulis præluet exemplo. Ceterum illis diebus innumeri confessi: vna in



parcecia communicarunt amplius quadrin-  
genti: vt de alijs coniectes. inductusque mos  
Eucharistiæ quot mensibus sumendæ. ieiunio-  
rum propria obseruatio restituta. curatum, vt  
tumultuarius olim nonnullorum ad Ecclesi-  
am reditus sollempni carimonia suppleretur.  
fanatica mulier cum absolute criminum sa-  
nitatem mentis recepit. Has ob res, vtilem no-  
strorum commorationem secutus est disces-  
sus acerbus: vt plerique spe præcisa Collegij,  
propter Diuionensis propinquitatem, susce-  
runt cogitationem constituendæ Probationis  
Domus. Eodem posteriore anno, duo alij fe-  
rijs Paschalibus alio in oppido fuere, iisdem la-  
boribus ac muneribus distenti: sed ea relinque-  
re cogitanda, aliquod compendium erit annu-  
lium, nullum dispendium rerum.

### COLLEGIVM DOLANVM.

**A**B EXCVRSIONIBVS ordiar anni  
posterioris ( etsi priori etiam suæ non de-  
fuere: sed eiusdem fere generis ) id exequenti  
erit facilius. Prima profectio, rogante Archie-  
piscopo, in quoddam oppidum fuit, quod fini-  
timos propter Basileenses hæreticos, Catholi-  
corum ope indigebat, hic inuenta tam rudis  
plebs Christiani ritus, vt edere signum crucis  
etiam edocta vix sciret. sed superata imperi-  
tia: et multi ad recensendas culpas annorum  
omnium

omnium adducti: effectumque, ut qui Archiepiscopi nomen ne æquis quidem auribus admittebant, nunc amplis laudibus attollant. Molestum id doctoribus iniquitatis, quorum vanitas inscitiaque a nostris reuicta. Fuit sacerdos alter per dies quadraginta ieiunij altero in oppido, audiendis confessionibus, plebeque erudienda, ita opera occupata, ut procurandi corporis vix tempus esset. In alio non paruo, & nobili (Graia cum ei nomen, munitum situ manuque: Arar prope ipsis affluit mœnibus) commorationis utilitas cum diuturnitate certauit. continuata nêpe Quadragesima cum sacro Aduentu. fructus præcipuus nobilium, qui frequentes non concionibus tantum, sed Catechismo. neque grauabatur Præfectus vrbis accedere, atque in ceterarum grege audire filias egregie disputantes. Adiuuit celebritatē honestissima femina Comes a Salanoua (Graia cum venerat auditum concionatorem, ut audiretur etiam ipsa) mira mulieris virtus: summa hieme, gelu aspero, nudatis pedibus supplicationes inibat: idem ut facerent filia tenella adhuc ætate, aliaque matronæ nobiles exemplum præbuit. Mirum de hac quæ scribantur, quam multis probarit se Dei ancillam. sed nostris annalibus attingenda externorum virtus, quatenus, aut per nostros, aut non sine nostris, enituerent ipsius signa. Et non nisi de rebus diuinis sermo: neglectus corporis cultus:



mēsa simplex, nec lauta: ieiunia crebra: neque voluntaria aberat flagellorū vsurpatione, aut cilij: manus numquā cessabat: aut in prece, aut in opere. admiratus esses matronæ copiose instructæ quam sorderet terra, ad cælū ire properanti. vix de hoc loqui poterat, quin vultus ipse & oculi desiderium loquentis arguerent. par fuit voluntati exitus. paucis post diebus sub Pascha, cum iam discessissent nostri, pie decessit. Eius soror nobilissima item mulier, per eadem graditur vestigia: tres habet filios in scholis nostris: nam maximus iuxta pietate vitæ & sanctitate mortis materteram secutus est. Redeo Graiacum. Cum pro suggestu noster admoneret mulieres, vt si possent, opem aliquam in pauperum domum vbi Christus habitat, conferrent: persuasit. Partitæ inter se dies matronæ nobiles, quas inter Comes a Salanoua (de qua modo diximus) principem obtinebat locum, quæsitissimas epulas in nosocomium attulerunt, vasis aureis atque argenteis: sic vt ipsæ ministrarent ad mensas. Hoc in munere vicem suam sibi depoposcit Dominus a Theurese vrbis arcisque Dux, qui ex Anglia profugus hic tutam sibi exilij sedem collocauit. Alij de concionibus fructus, etsi non adscribantur, intelligi debent. Vir nobilis pellicem vt exigeret matrem sibi aliquot liberorum adductus: eo difficiliore negotio, quo post discussas rationes, consilio magis firmo.

idem

idem cum altero præstitum. Sed et conciliata pax Ecelesiasticorum inter caput & magistratum publicum, omnino necessaria. Reliqua huius excursionis persequi non est opus. In alio oppido Cœnobium virginum excultum octiduanis cohortationibus, non vulgari fructu. Neque neglectus pagus vectigalis noster: sanctiore hebdomada instructus auditusque. reconciliati quidam cōiunctione sanguinis propinqui. Vnus præterea, eo ipso die, quo vnus ab inimico acceperat, fecit pacem. Pōstrema Misio extremo Decembri in quoddam oppidum: vnde eijciendæ inueteratæ superstitioni non improspere laboratum. Per natalicias ferias (diem proprium non accepti) sollempne erat tuceta farcinaque, cum bellarijs ac tragematis varij generis, ac super hæc vinum generosum, certum in locum templi conferre: hanc totam veluti collectam, vocabant De fructu. scilicet in vespertinis precibus, alternis choro modulante, cum ventum esset ad uersum psalmi, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: diribebantur edulia diripiebanturue (vt fit in turba) non sine clamoribus, & rixa. Hoc præclarum inuentum, ne rerum inopia aut auaritia hominum dilaberetur, maiores cauerant præfinito annuo censu, leuis res, & veluti ludicra, ingentium periculorum causa ac vitiorum materia erat. temulentia, laciuiia, cantus,



quæque alia saturitas crepat: species quædam  
 Bacchanalium: restem in hac chorea sacer-  
 dos strepente circum procaci choro ductabat,  
 hinc vulgi excusatio, siue exemplum. Hæc  
 cum ita essent, non visum est nostro rem in-  
 sectari publice, respectu sacerdotum, cum Pa-  
 rocho seorsum grauiter agit: violationem  
 sacrorum ante oculos ponit, vinolentiæ ma-  
 lum, & illecebram peccandi: dari sermonem  
 maluolis: & irritui esse: ipsum vero inuigila-  
 re debere commisso gregi, tamquam ratio-  
 nem redditurum, probata ea sunt, quia vera  
 ferebantur, pollicitus est Parochus suo muni-  
 ri non defuturum. Postridie, ante initium pre-  
 cum, e superiore loco plebem monet, finem  
 iam faciat in templo bacchandi: inanem esse  
 superstitionem: & quia non sine noxa anima-  
 rum, non carete Dei offensa, meminerint se  
 Christianos esse: insanam hanc consuetudi-  
 nem redolere multum Ethnici ritus: in peius  
 cuncta interpretari hæreticos, qui nos obser-  
 uant: quanto magis iusta occasione calumni-  
 andi? At imperitum vulgus, & iam imminens  
 in vinû, ac dulciaria, continuo exclamat. Quæ  
 istæc noua religio est? vnde iste scrupulus fru-  
 stra iniectus? scilicet nos sapientiores patri-  
 bus nostris, qui hoc statuerunt probaruntque.  
 quod si vetera instituta conuellere aggredi-  
 mur, omnia paulatim ruent. Tum Curio, Pro-  
 mea (inquit) auctoritate occludam fores, ne  
 vestra

vestra deliramenta inferantur. Non susti-  
 nuit has voces concitatus populi furor: acce-  
 dit propius deturbaturus reclamantem e fug-  
 gestu. volat interim per oppidum fama, imma-  
 ne quantum turbari in templo: plures conuo-  
 lant, atque inter hos Prætor: is cum videret  
 quanto in periculo esset sacerdos, ac se mediū  
 infert, rejicitur ab iratis, rem suam agat, Ec-  
 clesiasticum hoc negotium esse. at Prætor vio-  
 latum esse diem locumque eo tumultu: pro-  
 pterea pœnam daturus: et nihilominus Paro-  
 cho obtemperandum esse. in tanto impetu ac  
 rumore dissono, verba iaciebantur. interea,  
 alibi noster confitentibus operam dabat. ad-  
 monetur oppidum prope spectare ad seditio-  
 nem in sacra æde, ni occurrat. aduolat su-  
 bito. tum vt eius præsentia aspectuque animi  
 conquierunt, nescio similis quæ motus causa  
 esset, Parochum admonet preces inchoet. ip-  
 se interim genua figit in terram, attenteque  
 veneratus numen exurgit, manuque proten-  
 ta, & elata uoce, audientiam sibi facit. profert  
 biblia, & ex ijs sancti Pauli illa ad Corinthios.  
 Numquid domos non habetis ad manducan-  
 dum & bibendum? et cum plura in eam sen-  
 tentiam apte differuisset, Deo addiuuante sic  
 permouit omnes, vt non delibatis licet. epulis  
 quæ iam apparatus erant, æqui tamen plac-  
 tique discederent. verum, ne alijs annis reui-  
 resceret cupiditas vulgi ad renouandam con-



fuetudinem, Archiepiscopus, suggerente Pa-  
 rocho, condemnauit morem sua auctoritate,  
 abrogauitque: contradicturos anstrosue fa-  
 cris interdixit: certumque præfecit hominē,  
 si qui cœtus ea super re agitentur, mature  
 desolueudis. Neque illud omittendum, habi-  
 tam ab vno e nostris in Vesuntina synodo ora-  
 tionem celeberrimo doctorum cœtu, editam-  
 que permissu Patris Rectoris, rogatu sacro-  
 rum Antistitis, qui nos vniçe amat. Sed nos a  
 peregrinationibus, & anno posteriore, ad prio-  
 rem annum urbemque reuertamur. Eo anno  
 decies mille diuinum epulum participarunt.  
 mirum in sacelli angustijs, cuius ruina time-  
 batur sparsa rumore. hoc Dolani magis ex-  
 tractionem templi cogitarunt, Patris nostri  
 Generalis concessu, simulque suppeditare ne-  
 cessaria cœperunt: quam prolixè ac liberali-  
 ter, id faciant, ex eo colliges, quod paucis nar-  
 rabo. Multi multa pro suis quisque faculta-  
 tibus offerebant: at proba quædam puella ora-  
 uit matrem conferret aliquid in commune,  
 rei tam vtili perficiendæ: dat illa aureum vnū:  
 neganti satis esse, atque amplius requirenti,  
 mater non tam parca, quam tenuis, Quicquid  
 insuper damus, detrahetur de cibo tuo: erit  
 enim tibi deinceps pane simplici vita tole-  
 randa. excipit virgo, Immo aquam adde, hoc  
 toto anno, dum augeatur numerus doni. ac  
 ne multis, vnum deinde extorquens, atque  
 vult

item vnum, eo perduxit parentem pijs precibus blandisque, vt sponderet daturam aureos quinque: quibus oblati angusta admodum in re familiari multorum videtur vicisse opulentorum munificentiam. Senatus quidem ipse contulit de publico aureos mille ducentos. Ergo vbi aliqua summa auri collecta, festo beati Donyfij die, qui primus Christianam religionem in Galliam inuexit, Episcopus, qui in hac vrbe Archiepiscopi vicem gerit, precatus Deum, vti cœpta prosperaret, sedemque suam pietate hominum inchoatam diuina ope attolleret, consecratum rite primum lapidem in fundamenta iacit, ingeniti studio populi, concursuque, addidit quædam de Societate, que satis sit socios cum rubore audisse, qui aderant: ne nostras ipsi laudes videamur agnoscere repetendo. Igitur odum extrahitur templi, vti in modico sacello. Scholæ suam quoque cursum tenent: additum priore anno tertium curriculum Philosophiæ, altero Theologiæ professor Academia publicæ vrbis, ipsius rogatu discipuli fere se pingenti: viginti in his, e diuersis ordinibus religiosorum: Franciscanis quidem, quo facilius ventitent, domesticos sumptus sponte obtulerunt primores vrbis. Congregatio Parthenia duplex. Atque vt de pietate aliquid dicamus, adolescens puella improbitatem sapienter coercuit, ægrotus alter, cum



a præceptore monitus vouet pro valetudine  
 ingressum in Congregationem, reualuit: sed  
 & alius, desperata valetudine, conclamatus  
 fere iacebat: orat præceptor, qui eum inuise-  
 rat, in sculum accipiat de eius manu: noluit  
 is se orari frustra: accipit vim faciens sibi:  
 post paulo, quasi excitus somno, ad se, ac dein-  
 ceptus ad pristinam valetudinem, redit, medi-  
 co obedientiæ virtutem extollente, quam in  
 nostris curandis interdum esset expertus. Ex  
 hac institutione adolescentium, duodecimin-  
 ti, prioris anno, inter Capuccinos adscripti.  
 Reddam nunc pauca, quæ in posteriore, pie-  
 tatis exempla. Iactabatur puer febris per  
 aliquot menses, quæ ei videbatur mortem  
 allatura: venit in mentem votum dicandi  
 se Misericordiæ Matri in eius Sodalitio, id-  
 que die ipso nuntiati auctoris nostræ salu-  
 tis: statimque mortis periculo, & continuatio-  
 ne febris liberatus est. neque Dei genitricis  
 beneficium tacitum continebant parentes. in  
 quartanam cum conuersa esset vis morbi, re-  
 currente die sacro inuisenti virgini Elisabe-  
 tham, placuit matri, memori eius quod ter-  
 tio ante mense euenisset, puerum adducere in  
 nostrum sacellum confessioni faciendæ: fecit:  
 sanatus reuertit. remanserant tamen puero  
 vires ita attenuatæ, vt se mouere vix posset:  
 reliquæ morbi: cogitauit religiosa mulier,  
 perfectricem eam fore mirandi operis, quæ  
 fuerat

fuerat inceprix: ad Montem Rolandini (nomen est templi, vbi multa miracula, propter mœnia vrbs) adducendū statuit. igitur equo vectus, ipsamque ingressus adem scipione vtrimque innixus: audito sacro (mira res, sed vſitata benignitatis parenti) relictis scipionibus, vt monumentum eſſent beneficij, neque equum vltra requirens, ſuis pedibus redijt domum, ciuitate, cum diuinis laudibus, ad ſpectaculum accurrente. Nō minus mirum quod ſequitur. Viro cuidam pio erat filius diſſimilis patri: etſi enim ventitaret ad noſtras ſcholas, tamen difficile erat vincere naturam. cum humana remedia irrita eſſent, vt diuinum experiretur, parenti ſedit: ſanctè expiatus, percepta quoque Euchariftia, rem multis precibus Deo commendat. auditus eſt. eo ipſo die, puer Chriſtum Dominum videre viſus increpantem, ac ni patri ſtatim pareat mutata viuendi ratione, atrocia munitantem: illicoque correptus eſt grauiſſima febrī, quæ annum durauit. ea vtcumque releuatus, cum Dolam et litterarum ſtudia repetiſſet oblitus Dei minarum, neſcio quo modo, a Congregationis Præſte oratus eſt, vt exſcriberet ſodalium nomina, non ſine diuino nutu, cum ipſe e delecto numero non eſſet. hoc dum facit attente (audite miraculum, quod noſtri audiſſe ſe de eodē puero affirmate perſcribunt) offert ſe ei ſpectandam beatiffima Virgo. Hoc age (inquit)

rem



rem mihi gratam facis : nec ego vsquam tibi  
 abero . Hoc viso territus , lætatusque , auide  
 adscribi in Sodalitium petit , nec nisi post lon-  
 gam probationem admissus , non vanam fuisse  
 obiectam speciem , vocemque , rebus ostendit .  
 Ac ne semper læta . Adolecens e sodalium cœ-  
 tu erat vnicus viduæ , præstanti ingenio : cum  
 mater Societati addixerat non repugnantem :  
 iam lauream Philosophiæ adeptus propera-  
 bat ingressum : is dum differtur , moræ impa-  
 tiens , aut indignans , freto adolescentiæ se abri-  
 pi finit , ingenti mærore parentis , metuq . : iam-  
 que excussa e pectore cogitatione Societatis ,  
 profectionem in Italiam parat ( sepulcrum  
 illud iuuenum alienigenarum , qui custode re-  
 moto egressi ætatis terminos , & voluptates  
 concessas , nesciunt imperare cupiditatibus )  
 dissuadebatur discessus a matre , nostrisque , la-  
 bore irrito . ceterum Societatis incundæ cura  
 aut tenuis , aut nulla . Iam comparauerat iti-  
 neri vestem , ac nummos : iam equum delege-  
 rat : huius autem , dum ( vt fit ) experiundi cu-  
 ra modum transit iuuenili exercitatione ( an  
 defatigatione nimia : an potius ita visum Deo )  
 morbum contraxit , e quo viuis non assurre-  
 xit : ægrõtante corpore animus valentior : ita  
 erratum agnoscebat suum , deslebatque : nec  
 aliam ob causam ei mors acerba , quam quod  
 Societatis prohiberet ingressum . inter multa ,  
 quæ dolenter ac pie dixit , Iusta iudicia tua  
 Domi-

Domine, Hæc nouissima verba morientis fue-  
 re. Ex hoc periculum fecere alij, quod ipsis  
 ex vsu foret. Iam de discipulorum diligentia,  
 præter communia, hæc habe. Priore anno dra-  
 ma datum, ab littera Pythagorica sumpto ar-  
 gumento. Altero, alterum non valde absimi-  
 le, de duobus adolescentibus a beato Euange-  
 lista Ioanne in via Virtutis, ad quam adduxe-  
 rat, retentis. Ea res accommoda ad aliquos  
 confirmandos visa, iam petitionem religioso-  
 rum cœtuum quos prensabant, leuitate huma-  
 ni ingenij abijcere meditantes. Hic quiddam  
 accidit, siue commendandæ diuinæ providen-  
 tiæ, siue pietati eorum, qui partes aliquas a-  
 gunt in eiusmodi veluti fabulis, excitandæ. Tan-  
 ta vis mortalium confluxerat studio visendi,  
 vt & cortinæ theatri superfunderentur, nobis  
 inuitis: et causa apparuit: ipso exodio actio-  
 nis, cum tribuenda erant præmia, trabs, qua  
 cortina nitebatur, in duas partes discessit, ca-  
 densque secum traxit quæ imposita erant, ter-  
 rore multorum, nullius, ne tenui quidem dam-  
 no. nostri enim prouiderant casum: & in tu-  
 tum adolescentes secesserant iussi: vnus tan-  
 tum puer percussus leuiter in fronte. animad-  
 uersum a reliquis illud non immerito ei conti-  
 gisse, quod solus ipse præuiam contempserat,  
 & recepta iam consuetudine illis qui talia a-  
 gunt sollemnem criminum confessionem. in  
 hoc tumultu ac trepidatione, vt omnes saluos  
 esse



esse constitit, audita est viri vox omnibus præditi ornamentis, hunc digitum Dei esse, omnesque adolescentulos, per quos mors transferat sine noxa, reuixisse prædicantis. Ceterum, quo die prælatum est per urbem augustissimum Christi corpus insigni carmonia, tam multis & elegantibus argumentis ingenij variarum linguarum scriptionumque exornarunt discipuli certum locum, qui procedentium agminibus patebat, ut omnes mirarentur, & ægre ferrent, ut in transitu, non posse diutius spectaculo frui: itaque sequenti die Dominico fuit eadem species reponenda. Quas ob res, si umquam alias, mira erga nos civium benevolentia. Quidam liberioris vitæ, idemque petulantioris aduersum nos linguæ, a senatoribus in conuentu publice castigatus, admonitusque est eam rem Senatui non placere: nec verbis modo se benenolos præbent, sed & rebus benignos. Non sunt omnia facta dictaque litteris persequenda. Excipiam vnum, alterumque, prout in magna copia occurrit. In extruptione templi, quo compendium aliquod quareretur sumptus, calcaria fornax domi fiebat: nocte quadam, nobis dormientibus, extinctum male fideliter reluxit calcis incendium: et correptis proximis tabulatis minaci fronte sauebat: cum excita vicina mulier cuiusdam voce, non ignara periculi familiam totam eo mittit: & quoniam aqua non erat ad  
manum

manum, vinum efferi iubet ad obruendum  
 ignem: quo studio, vetera erga nos, & recen-  
 tia, quibus numquam defatigatur eius animus  
 iniunctus, beneficia cumulauit. Sequitur quid-  
 dam, ex quo agnoscat is virtutem iuuenis no-  
 bis additi. Dederat nobis operam adolescens  
 aduena, cum raris dotibus animi, tum in Mu-  
 fica arte, qua saepe celebrabat nostrum sacel-  
 lum, maxime excellens: in amore erat ac deli-  
 cijs totius ciuitatis. Vere dictum, Minoribus  
 esse maiorem amulandi curam. Iuuenis vrba-  
 nus amplissima familia tumens, cum praeter illo  
 intelligeret se parui esse, quoniam virtutem  
 eius imitari non poterat, contra vitam insi-  
 dias ponit: spem impunitatis nimirum ex eo  
 praecipiebat, quod esset ipse factiosus ac po-  
 tens: ille hospes ac peregrinus, igitur saepe  
 eadem frustra conatus, tandem nec cogitantem  
 vulnerare adortus a tergo in magna hominum  
 turba: & quo citius rem transigeret, petebat  
 caput: duos priores ictus fastigiatus pileus su-  
 stinuit: tertius in maxillam liberali plaga de-  
 scendit. tum faucibus, reprimam delata ad  
 magistratum, vulnerarios adit: nemo audeat  
 obligare maxillam, adhibere medicamenta,  
 ne apud vulneratorem offendant, cuius cog-  
 nita audacia: donec e nostris vnus iacentem,  
 suoque volutatum in sanguine offendit: statim  
 medicum, quo utimur, accersit: is sanguinem  
 premit, et imponit fomenta vulnere: dila-



ta mors videbatur tantum ad paucos dies,  
 biduo post alius cum moribundum convenis-  
 set, interfectori suo necne ignoscat, interro-  
 gat. At ille, Duodecim (inquit) anni sunt, cum  
 formatus a vestra Societate didici inimicos  
 diligendos esse, eisque acerbissimam quam-  
 que condonandam iniuriam, Deo docete. pro-  
 inde hanc totam rem Patris Rectoris voluta-  
 ti fideique permitto: eum solum in externis  
 regionibus parentem agnosco. Ego quidem  
 non a quo tantum animo, sed & libenti igno-  
 scere paratus sum. Respexisse videtur Deus  
 Christianam pietatem, valetudinem restituit,  
 quamuis medico desperate, nec vlla vniquam  
 (et si magis valeret scientia armorum, quam  
 ille alter) destinatio vindictae: quin & reppulit  
 aliquos, qui se ultores offerebant. maior diffi-  
 cultas placandi eum, qui homicidium cogita-  
 rat: ut saepe, in eiusmodi negotio, alios: an  
 quia laesi semper tamquam exprobratores a-  
 spiciuntur: an quia conscientia metuit, quod  
 meretur, tandem vnus, ut non recusaret pa-  
 cem, extorsit. dicitur dies locusque venit in  
 sacellum: existimabat laesus affuturum cum  
 qui laesi vultu ac sermone culpam fatente: et  
 quidam persuaserant. res aliter cecidit, cre-  
 nim percussor, spiritu, opinor, ex ipso scelere  
 concepto, an ne diffidere videretur. Audio,  
 inquit a te expeti benevolentiam meam. Haz-  
 sit noster animo nobilior, quam genere, ad al-

terius insolentiã, dein cogitatione Christiani officij. Ita est, respondit: expeto, vt cū maxime simul iuit in eius amplexū. Aliquot post diebus alter conscientia monitus, siue vt ostenderet optima fide redisse in amicitiam, inuitat ad prælium: at is, rétinentibus licet amicis, quod apud perfidum vim apertam metuerent, aut venenum occultum, magno animo eundem censuit, Ego, inquit, quicquid ex eo sequatur, me non simulate in gratiam reuertisse, vel capitis periculo, testabor. mirum hac pulchritudine Christianæ nobilitatis quantum sibj amorem apud omnes auxerit conciliarique. et dicebant ciues, agnoscere se, quid esset vti familiaritate Iesuitarū. nam ex hoc, quod subijcitur, aiebant intellexisse, quæ eorundem esset in agendo prudentia. Detinebatur grassator in carcere truci aspectu, fama que multorum scelerum, et (quo magis doleas) sacerdos, capitali supplicio damnandus: ad eum nostri eundo sapius redeundoque, Dei permisso adeo profecerunt, vt mortem æquo animo subitum polliceretur. nec vanum promissum. multos dies precationibus dedit: die vltimo totam vitam descendis aperiendisque sacerdoti criminibus accurate retexuit. vt intrantem vidit scribam cum carnifice in carcerem, nihil commotus est: vt verba audire, quibus exauctorabatur sacerdotio, Sicut, ait, Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini



ni benedictum. rapitur ad supplicium constan-  
 ti vultu. eadem ratione necessitatem mortis,  
 cum recitaretur, excepit. tum conuersus ad  
 circumstantem multitudinem, sermonem ha-  
 buit plenum Christiani, & magnanimi sensus,  
 vt nemo a lacrimis temperaret. dein uertens  
 se ad municipes aliquot suos, quos agnosce-  
 bat in turba, orare institit, vt quo leuiorem æ-  
 stimaret mortem, reuersi in patriam agerent  
 cum propinquis de condonanda inimicis iniu-  
 ria. nihil sibi ea re gratius esse posse. Proderit  
 hoc mihi (inquit) a Deo delictorum veniam fa-  
 cilius obtinendam. Iussus ceruicem porrige-  
 re, intrepidus obtulit: aptauit excipiendo fer-  
 ro sine vllō carnificis labore: cum interea De-  
 um ingeminaret, oculis subinde vel in effigi-  
 em Crucifixi, vel in cælum defixis, tum clarissi-  
 ma voce (erat ei canora & dulcis) Salue regi-  
 na, non secus ac si in choro sacerdotum præ-  
 ret reliquis consequentibus, canere orsus est.  
 nullum omnino non piæ mentis atque in diui-  
 narum rerum cogitationem transfusa iudici-  
 um dedit. et collacrimantibus circa omnibus,  
 solus qui flebatur, non flebat. abscessa ceruix  
 e corpore aliquid præsetulit de tranquillitate  
 animi: non toruitas, non obscuritas fron-  
 tis, sed serenitas in vultu, quam satiari non pos-  
 ses mirando. Eo defuncto ingens in cunctis  
 animorum motus: nobilissimus quisque ac Se-  
 natus ipse pæne vniuersus, cum varijs religio-  
 forum

forum ordinibus, multoque agmine prælucentium, sepulturæ mandarunt, componenti vitam superiorem inuidenda videbatur tam egregia pompa funeris. Auxit deinde amorem ciuium, quod videretur vrbs ipsa ab aggressione hostium nostrorum admonitu liberata, rem paulisper putemus. Vicina gens, propter solita accolarum odia, an potius infensa Philippo regi, cui parer Dolæ, sollempni nundinarum die impetum in Dolanos facere cogitabat: vt specie mercatorum venirent permulsi, mox occulte instruerentur armis conditis in dolia, quæ curarent præmitti: ac deinde eodem tempore multis partibus fieret cædes, ac direptio. Cum hoc stetit, e coniuratorum numero vnus, noster quondam discipulus, adhuc retinens prisæ benevolentia, indignum ratus, nostros, in quos maxime armabatur furor hostium, tam certo exponi periculo, nuntium mittit, vnum, alterum, tertium, ad Rectorem Collegij, cum litteris, ex mali patefactione, admonentibus remedij celeritatis: se enim pati non posse, vt male sit Iesuitis, a quibus ipse bona accepisset. res eiusmodi erat, vt propter magnitudinem non timenda videretur suspicio credulitatis: dedit noster litteras Senatui, vrbsque magistratibus, nomine mittentis (quandoquidem sic ipse prænuerat) vel tacito, vel expuncto: breuique consilio publico atque opportunis præsidij



obuiam itum imminenti conſurationi? Ve-  
rum mihi, cum Dolanas res ſcribo, hoc acci-  
dit, vt captus eminentium ſpecie, res quaſ-  
dam veluti communes non attigerim. nec de-  
erat laus viroꝝ mulierumque apud nos v-  
ſurpantium ſacra myſteria. Fuere, quæ agro-  
rum curam quotidiano cibo Chriſtianisque  
documentis adiuuandos ſumpſere ſibi: ſunt  
aliæ in Xenodochio aſſidua: vici a quibuſdam  
curioſe obiti, verecunda multorum inopiæ  
ſubleuanda. nonnullæ impudicas muliercu-  
las traduxere ad ſtudium honeſtatis, iſſque dū  
aliquid conſulant, apud ſe domi habent.. In-  
uenta, quæ integram familiam Lutetia profu-  
gam, vagam, atque inopem excepit, alitque  
(tam impeditis licet temporibus) non parua  
ſpecie caritatis. Erat, quod & aliquid dicere-  
tur de expoſitis capitibus religionis: in quo  
opere per meſes aliquot conſpecta opera Pa-  
tris Rectoris, intra urbem: extra urbem ve-  
ro, in pago maximo per totam æſtatem, al-  
terius ſacerdotis: quo etiam loco reſpreſſa  
correctaque eſt vnus maledicentia ab hæreſi  
non procul, ſed ignoſcenda leuiorum præter-  
miſſio, cum alia ſubmouent faſcibus graui-  
tatis.

COLLE-

## COLLEGIUM ANICIENSE.

**M**AGNAS, in his temporum fluctibus, tempestates periculorum & armorum procellas subiere Anicienses, utroque anno: posteriore tantum non vrbs capta, nocte ea, quam consequebatur dies Catharinæ Martyri sacer: nisi annuente numine, hostium fulmina in ipsorummet agmina vertissent. Ergo nostri in adiuuando, fouendo, excolendo, iuxta ciue ac milite laborarunt. Laborarunt & inopia rerum: sed ijs tamen, utcumque, publica priuataque multorum liberalitate subuentum est. quin & e fonte publico in vicinia nostra deriuatum canalibus in Collegium quantum aquæ satis esset ad domesticos vsus, concessu Senatus. Ab hæreticorum castris tracti aliqui ad Catholica signa. nobiles matronæ aliquot nostris auctoribus ostiatim stipem emendicarunt Xenodochio sustentando. quod & nos, ut custodias etiam publicas, sæpe utiliterque inuisimus. Sodalitas quinetiam mulierum, cuius proprium ministerium salus pauperum (a beata Martha exemplum ac nomen accepit) sata superioribus annis, sed nunc exarescens, nostrorum opera resloruit ad peculiare fructus. Tradita bis hebdomada Christiana doctrina in templo nostro, alliciente plebem cantu, mirabili frequentia, mirto cō-



ciones, confessiones, aris restitutiones, damnatorum inflammationes librorum; stacas supplicationes, indicasque, in quibus se discipuli nostri novo exemplo diuerberarunt, reconciliationes; & alia communia. purgata domus lemuribus. restitutus ieiuniorum usus diu neglectus. centurio bonus artibus belli ex anticipi prelio acrique conflictu (etsi duobus acceptis vulneribus) saluum se redisse predicat beneficio sacri sigilli caelestis agni, quod & cruentum offendit. coniuges duo inter se inuisi mutuo, infensique, nostrorum hortatu ad sanctitatem matrimonij & concordiam rediere. Nec mutæ semper scholæ in strepitu armorum. discipulorum (quingenti amplius sunt) nescias vtrum mirerè magis, studium doctrinæ, an pietatis. Conflata est anno superiore Congregatio cognominis Romanæ, a qua leges accepit: natalis eius fuit dies beatæ Virginis conceptæ. nec caruit initium ferè miraculo. Nocte ea, quæ proxime antecessit, adolescens habiturus orationem, peruigilarat multum in ea ediscenda, & (vt fit) nimia cura, seu recitatione crebra, collegerat sitim, dum aquam petit ex puteo subdiali, ac ne excitet domesticos, trochlea sensim agitata situlam demittit, ex lubrica glacie lapsante vestigio, nihil propius factum est, quam vt prægrauante capite excuteretur in puteum, nisi aliquis sustinisset corpus, ac restitisset pedes.

pedes subita ope: Dei matrem esse credidit  
 probabili coniectura. existimauit etiam qui-  
 dam anno sequenti, cum die eiusdem in ex-  
 lum assumptæ, vt videret oppugnationem  
 oppidi, castrorumque merationem, curiose  
 propius accessisset, & explosus ex aduersa ar-  
 ce globus apicem galeri abstulisset, quo minus  
 tangeretur caput, ipsius patrocinio defen-  
 sum. Ex ea Sodalitate, superiore anno, in So-  
 cietatem cooptati duo: altero, ambientes to-  
 tidem differre visum, vt bona consilia mora  
 valefcent. sed specimen puerorum pietatis  
 quos instituimus, paucis accipite. Tentata  
 duorum in retinenda Catholica fide constan-  
 tia: elusit vnus verba argutiolaque: verbera  
 alter et plagas Christiana nobilitate cotēpsit.  
 Fuit cuiusdam pia religio, alia occasione, ma-  
 gis perspecta. Casu quodam, in capite vul-  
 nus acceperat: iacebat in lecto fere incluso  
 spiritu: adstabant cum matre ac sorore femi-  
 na aliquot ( iam expedito chirurgo, vt corru-  
 ptum os execaret ) muliebri lamentatione,  
 animo imbecillo. at puer veluti experrectus,  
 Iesum Mariamque appellans, vt vidit lacri-  
 mantes. Quæ istæ, inquit, præpostera mise-  
 ratio est, vt maiorem ex hoc meo vno, quam  
 ex vestris multis vulneribus, dolorem animo  
 capiatis? nisi forte diuturna perpessio obtu-  
 dit sensum. Equidem agnosco vestram erga  
 me beneuolentiam: sed ( vt dicam quod est )



magis me, mater, sororque mihi carissimæ,  
 vosque aliæ, quæ hic adestis, vestri miseret. vos  
 enim alieno malo ingemiscitis, non intelligi-  
 tis vestrum: quin statim & vos accurritis ad  
 medici manum? Læta vox pueri loquentis ad  
 aures mulierum. sed sibi quid vellet, non sa-  
 tis intelligere: rogant, tantisper compressis  
 lacrimis, æquam acerbicatem vulnerum ip-  
 sæ non sentiant. Tum is, supra ætatem ac vi-  
 res, iumpto nouo exordio, omnes de pecca-  
 torum sceditate commonescit, orat abster-  
 gat animi sordes: ea esse tela animis inflicta,  
 ea vulnera afferentia mortem: nec nisi a sa-  
 cerdore post auditam confessionem absoluan-  
 tur manu imposita, conulescere posse. Hoc  
 inquit, vnum ac præfens esse remedium a pa-  
 tribus societatis accepi. Vtinam haurirent  
 aliquid nonnulli ex hac pueri pietate, qui mul-  
 tis senibus intelligentia præstat. Iam de ex-  
 cursionibus vtriusque anni in proximos pa-  
 gos vicolque, hæc, ut sic dixerim, saluatim.  
 Pueri Christiana elementa edocti: ij capitis  
 cirros, quorum uanitatem reprehendebat sa-  
 cerdos (sponte parentum, an contra, quid  
 ad rem?) sibi abscindendos curarunt. bis die  
 habitæ conciones explendo desiderio plebis.  
 fluitantes aliquot in fide firmati: naufragi  
 duo in portum reducti. frequentior introdu-  
 ctus vsus sacramentorum, præcipue extremæ  
 Vnctionis: cuius uirtutem, et administran-

di rationem ipsimet sacerdotes ignorabant. Posteriore anno cum redit sacerdos in Collegium comite Parocho, a quattuor latronibus ferro innaditur: et tentavit Parochus audentior defendere, cui forte accinctus erat, gladio stricto, sed hoc magis irritauit aduersarios, igitur admotis sclopis mortem minantur, prosternuntque ad terram, ense erepto, iamque hominem aliquis feriebat, ni noster prehensam dextram vi attinisset: tandem relinquuntur abacto iumento, leuamine itineris, ac librorum volumine perpetuo affecla sacerdotis. Ea res cum ad aures peruenisset accolarum, ac dominæ, latrones vestigati, coactique restituere omnia, quæ abstulissent.

## DOMVS PROBATIONIS.

**N**VNC PRIMVM de huius Prouinciz Probationis Domo separatim aliquid scribere, Deo annuente, incipimus. Proximis annuis in Lugdunensi Collegio illustrissimam feminam Aloisiam de Anceluna fundatricem nominauimus, vt decebat. Et quidem, Nouitij olim Collegiorum hospitio utebantur: Lugduni primum conductæ ædes seorsum & conuictu Collegij. Auenionem post paulo demigratum, itumque in ædes tyrociniio Deoque



que dicatas, magno (vt fit in rebus nouis, cupiditate visendi) ciuium concursu. ea res ad nostrorum familiaritatem multos adduxit, quibus antea erat instituti nostri ratio fere ignota: in his Prolegatum Pontificis, Dominicum Petrusium Episcopum Bisanensem, illustrissimum virum. Is, vt de tyrocinio cognouit eiusque legibus, ita permotus animo est, vt nullum postea neque modum, neque finem fecerit nobis gratificandi. Itaque res impeditas sua auctoritate ac beneficentia expediuit, & constituit vacillantes. eius liberalitate, posteriore anno, extractum facellam, paruum illud quidem, sed ornatum fatis, & Nouitijs accommodum. Dominica Palmarum sacrum in eo fieri, cœptum, ad quod optima fundatrix cum vniuersa familia pie communicauit. Neque hic stetit Prolegati beneficentia: mille nūmos aureos ad murum quēdam exædificandum nobis necessarium dedit: fecitque potestatem lapides ex vrbis antiquæ ruderibus eruendi. Nam alia eius erga nos pietatis argumenta, quia quotidiana fuerunt, etsi non minuta, sileantur. vsus perpetua consuetudine Patris Rectoris: hic enim ipsi a confessionibus erat: sicuti etiam illustrissimo Comiti Hieronymo Morono, in his oris a summo Pontifice bellicis rebus præfecto: cuius pariter in nos non exigua benignitatis indicia extirere.

Redeo

Redeo ad fundatricem, quæ multorum vocu-  
 las, laudandum opus, vitio humani inge-  
 nii, cauillantium, prudenti ratione repressit.  
 non ita beneuola mater vnicum filium diligit,  
 vt singulos illa Tyrones tenero affectu. vt  
 quemque obuium habet, hortatur ad perseue-  
 rantiam, & ad pulchritudinem perfectæ disci-  
 plinæ: nec in re alia vlla magis conquiescit,  
 quam in conscientia pulcherrimæ voluntatis,  
 & in cogitatione eius; quod promouere in di-  
 es cupit, suscepti operis tam pij. In accipien-  
 dis Nouitijs difficultas aliqua ab eorum dome-  
 sticis emerfit: sed & breui resedit. filij ingres-  
 sum ita inique ferebat parens, vt nisi reddere-  
 tur, habere se iactaret diplomata regia omnes  
 Collegiorum totius Prouinciæ fortunas fisco  
 addicendi. facit potestatem conueniendi filij  
 Pater Prouincialis, & suo arbitratu interro-  
 gandi: quod cum facit, adolescentis constan-  
 tiam miratus est adeo, vt ipsemet abiecerit  
 pertinaciam suam: immo apud nos hilare pran-  
 sus, in discessu bene precatus filio sit, seseque  
 ipsius precibus ex animo commendarit. Sol-  
 lemnia Tyrocinijs strenue exercentur. atque  
 hoc satis. hoc enim vno verbo comprehendi-  
 mus permulta. Cum vnus ex ijs, qui rebus ex-  
 ternis, domesticisque negotijs implicantur,  
 it in suburbanum, procuratori comes additus  
 sacerdoti, forte ab eo digressus, incidit in duas  
 mulierculas, a quibus cum impure sollicita-  
 tus



tus ad flagitium esset, ea castigauit vtramque  
 libertate sermonis, vt pudorem incusserit im-  
 pudentibus licet, quem rubore ac silentio fa-  
 tebantur sese mutuo aspicientes. Priore anno,  
 mense Sextili, cum ingruisset in vrbem febris,  
 & contagiosa esset, Nouitios prope om-  
 nes lecto afflixit: neque ijs peper-  
 cit, penes quos regimen do-  
 mus. sed, vbi omnes cum  
 essent in tempore hu-  
 manis remedijs,  
 diuina ope le-  
 uati sunt.

PROVINCIA  
AQUITANIA.



VINQVE OLIM huius  
Provinciae Collegia: Burdigalense, Tolosanum, Ruthenense, Mauriacense. triennio ante, vt scripsimus, pulsifocijs causa religionis, minuit vno, Burdigalensi scilicet: auxit altero, nempe Auscitano. iam, anno priore, dilapsis ob bella, relictum Mauriacense: sed inceptum altera ex parte insequente anno Agennense, numero explendo. Missiones vtroque anno binæ, Petrocoriensis, Macariensis. Socij centum: & (priore quidem anno) tredecim: posteriore, vnde viginti. quo scilicet cedentibus e vita quattuor, successere nouem. de altero neutrum perscriptum.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

DICENDVM primo vrbanijs de rebus, & quasi Gymnasio temploque diuisis: id est, qua ad discipulos, qua ad reliquos ciues pertinent: tum de externis: atque ijs, vtroque anno, coniunctim quidem, sed quædam vt separantur. Socij non pauciores quinquaginta. De instituto Sodalitio sub tutela reginae sanctorum



etorum omnium attigimus aliqua biennio ante: nunc priore anno, auctum iuuenibus frequentantibus res sacras, & amplitudine facelli. castigatio corporis introducta: vnus e sodalibus, e quo reliquos coniectes, vicinum in pagum negotij causa profectus, concionatorem adduxit, sacerdotes Clericosque inter se disidentes concordauit, reduxit contemptum Rosarij vsum, siue intermissum. Priore anno enata est Sodalitas altera, quam ab ætate celebrantium Minorem appelles, sic incensis studijs, vt triginta septem, vno die, qui in eam admitti cuperent, sua nomina profiterentur. igitur Academia etiam duplex. Mitto de tragœdia Ioannæ Lotaringæ virginis, multa virilem supra virtutem in ductando exercitu feliciter ausæ, ac fortiter perpessæ: deque alijs dramatis eleganti versu, & insigni apparatu: quod maior quædam anno posteriore enituit industria discipulorum, ea luce, quæ politiorum Academia litterarum initium dedit. ornati nempe parietes aræ, instructique magna carminum, aliarumque scriptionum, vtriusque linguæ, Græcæ Latinæque, varietate & copia: elegantia vero ita excellenti, vt in singulis generibus sua esset virtus. molles elegi, ipsoque ornati neglectu: sublatum epicum, & forte: diues Lyricum, & transmarino colore conspicuum. non in ænigmatate desiderares doc tam obscuritatem, & multiplicabiles nexus:

non

non picturam in emblemate cum poesi concinentem : non in epigrammate astrictam cum acumine breuitatem, & sententiolis vibrantibus pictam. aderat & propria tragicæ grâditas, ac flebile argumentum : vrbantum comediarum, & commune, non sine lepore & facetijs. persuadere videbantur orationes, siue vim inspiceres rerum, siue pondera verborum : & super hæc, æstimares in vtrisque loco atque ordine ponendis, prudentiam scribentis : ad effigiem omnia antiquitatis : quodque pertinet ad summam gloriam artis, tanta artis dissimulatione, vt nisi opus esse scires discipulorum, iurares esse magistri. Magnam eo die ingenij & eruditionis famam adepti sunt Aca demici nostri : tanto magis nobilitatæ demiceps scholæ, & auctæ : neque pietas abest. in varias religiosorum familias aggregati multi : in Capuccinorum vno anno quattuor : non pauciores in nostram. Addam hic propter aliquam similitudinem rerum, vt gereretur mos Cardinali Ioisæo huius Urbis Archiepiscopo, aliquot e nostris suscepisse ad tempus Seminarij gubernationem, quod ipse instituit, sine operæ iactura : omnes expiati confessione generali : tanta cuique cupido vacuitatis vitiorum, & adeptionis virtutum, vt cum agitur de afflictando corpore, arripiant flagella, quæ saepe reddunt non incruenta : cum de animi demissione, modestia,



stiaque, nihil audiant libentius, quam dum pri-  
 uatim, aut aliis coram arguantur: non igna-  
 ri, vt parua quamlibet macula pulchritudi-  
 nem oris, sic animæ, imminui, per leuissima  
 etiam delicta: proinde quanto hæc corpori  
 præstat, admonitoribus horum maiorem gra-  
 tiam habendam, cum videas institutionem  
 adolescentium, dicas a religioso tyrocinio ni-  
 hil differre. eorum vnus corpore æger, cum  
 secedit interim ad notam natiui calis indulgen-  
 tiam, ita affectit matrem admiratione virtut-  
 um, vt viderit, aut putarit vidisse volitantem  
 columbam intra breue spatium conopei, sub  
 quo filius decumbebat: ipsa quidem vidisse se  
 affirmat: nos rem in medio relinquemus, Hæc  
 de discipulis, nisi quod fortasse adijciendum  
 eiusdem Cardinalis rogatu, explicari cœpta  
 ab vno e nostris officia Christiana in Archie-  
 piscopi sacello, permagno sacerdotum nume-  
 ro & fructu. Mitto frequentiam confitentiu  
 & communicantium in nostro templo. vno  
 anno amplius centum exposuere crimina vi-  
 tæ antea facta, Vndecim qui, defecerant a repu-  
 blica Catholica, ad sanitatem rediere. Aegro-  
 ti duo diuinitus curati: eorum alter, quoniam  
 res habet plus admirationis, in hunc modum.  
 Iuuenis erat ingenij bonitate communem mo-  
 dum egressus: is cum anide vorat scientiam  
 legum, vt ijs accidit, qui cum valetudine non  
 computant dulcedinem studiorum, largum  
 effu-

effudit sanguinem vena rupta: & cum diebus aliquot non intermitteret, omnes medici dif- fidebant. hoc euidentius fuit auxilium medi- ci caelestis. accersito cuidam e nostris aperuit culpas omnium annorum: tum matutini tem- poris hora quarta, vox ad aures missa. Quo- te versas stulte? nondum intelligis multa agi- tanti nihil procedere? reuoca ad animum mi- lierem Euangelicam, vel ex leui Christi Domi- ni extremae vestis contactu, profluum san- guinis stitisse. Tu tanto magis percepto cor- pore sacrosancto. At ille, clara voce, ut exaudi- rent qui assidebant, Recte mones, respondet. accurrunt, quid querat, rogant: Accersite, inquit, sacerdotem: dein sanctum mysterium expiata anima capit: nec sine miraculo red- ditur corpori salus. Rerum diuinarum com- mētationibus instructi non pauci: ex ijs vnus, in locis solis ac desertis tabernaculum religio- sae vitae collocare constituit. Piorum libello- rum, rerumque sacrarum, ac piacularium vis non parua distributa in plurimos, non sine fructu. Priore anno expositio Christianae do- ctrinae a pluribus templis commigravit in ma- ximum, incredibili concursu. posteriore, die- bus festis, ab Aduentu Domini ad Pascha, cum differuisset concionator de quatuor nouissi- mis, iniectus plerisque fructuosus terror, & multorum animi sapientiae praeceptis compo- siti. Aes alienum, quod nonnulli praeter ius



fasque retinebant, dominis restitutum. A quibusdam, quos ad dimicationem vltimam impellebat vltionis cupiditas, impetratum, vt positis armis redirent in concordiam. Beneficiarijs aliquibus Clericis persuasum, vt stas preces Deo persoluerent, & quo decet habitu, vterentur. firmati morientes in lectulo: & qui ad supplicium rapiebantur. mulier in his, quæ etsi Catholica, nullius tamen patiens salubris consilij omnia contemnebat. Ceterum hic quoque accidere aliqua, non procul miraculo: in re præfenti duo tantummodo reponentur. In ædes externi cuiusdam sacerdotis incubuerat magno impetu ignis, iamque validus, & vento citus, corripuerat vicinas domos, neque extingui poterat: inopia remedij ad Collegium itur: Pater Rector vnum destinat, qui sacram cælestis agni effigiem cum iecisset in flammam (mira res, sed & alias vsitata) incendium oppressit. auxit religionem, quod sacra planguncula reperta postridie inter medios cineres intacta. Audite alterum. Mulierem quamdam mariti luxuria paritura egestatem rei familiaris, pleraque iam supellectili distracta, ita affecerat tædio vitæ, vt diuturno mærore tabesceret, ab amicitia non procul: captavit tempus vetus fallendi: ei se obijcit multa nocte, speciem referens nobilis viri, cum aureo torque circum collū, & face in manibus lucente: miranti, opes pro-  
 mittit

mittit amplissimas, si mos sibi geratur. pau-  
 da hic mulier, & anceps: tandem sumit spa-  
 tium cogitandi: iterum redit sub eadem ima-  
 gine, eamque extra ades, adeoque extra mu-  
 ros urbis deductam, an extractam, admonet,  
 vt conscenso equo (erat paratus equus, fesso-  
 rem opperians) secum capebat fugam. cum  
 negaret ipsa, quod grauida esset, et timeret  
 fetui, si viscera uibrarentur, repente relinquitur:  
 necdum insidiarum finis: adest alia nocte  
 importunus, & minus formidolosus qua-  
 dam iam veluti consuetudine: querit, ne qua-  
 tiatur vterus, num malit vectari placido nau-  
 gio. misera assentitur. ita mane ad ripam flumi-  
 nis, nauem reperit probam, instructamque, &  
 iam, exposito ponte, excipiendæ paratam. lu-  
 dibrium illud fuit oculorum: nam dum cōscen-  
 dere se nauem putat, sensit immersam in va-  
 dum, supremo periculo, nisi sinuosa vestis, ex-  
 plicata circum lacinia, suspenderet corpus:  
 dum tandem ancilla cuiusdam non longe ac-  
 currens, semianimem extollit, atque vbi ad  
 se redijt, non tacitis iris querentem de diabo-  
 li astu. interim e Collegio accersitus vnus, spē  
 illi veniæ ostendit, viamque & rationem præ-  
 scribit vitæ melioris. Ceterum e Nostri, poste-  
 riore anno, migrarunt e vita sacerdotes duo:  
 Pater Petrus Prudentius a Patre nostro Igna-  
 tio in sociorum numerum adscriptus, magna  
 vir industriz, & multo exercitus labore. nunc



etiã octogesimum annum cum ageret, incitabat omnes studio suo. Pater Ioãnes Monerius, plures annos in hoc Collegio, siue audiendis confessionibus, siue adiuuandis ægrotis, siue procurando ornatu templi, vtilitatis perspectæ. celebratæ exequiæ ingenti tristitia ciuitatis: plerisque non secus, ac si naturalem quisque patrem, fratrem, & quod est carissimum in vita, amisissent, vt ipsi testabantur elata voce dolentibus. igitur hi duo defuncti: incolumes ceteri: et, quod mirum, in excursionibus, peregrinationibus, egressibus ab vrbe, circum licet volitaret hostis armis odioque instructus, nemo læsus, aut captus: periculum noui absuit. Domestici adiutor operis, cum in villam suburbanam, sentit a tergo insequentes, eluditque tuta per hiatum parietis fugã, siue latebra, quem in itinere offendit. Sacerdos rediens ex eadem villa, impellente numine, cum diuerticula ac flexiones quærit, hostilem manum, quæ se circum rectã viam effuderat, ignarus effugit. eandem in se numinis clementiam agnouere Tyrones, qui terni quaterniue a Monte Serrato huc ierunt, redieruntque, magno periculo, nullo damno. De Nouitijs huius Prouinciæ, qui huc appulerunt ex Burdigalensi naufragio, nihil facere litterarum compendium operæ erit. excipia breuiter vnum, quod non erit alienum. Adolescens multos iam annos sancto Spiritui ad so-

cieta-

cietatem vocanti restiterat: priore anno, an-  
 quia sapiens esse voluit apud semetipsum, in-  
 cidit in alienationem mentis: aduolat exem-  
 plo in Collegium, Patrem Prouincialem, vt  
 recipiatur, orat: in cubicula lymphatus irrumi-  
 lit: quamdiu perfitit insania, illud vnum ha-  
 buit in ore, uelle se fieri Iesuitam: ex pericu-  
 lis diceres, factam homini prudentiam, si fru-  
 gifera fuisset. Hastenus vrbans de rebus. tra-  
 seamus ad externas. Anno priore Albiu vicin-  
 nam urbem vnus excurrit: dictis factisque  
 strenuam dedit operam populo, vt Collegij sit-  
 ardor iniectus. Missionis simile fuit, alterius,  
 Blauio (est oppidi nomen) huc intendentis  
 iter: substitit primum ad viginti dies Marmā-  
 dæ, a ducibus Catholici præsidij non inutili-  
 ter detentus. conciones habuit, confessions  
 excepit, pacauit terribilem vmbra mulieris  
 nuper mortuæ, persolutis precibus, quas pro  
 se consobrinaque item defuncta postulabat.  
 Tribus deinde mensibus Agenni commoratus  
 (vrbs est in Aquitania, vbi institutum Colle-  
 gium anno posteriore infra dicetur) hic etiã  
 quod nuper in Tolosano Collegio memorauim-  
 us, probauit se diuinus agnus in consecrata  
 cera extinctorem ignis. recollere multi cum  
 lacrimis, peccata omnia, quantum poterant  
 meminisse, illo audiente: in his puellæ, desti-  
 natæ licet a parentibus in matrimonium, in  
 virginitatis studio permansere. Sodalitium



constituit pœnitentium, appellatione beati Hieronymi, locoque procurato ad peragēdos conuentus perscripsit leges a summo Pontifice approbandas. religiosas mulieres de consilio Episcopi inuisit, eruditque. hic quoque placatum spectrum Mar mandano non absimile, de quo hæc pauca. Quibusdam in ædibus lemures esse dicebantur, hoc signo, quod virilis vestis ita componebatur, vt uirum, muliebri, vt mulierem referret: vtraque deinde Rosarijs, corollisque redimiebatur piū in modum: constituerunt domestici nostrum vocare, ioculario hoc terrore domui liberandæ: hora antequam accitus veniret, audita est vox. Quid frustra trepidatis? cur pios viros & doctos accersitis? nulli erimus noxæ, sed neque amplius hoc loco versabimur. nos enim duo sumus, vir, & vxor, harum ædium quondam domini: at vos debitas ad Deum preces pro defunctis effundite. Nec uero absuit dicto fides. Plures excursions obitæ anno posteriore. Itum ieiunij maximi diebus, a sacerdote, non sine socio scilicet, in oppidum sancti Gaudentij: quotidianis concionibus oppidani omnes; binis hebdomada disputationibus Ecclesiastici separatim edocti. rediere in gratiam cum Ecclesia Romana nonnulli. quidam superioris uitæ maculas confessione purgarunt. in reliquos, ne concionum manaret utilitas, obstitit studiū Nauarræ factionis: a quo no-

ster

ster cum longe abesset, cōsiliū captū a scele-  
 ratis duobus, quarta quintaque feria sanctio-  
 ris hebdomadæ, emētito habito muliebri eum  
 de medio tollendi. ac primum per fores quas-  
 dam moliti aditum, abstiterunt cœpto, quod  
 obseratas inuenissent: clauserant ante nostri  
 certas ob causas, paucis diebus. sequenti no-  
 cte, cum in cubiculum nostrorum irrepere pu-  
 tarent, in alterius cuiusdam, fallente coniectu-  
 ra, cum districtis gladijs, irrumpunt: quo ro-  
 gante, quid quærerent, recessere silentio. no-  
 stri, peracto munere, clam discedere coacti. Sa-  
 cerdos idem altero in oppido, cui nomen a san-  
 cto Licerio, sacro Aduentu concionatus ma-  
 gna popularium frequentia, & Ecclesiastico-  
 rum, e quibus pereruditi nonnulli iam diu Ec-  
 clesiasten professi. Ludendi, irreligiose iuran-  
 di, de proximorum fama detrahendi, inuetera-  
 ta consuetudo, repressa magna ex parte, si non  
 omnino oppressa. doctrinæ Christianæ rudes  
 condocefacti. auditj plurimi de tota vita: ex  
 his vnus dimissis pellicibus vxori adhæsit. Ce-  
 terum natalitio Domini die, cum vix alias,  
 vnus aut alter communicaret, tantus fuit nu-  
 merus, vt monstri simile esset. Ad castrum Sar-  
 racenum alius missus, vbi pro suggestu neces-  
 sitatem Christianæ doctrinæ exposuit, ingenti  
 auditores admiratione lætitiæque repleuit.  
 tradita paulo post in sacello domus hospita-  
 lis, rudiori ætati & mendicantium turba: sed



& primores viri liberos misere. libri prohibiti,  
 ex hac occasione non pauci exusti: emendati  
 nonnulli ex decreto synodi Tridentinae.  
 Violatio numinis & nominis diuini, quæ in le-  
 uis habebatur, coercita. restitutus vsus ieiunan-  
 di, siue ignotus, siue per desuetudinem contem-  
 ptus. eum virguncula nouem annorum sic ar-  
 cte obseruat, vt certis diebus ad panem nihil  
 adhibeat, frigida potu contenta. idem præsti-  
 tum a puero septuenni die Parasceues, cum pa-  
 rentes contra tenderent, ac lætarentur. con-  
 sultum nonnullis, quos seu attinebat carcer,  
 seu iudices morti destinarent, siue afflictabat  
 gravis aliqua corporis agrotatio: inter quos  
 primarius ciuis ex hæretico Catholicus, in ex-  
 tremo vitæ periculo melius habere cœpit, de  
 peccatis confessus. hæc respiciens populus sic  
 permotus est, vt communiter egerint de reti-  
 nendo eodem concionatore: aut cum altero;  
 non nisi ex eadem Societate permutando. Mis-  
 sus est & alius ad Catholicorum exercitum.  
 Mensarum luxuria cohibita habita ratione  
 dierum esurialium. furto ablata dominis red-  
 dita. cum essent cum hoste manus conferen-  
 dæ, audita concio tantum animorum militi-  
 bus fecit, vt præciperent spem victoriæ, a con-  
 fessione præcunte: neque illis frustra fuit: ho-  
 stium fiducia fere omni a manibus in pedes cõ-  
 uersa. et animaduersum est misiles septem  
 globos cum traiecissent thoracem equitum

nostrorum, non penetrasse curem irrito ictu. Hinc Narbonem cum proficisceretur no-  
 ster, a ciuibus ægre recipitur: sed cum in vr-  
 be concionabundus versatur magno eorum  
 commodo, & in pristinum splendorem mutan-  
 tur multa, non erant permiffuri ipsius disces-  
 sam, nisi pestilentia: malum pijs conatibus ob-  
 stitisset. Longior sim, si in externos vtilitates  
 omnes percurram: concludam breui. Parens  
 vnus e nostris extrema ætate summo deside-  
 rio tenebatur videndi filij iam sacerdotis, an-  
 tequam oculi clauderentur. plus obtinuit. an-  
 te obitum aliquot dies adfuit filius, eumque  
 viso lætum atque officio sacramentis omni-  
 bus communijs, vt in cæli migrare cerne-  
 res, non sine præsentis gustu futura: voluptatis.  
 per eos dies & illud accidit, quod cum forte,  
 vt solebat saepe, noster esset cum Episcopo Ba-  
 fatensi, fragor cuiusdam & clamor quasi ex  
 edito loco decidentis, vtrumque aduertit. ac-  
 currunt, opificem vident e sublimi lapsu affli-  
 ctum, & ægre trahentem spiritus: admonet no-  
 ster, ac vix obtinet, vt fateatur peccata, quod  
 nunquã antea vsurpauerat. ea res etiã corpo-  
 ri attulit salutem. quarto enim die post casum  
 firmis viribus, ac si nihil mali esset passus, ad  
 institutum reuertit.



## R V T H E N E N S E C O L L E G I V M .

**T**REPIDATVM licet fere semper intra mu-  
ros hostibus vicina diripientibus, tamen  
nō solum prouisū vrbi, sed & foras excursū.  
Superiore anno sanctæ Radegundis Priora-  
tus Collegio accessit. Iubilei veneratio aucta  
supplicationis pompa, quam duxerunt disci-  
puli præferendis insignibus Christi Domini ex-  
cessus. omnium pietatem e duobus spectes. v-  
nus nempe, cum apertisset ludum, nec num-  
mulos suppeditare vellent parentes pueris ad  
menstruas confessiones sacerdoti elargien-  
dos, dinumerat de suo. alter ex amnuli sa-  
cerdotis pecuniosi hominis ædibus, ac spe ad-  
eo opimæ hereditatis depelli maluit, quam in  
periculum adducere animam superstitionis  
scribendis chirographis, vti iubebarur, ad cu-  
rationem morborum. Posteriore anno excre-  
uit discipulorum numerus ad sexcentum sep-  
tuaginta. dies sacer sanctæ Mariæ Magdale-  
næ, affigendis de more scriptionibus varijs, ar-  
gumentis ingenij, numquam fuit magis illu-  
stris. Gratisima etiam tragica actio, Aristo-  
bulus inscripta, circa beati Barnabbæ festum.  
Sanctissimæ Dei matris Congregatio sollem-  
nia pietatis officia seruat. Præter conciones  
matutinas, conuentus meridianus habitus Do-  
minicis diebus de fidei rudimentis. discordia  
Eccle-

Ecclesiasticum inter virum & magistratum se-  
 data est. Quidam hæreseos, sacerdotiorum nõ  
 pauci, quæ salua conscientia non obtinebant,  
 onere leuati. habitus de libris publice inflam-  
 mandis dialogus perelegans : curatumque, vt  
 malum hoc ciues domi non habeant, nec bi-  
 bliopolæ distrahant. periclitantibus in extre-  
 ma morte vocati non defuimus : quin & leu-  
 carum sex susceptum iter ad adiuuandos ho-  
 mines damnatos noxæ capitalis. In Gaballi-  
 cos pagos (in annalibus credo proximis, op-  
 pida sunt diœceseos sancti Flori) vtroque an-  
 nõ excursionses factæ binæ, aut ternæ, & ple-  
 ræque dierum quindennum: reliqua satis intel-  
 ligi possunt. Cum vnus concionatur in oppi-  
 do quodam Quadragesima, effecit, vt gratis  
 Clerici sacris initiarentur: vt (quod diuturna  
 ex negligentia verterat in contemptum) sa-  
 cro sancta Eucharistia illustri cærimonia asser-  
 uaretur in templo. visum hoc decretum ea no-  
 ãte, quæ proxime cõsecuta est, celerem opem  
 oppido tulisse ad inuadendum hostibus fru-  
 stra tendentibus. Mulier particula consecra-  
 tæ ceræ dæmonem exegit. promulgans alibi  
 alius peccatorum indulgentiam audiuit pluri-  
 mos ad plenum confitentes. auctor fuit vt con-  
 cubinæ dimitterentur, iniuriæ remitterentur,  
 male parta restituerentur, renouarentur cæri-  
 monia, maxime in sacro faciundo, pane deser-  
 tæ. In Calmonte (nomen est oppidi) diuinus  
 quida n



quidam erat, qui si rem domesticam mobilem  
 amisisses, aut se mouentem, si vestem, si uas, si  
 iumentum, vbinam reperires, scilicet hario-  
 labatur. insanus, qui ceteros infatuaret vani-  
 loquentia sua, cum aliquo quaestu: & ut magis  
 miserarere, erat sacerdotio præditus: fessa æ-  
 tate: ceterum eo corporis habitu, & forma, ut  
 iudicares dignum anima hospitium. huc cum  
 venisset noster in peruigilio sancti Ioānis, quo  
 & ignes accenduntur in vijs, & lucernæ in te-  
 ctis: ad eum adiit nocte inumbrante: consule-  
 batur forte a quibusdam uulerculis, super  
 veste amissa. cum esset pro foribus, audiuit  
 diu vendentem nugas sexui, super leuitatem  
 ingenij, ad superstitionem propenso. tandem  
 ingressus, reperit homuncionem in tripode  
 ante focum responsa dantem: Pythiam dice-  
 res interpretem Apollinis, si in re misera io-  
 cari velles: et prior: Qui vales? Ego vero re-  
 cte: respondet ille, nisi quod a tibijs pessime  
 habeo. tum noster, Sanare, inquit, valemus:  
 intelligebat nimirum de prauis animi affe-  
 ctibus. at ille. Si hoc præstas, docebo te vi-  
 cissim mysteria nostræ artis. ita paciscuntur.  
 mox querenti, ex quo libro ea peterentur, pro-  
 fertur volumen situ & squalore confectum, mi-  
 ris insignitum characteribus, neque intelle-  
 ctis, ex diaboli ingenio: postulat sibi concedi:  
 negatur, nisi antea curentur tibiæ: sed erat  
 præda in manibus. itaque statim inde se pro-  
 ripit:

ripit: nec poterat assequi senex ac debilis valentem: igitur pallium poneprehendit, nec dimittit: ætatis longæ moram, & tibiærum morbum interim accusans, manusque validioris auxilium implorans trementi voce, quam & ira consumebat. at noster, euolutus pallio, egreditur domo, execrandum librum quasi proieciturus in obuiam flammam. accurrunt oppidani, occupati videlicet iam pridem præstigijs, & inflammationem deprecantur, vt consulatur eorum pecori, domibusque: multiplicat noster minas. At ego, cras, inquit, producā illum pro concione: quin & hortabor populum ad subiiciendum ipsius domino, homini venefico, ignem. Audita hæc illi, aut nuntiata in maius innotuere. igitur iniectus animo terror vim addidit corpori: multo iam noctis tibiærum dolore dissimulato; seu non intellecto, per valles montesque, quantum poterat gressus extendere, trepidus aufugit: nec quādiu fuit sacerdos in eius regno, conspici ausus. cum mane animaduersum esset domum esse clausam vacuamque, manuales per scalas intratæ fenestræ ad repetendum pallium. nec desuit irrisus dictitantium, si diuinus erat, librum sibi mysteriorū ab Iesuita creptum iri, vaticinari potuisse. itemque, præstitisse nostrum, quod spononderat. neque enim obitum tam lōgum iter ac difficile, nisi sanatis tibijs. itaque receptū pallium, & volumen iure con-



cerptum. Ceterum cum ad festum diem sanctorum omnium in Gabalia essemus, Minister hæreticus e Nemaufiana vrbe, Marologium (oppidum est huius nominis) venerat celebrâdis sollempnibus baptismi: cõfluebant vndique miserandum vulgus, cum puerulis scilicet abluendis. at vbi audiuit nostros in proximo concionari, nec procul Catholicos sacrosancti fœderis prope quingentos, maturavit iter nocte intempesta. Redeo ad Collegium: cui defuisse vestigal annuum auditum est litteris proximis: verum anno priore, nono Calendas Maias (is est dies beato Georgio sacer) publicis Comitijis consona omnium voce destinati sunt aurei mille quingenti æri alieno dissoluendo, rem valde promouit studium viri nobilis, inter medios contestantis, si quis huic decreto non assentiatur, hac eum veluti nota in Politicorum numero futurum,

### COLLEGIVM AVSCITANVM.

**V**T IN COLLEGIO non nisi biennio ante inchoatõ initia non mala. Auctum, posteriore anno, coemptis duabus domibus, stetitque interim magna ex parte ciuium externorumque, eius præcipue, qui pro Archiepiscopo diœcesi præest, benignitate liberali, milleni duceni aurei publice assignati in annuos census. Nostrorum labor (sedecim sunt)

in urbem prouinciamque fere omnem, rejciē-  
dis pestibus falsarum opinionum, commode  
tributus. Piorum amor erga nos magnus. de-  
claratus anno priore, cum Canonici, magistra-  
tus, primores vrbis, scholastici omnes, vnus  
obitum celebrarunt, corpusque condiderunt  
in tumultum, non nisi Canonorum & nobi-  
lium capacem. nam etsi olim scripsimus aper-  
tum nobis sacellum, nondum tamen erat con-  
secratum: verum anno posteriore amplius fa-  
ctum, ornatumque, tum magnificentia operis,  
tum elegantia picturæ. itaque frequentatur in  
dies magis. hinc illa. Trecenti, vno anno, vni-  
uersæ vitæ cursum relegere confitendo. ex his  
adolescens vi concionum permotus concepit  
cupiditatem ineundæ nobilicæ societatis. li-  
bri quamplurimi, ne prætextu doctrinæ offi-  
ciant moribus, in ignem coniecti. Vir non con-  
temnendæ nobilitatis, vt parceret cuidam, a  
quo pugnis concisus fuerat calcibusque, quin  
& stricto ferro per contumeliam exceptus, no-  
strorum consilio, vt remitteret iniuriam, ad-  
ductus. Adde huc, parturientem mulierem so-  
lutam, adnexo ad collum cereo agno: militem  
in periculoso morbo & peccata aperuisse, &  
hæresim eiurasse. alios item milites ex oppu-  
gnatione cuiusdam vrbis huc saucios delatos,  
inuisos a nobis, ac fere omnes ad cōfessionem  
adductos: e quibus præsertim adiuti belli du-  
ces duo, animam agentes. Gymnasium nobili-



tate floret, & concursu pietatem frequentan-  
 tium præterquam conijcias ex religiosa gesta-  
 tione rerum piacularium, nimirum & ex eo  
 agnoscas, quod ipsorum admonitu exemploq;  
 lasciuia omnis saltatio, quæ diu in vrbe obtinue-  
 rat, sublata est. hinc admiratio cunctorum, &  
 multorum immutatio animi, qui res nostras  
 obterebant. Multi ex eodem numero, qui Ec-  
 clesiasticis redditibus gaudebât, de nostrorum  
 consilio sumpserunt habitum, quo; more Cla-  
 riorum, a ceteris differrent. Duæ Sodalitates  
 augustissimæ Dei genitricis ante foundationem  
 Collegij sacæ industria Patris Prouincialis,  
 nunc & cultæ nostrorum ope, non paruos fe-  
 tus edidere, tres e Maiore addidere se nobis:  
 duo, alteri familiæ religiosorum. sunt qui ad-  
 huc flores aperiant, vbi maturum erit tem-  
 pus, in fructum ituri. sacellum præterea, vbi  
 celebrent cœtus, ædificarunt, ornaruntque  
 suo sumptu. quin & feria quinta sanctæ hebdo-  
 madæ supplicationem instituunt pulcherrimo  
 symphonix cantu, celeberrimo apparatu, om-  
 ni ciuitate, visendi cupidine, in populam effu-  
 sa. Hæc domi. Foris autem priore anno, vt de  
 multis pauca seligam, concionatus vnus ieiunio  
 quadraginta dierum Albineti: quo tempo-  
 re ad consequendam Iubilei indulgentiam  
 præparandis animis, sacerdotes duodecim, a  
 meridie noctis, vsque ad diei meridiem, vix sa-  
 tis fuere: vfitatum fortasse alibi: sed in ea vr-

be mirum, quia insolens. intermissa consuetu-  
 do, vt sacerdotes cœna Domini communicēt  
 restituta: multa in correctione Clericorum ad  
 normam Concilij Tridentini directa: iræ mul-  
 torum capitales compositæ. Anno autem po-  
 steriore vocantibus oppidis multis, mos geri  
 omnibus non potuit. Itum salutari Adventu  
 Quadragesimæque ad sancti Mauri, & com-  
 plura, quæ oppido grata essent atque vtilia,  
 facta dictaque Mulier octauum iam & de cimū  
 annum volutata in Calviniano cæno emerit  
 populo inspectante. Qui furtim irreperant in  
 sacerdotia Ecclesiastica, admoniti recesserūt,  
 non nisi per ianuam ingressuri. respuere non-  
 nulli, quibus certum erat suspendio vitam fini-  
 re: iidemque adducti ad detestationem vitæ  
 prioris. persuasum viro non bono iure obti-  
 nenti facultates fraternas, vt transferret vti-  
 liter in pios vsus. Prouisum sodalibus sanctis-  
 simi sacramenti, vt in instituto proprio dili-  
 gentiores essent. Data opera, vt quæ itatis tem-  
 poribus agitabatur nocturnæ peruigilationes,  
 quibus cantu inuigilabant & saltationi, femi-  
 næ maresque, additis vini epularumque volu-  
 pratis, crepitibusque fere fanaticorum, &  
 vlularibus tota vrbe personantibus, magno  
 consensu omnium gaudioque verterentur in  
 supplicationes: piæ: eaque spe, vt quod hac-  
 tenus fuerat: lasciuia: luxusque, sit futurum in  
 posterum modestiæ, & sanctitatis exemplum.



Alius cum iſſet alio ſacerdos, priuatis cohortationibus admonuit Clericos eorum officij, & cultus. Non ab re etiã fuit excurriſſe plerumque alia in oppida ac propugnacula, dominorum accitu. Aſtum alicubi cum viro nobili, deſperata iam valetudine, & ætate fere ſumma (erãt annorum ſeptuaginta quinque) generalem, vt inſtitueret confeſſionem, de qua ne cogitabat quidem: tum, vt quos libros habere piaculum erat, e bibliotheca ſineret auferri publice comburendos, argumentum hoc quoque fuit non ſimulata pœnitentiã.

## COLLEGIVM AGENNENSE.

**A**GENNVM, Aginnũ alij, vrbs eſt Aquitanie pœne princeps: alluitur Garumna: loco ad compendioſas excuſiones valde opportuno. Huc acceptum ante Collegium, miſi e noſtris duo apud Episcopum verſabantur: incendebãtur ciuiũ animi cupiditate Collegij: deſtinatæ ades, vbi olim prauitatis Miniſtri: nec quicquam propius erat, quam vt res conficeretur. interuenit malum, quod prope euerſa vrbe, ſpem quoque bonorum ſubueſcit. Impellente diabolo transfugæ manus iungunt, & captato ſilentio noctis proximæ ante Epiphaniõrum diem occupant vrbe inculſo ditã. Exiſtimare poteſtis ex veſtro ſenſu, quid animi noſtris fuerit, vbi excitati turbidis vocibus

cibus regem Navarraum proclamantium fen-  
 serunt intus esse hostem: & nuntiatum est non  
 abstinere a rapinis et cæde: auaritia scilicet  
 & crudelitate per captam urbem grassante,  
 quinque horas integras in foro maximo furia  
 veluti castra fixerunt in suo regno: cum præ-  
 fertim Episcopij res, in quo ipsi cum paucis e-  
 rant inermibus, impune diriperentur. et erant  
 qui tacerent, augendum ad timorem, an quod  
 periculum fidei rumori faciebat, Episcopum  
 esse interfectam. ipse quidem, Deo protegen-  
 te, seruatus, cum enim magno animo in habi-  
 tu militari exequitur munia Ducis, collectos-  
 que ciues, insignis manu, voce, firmat aduer-  
 sus hostem, vndique vibrantibus globis ex ære  
 excussis, illæsus fuit: &, quod mirum magis,  
 prope eum collapsio famulo prælucente. neque  
 tamen immatura adolescenti mors, ad quam  
 se multis ante diebus, ex nostrorū colloquio,  
 quasi præfagiente animo, præparabat. nec du-  
 bium, quin adhuc ipsum circa Antistitem desi-  
 derati fuissent multi, nisi vnus ex hostibus, vt  
 nox erat, neque ipse gnarus locorum, in pu-  
 teum delapsus, cum vi extrahitur, sociorum  
 impetum retardasset. sic spatium fuit Episco-  
 po euadendi in præcellam turrinam vrbis: vnde  
 & missilibus inimicos arcebat, & litteris ac-  
 cersebat amicos, qui proximi erant. Nostri  
 interim, qui mos est in desperatione extrema,  
 excipiendis domesticorum confessionibus in-  
 tenti,



genti: donec domus etiam ipsa inuaditur. igitur, sublata spe resistendi, aliud scilicet quarendum per fugium: demissum lapsi per funem in proximum sancti Stephani sacellum inferunt se: hic pacem & veniam a Deo precati, penetrant rursus cuiusdam Canonici ædes: quo plures Clerici cum conuenissent, mutuis sese hortatibus ad mortem libenter pro Christo oppetendam incendunt. at Episcopus, cum eo loci res esset, vt nihil spei ab hominibus ostenderetur, ad Deum se, Deique matrem, quæ Laureti colitur in Italia, conuertit. igitur ieiunium annuum sexta quaque feria, & per uigilio Epiphaniarum in omnem vitam, sic vt pane tantum & aqua vescatur, & quingentos aureos ad Lauretanam supellectilem, uouet. id uotum Deo cordi fuit. tanta enim repete consternatio incubuit in hostes, vt uersi in fugam, panicis, quos aiunt, terroribus agi uiderentur. nec defuit occasione sacerdos noster: egressus nempe in forum a latronibus diu obsecrum Catholicorum erexit animos, firmavitque: nec multo post adfuit sacrorum Antistes conspicuus militari veste: & inter mutuas gratulantium lacrimas, ante ianuam templi nixus genibus Eucharisticum præiuit carnien, populo prosequente. Duo traduntur, hoc incursum hostium, super cetera memoranda. primum, quod eorum Dux, cuius inter atroces minas illud sæpe exaudiebatur, facturum, vt concionator

tor n  
magn  
cub  
ge sa  
liagu  
cribu  
quæ  
pori  
alior  
fioni  
doct  
tia: l  
rem  
etor  
laru  
cep  
con  
ded  
feli  
inun  
nie  
nec  
cat  
&  
rū  
por  
liu  
lue  
cip  
sec

tor noster ante meridiem ederet vocem supreme  
 manu, sub idem fere tempus vna cum filio occu-  
 cubuit alterum, quod quidam ex eodem grege  
 sacralega in diuinum numen atque impia  
 lingua, cum obruncatus fuisset, a feris volu-  
 cribusque ita dilaniatus est in loco publico, vt  
 quædam tantum eius restarent reliquæ cor-  
 poris, quæ ostentui essent: cum tamen cæsa  
 aliorum corpora illæsa mansissent. Nunc Mis-  
 sionis reliquæ persequamur. Explicata pueris  
 doctrina Christiana cum vtilitate, & frequen-  
 tia laudandi operis Episcopum non probato-  
 rem solum, sed pæne socium habuimus. eo au-  
 ctore institutæ supplicationes puerorum puell-  
 larumque litanias publice decantantium. ex-  
 ceptæ pauperum cõfessiones, qui vt libentius  
 conuenirent, impulsi sunt pio stratagemate.  
 dedit Episcopus sacerdoti tesseras non nisi cõ-  
 fessis tribuendas, vt eo se intelligerent signo  
 inuitatos ad lautum esse prandium die Domi-  
 nicæ cenæ: eo fama traxit ad vnum omnes:  
 nec aliter factum: cum præisset illis sacra præ-  
 catione Antistes, ministravit ad mēsam: quod  
 & sæpe alias curatum, eodem præbente. Cete-  
 rum noster ab ægrotis sæpe aduocatus. Celebre  
 porro illud, & adnotatum plerisque, ægri nul-  
 lius confessionem ab eo auditam, quin conua-  
 luerit. inter quos puella fuit pertenui spe re-  
 ciperandæ valetudinis, aut potius nulla. hæ-  
 reticus ad detestandos errores eiusdem man-



stetudine adductus. Anno igitur posteriore  
 inceptum Collegium est munificentia Marga-  
 ritæ Nauarræ, Episcopi, Cleri, ciuitatis vni-  
 uersæ, commodo vrbis loco. initium schola-  
 rum (ex quinque sunt) non speciosum, sed vi-  
 rorum tamen, qui illud cohonestarunt, præsen-  
 tia & humanitate, non obscurum, in studiorum  
 deinde renouatione Pater Rector ad ciues o-  
 rationem habuit, qua, cum Deo grates agun-  
 tur de iniecta eis mente, vt tabernam scele-  
 rum in officinam pietatis transferrent, vt  
 Collegium illic esset nostrum, vbi fornax o-  
 lim impiorum dogmatum, audientes ad con-  
 stantiam incitabantur: sequutæ alijs die-  
 bus, Græca Latinaque lingua propriæ præsa-  
 tiones doctorum, & declamationes discipulo-  
 rum diuersæ: singulis classibus positæ theses  
 ac defensæ, publicæ lætitiæ. indicta iuuentuti  
 sacra pompa huiusmodi placandi. eam celebra-  
 runt puerorum puellarumque instructi ordi-  
 nes splendido ornatu, ac diuinas laudes patrio  
 sermone concinentium, mira populi volupta-  
 te. Secundum hæc, doctrina Christiana in dis-  
 putatione & dialogo: præmiaque victoribus:  
 quin & donati plerique ex confusa turba pijs  
 libellis. Cœpta etiam Parthenia Congregatio  
 magna contentione admitti cupientium. Epi-  
 scopi nomen, qui primus est census, spem de-  
 dit incrementi: vere vir pius, & in quem con-  
 ueniat illud vetus eclogiû, Natus publico bo-

no. C  
 tur:  
 ama  
 man  
 vt in  
 nia a  
 med  
 cibi  
 cen  
 rolla  
 veri  
 agn  
 tur  
 hoc  
 nec  
 cio  
 et d  
 inte  
 pûs  
 reco  
 pos  
 nua  
 Rin  
 oct  
 dim  
 fib  
 ita  
 sic  
 de

no. Ciues nos conuentos ſape volunt, ac latantur: certique de noſtro erga ſe amore, effuſe amant. Anicula obfirmata in hæreſi fere animam agebat: eam cum acceſſiſſet ſacerdos, vt inſtrueret ad Catholicam fidẽ, reperit omnia alia cogitantem. igitur cum molliora remedia nihil proficerent, agendum erat atrocibus: Inferorum terror incuſſus: idonea ad dicendum materia, in qua immenſum licet atollatur oratio, vt ſuperet fidem, non æquat veritatem. tum illa excuſſo veterno, cum agnita culpa erratum aperuiſſet, emoritur. Exiit & tuus concionibus fructus. erit hoc inſtar exempli: quod, cum expoſcente neceſſitate diſſerent ſape noſtri pro concione, de mutua reconciliatione animorum, et de remiſſione offenſæ, nobilis Canonicus, inter porrigendum populo Dominicum corpus, vbi peruenit ad vitum e capitibus vrbis, recordatus iniuriæ qua hominẽ affecerat, reſpoſita in altari ſacra pyxide, pronolatus in genua, ante veniam ſuppliciter petit, quam epuſum pacificum daret. Alius claro genere, cum octauum iam annum abſtinuiſſet ſacris, cupidine vlcendiſſendi inimici, exiit per confeſſionẽ ſibi cendi animum, & veteres culpas. Sacroſanctæ agni effigies facilem partum mulieri præſtitit diu laboranti. male parta reddita. ab Ecclæſiaſticis beneficijs auaritia prohibita. Nũc



exequar breui narrationes duas. Vnus et discipulis alterum ad confessionem incitabat: differebat hic mala fide, aut infidebat: sed Deus non irridetur: nam tem Garumna absorpsit. Cui altero, spectato maxime in alloquendis aegrotis, melius actum, e cellissimo nempe recto in alterum cum decidisset, ex hoc in aliud, atque inde in publicam viam, vna vertigine ter morte liberatus est. Postremo non tacendum agnatum a nostris Dei beneficium, cum quattuor diuersis e locis confluerunt omnino duodecim ad nouum Collegium (licet plena essent omnia grassatoribus) itinere satis tuto. neque id ignotum hostibus executibus, quemcumque exceperunt scholasticum: si Iesuita fortasse, vt erat auditum, in eo habitu deliquisset.

PETROCORIENSIS, & MACARIENSIS

Missiones.

**C**ONIUNXIMVS, ambas, quoniam vt traditum est proxime superioribus litteris, emerit vtraque, dum Burdigalense Collegium tempore cedit, et si Petrocorij pugnat, vt quod temporariu fuit, & quasi fortuitum, in perpetuu, ac veluti necessariu migrat, ad eferre quaternas coemerunt, vt earu demolitione vacuet fiat Collegio hortus, sine anni posterioris

rioris, vectigal annuū millenū aureorum consti-  
 tuerunt; ex publico censu; multum prære-  
 rea argenti ad instruendam domū, cuius etiā  
 necessarijs vsibus operas publicas submittit.  
 Neque illud paruum argumentum beneuo-  
 lentie, quod adolescentibus, qui huc concu-  
 rant causa disciplinæ, tutam præstant a præ-  
 donibus viam, & humanum in vrbe hospitium  
 præbent. Patrem enim Rectorem, cui ad cas-  
 trum Blauientse (viginti pluribus hinc leucis  
 distat) necessaria incumberebat profectio, vir  
 quidam nobilis cum armata equitum turma  
 deduxit; ita opus facto; aduersus improborū  
 erga nos odia accensa. e tramen e multis qui  
 huc cōtenderunt, diuersis tēporibus, in eorum  
 manus incidere duo; vnus priuatim se rede-  
 mit oblata pecuniola militi, a quo dimissus  
 incio duce; verberibus alter affectus, ac spo-  
 liatus, iussus est abire, non agnitus pro Iesui-  
 ta; quem vbi esse constiterit, ex reperta sche-  
 da in subuecula, dum forte scrutantur, accu-  
 sarunt, scilicet stultitiam suam, quod non ex-  
 quisitis vexato supplicis vitam admissent.  
 Sex hic scholæ discipulorum, quinque poli-  
 tioris literaturæ, Philosophiæ sexta; iuue-  
 nes omnino quadringentis non paruus nume-  
 rus, si cogites vetari ex oppidis quæ Nauar-  
 rgo parent, alio concedere adolescentes ad  
 discendas litteras, proximo edicto: quod spre-  
 tum a multis, nec prætermittuntur studiorum



incitamenta. præmia distributa. die sanctæ Catharinæ data eius tragœdia ab Humanitatis studiosis, magnæ plausu. Doctrina Christiana in maximo templo, alibique tradita. cōciones frequentes. confitendi peccata & comunicandi creber vsus inductus. Natalitijs Domini ferijs ad quadringentos refecti diuinis epulis in nostro sacello. in visitandis Xenodochijs, publicisque custodijs, solandis agris, iuuandis ijs, qui cum morte lætabantur, opera non defuit. grauissima ciues inter virosque nobiles dissidia sublata. Consuetudo olim in hac vrbe ex optimis ducta principijs inueterarat, vt sacro die Pentecostes paganis vndique coeuntibus tribuerentur singuli panes publica impensa: factum est casu, vt dum expectatur tempus dispersiendi, rusticani homines impatientes moræ tripudiarentur: creuit vsus voluptate blandiente, vt iam non ad accipiendos panes, sed ad plaudendas pedibus choreas, ac dicenda carmina, iuuenili quadã licentia, mixti mulieribus mares, ex urbana etiam plebe, cogi viderentur. obuiam magistratus ire non poterat, inter strepitus tibiarum & cantuum, non audienti turbæ. tentauit Pater Rector ecquid efficere posset. cum alijs decem, stato die, in forum venit, & (quod remedium dissociandæ multitudini) quasi suū quisque ageret cœtum, explicare cœpit consultantibus placide ac benigne Christianam do

Etiam. diuino munere celsit infanientium  
 furor salutaribus præceptis. furiosæ mulieres  
 duæ, quarum constituerat altera sibi manus in-  
 ferre, vir item magicis artibus irretitus, post  
 salutarem confessionem criminum, mutarunt  
 mentem. puella non compos sui, omniaque  
 stulte agens; reducta ad sanitatem, pane  
 & aqua, quibus sacerdos bene antea dixisset,  
 vesci iussa. Sed & hoc mirum in homine ru-  
 sticano. Tadio vitæ prunum sibi arborem su-  
 spendio delegerat: cum ceruites cõderet in  
 nodum, suorum accursu prohibitus est: quinque  
 post mensibus mediâ nocte domo egreditur  
 necessitate urgente: virum cernit horribili  
 forma. ilicet, pauore subito tectum repetit le-  
 ctumque: aspicit idem monstrum, sentitque  
 pedum tactu. Tum denique se damnatum  
 credidit, dæmonisque potestati a Deo per-  
 missum. igitur restim expedit: & cum inieci-  
 set tigillo, scabello ascenso ac mox pedibus  
 prouoluto, ab ea se suspendit: conspicata hoc  
 factum tremula vxor, suppositis humeris  
 sustinendo eius corpori, quantum potest con-  
 tenta voce, vicinos inclamat, dum tan-  
 dem abscisso homini laqueo spiritus redit.  
 accersiti cum essent nostri, repelluntur ab  
 insano: deinde ægre admisi sic tractarunt  
 exulceratum animum manu suspensa, vt om-  
 ne virus euomuerit: tum percepto Christi cor-  
 pore sit ab omni molestia exemptus. Alius e vi-



cino pago inter perpotandum cum diuersito-  
 ribus in cauponula vas vitreum frangit non ul-  
 lius pretij: solui postulat canpo, ille abnegat:  
 hinc lis, & rixa: mox galerum arripienti taber-  
 nario, vt esset pro pignore, hic qui mero ira-  
 que incaluerat, cultrum improuiso ictu sic adi-  
 git in viscera, vt animam auferret: e vestigio  
 captus tractusque in urbem, intellexit illico  
 se capitis damnandum. ergo amenti furore vo-  
 eiferatur, malle se viuum detrudi ad Inferos,  
 quam a carnifice attingi: persuadet interea  
 dæmon, vt damnationem morte præuertat:  
 nec mora, detractum sibi cingulum circum-  
 dat gutturi, dein astricto nodo, in diuersum  
 tendens violentas manus, spiritum exprimere  
 conatur. non deserit in hoc conspectu miserum  
 Angelus custos, vt sentiri magis, quam videri  
 posset: ad meliora consilia hortatur, simul ef-  
 fractum cingulum e collo cadit: illi tamen an-  
 te oculos publica ignominia: connectit nodo,  
 rursum aptat faucibus, conatu irrito, quod ex  
 æquo non obstruerentur meatus: hoc magis  
 totius concussu corporis, manuum pressu, &  
 illiso capite ad parietem scamnaque, vt in te-  
 nebris (plena erat nox) quamcumque viam  
 quaritat ad mortem. nec deerant interiores  
 affatus boni ab Angelo: non in uanum iacti:  
 collegit enim se: experrectique custodes ad so-  
 nitum ianua pedibus percussæ, inueniunt se-  
 maniamem: cui, vt effusa aqua spiritum red-  
 didit

didit, accitus est vnus e nostris diluculo, vt mi-  
fero adesset. difficilis fuit prima aggressio: ita  
horrebat præsumptum. animo infame genus  
interitus. sed tandē sacerdotis patientia per-  
suasit pœnitentiã reo: effectumq; vt cū ijs recon-  
ciliaretur, a quibus se violatū putabat. hinc au-  
tē ciuū erga nos beneuolentia mirum in mo-  
dum, vt nec priuatim, nec publice, hac difficul-  
tate tēporum, quicquam statuant nobis incon-  
sultis. Urgent interim Burdigalenses, in con-  
uentu Aquitanix, nostrum reditum, saltem vt  
institutores iuuentutis minime desiderentur.  
re dilata, misere huc liberos nonnulli. Excurs-  
sum quoque Quadragesima in vicinum oppi-  
dum sancti Asterij: et ex concionibus, explica-  
tioneque doctrinæ Christianæ, consecuti fru-  
ctus expectationem vicerunt. Ceterum poste-  
riore anno, pluribus tentatis morbo, ereptus  
est vnus, & in principem ædem vrbs illatus,  
nobiliore ciuitatis parte, cum Clero magistra-  
tuque prosequente. nec de sunt eius discipuli  
(Philosophiam docebat) qui explere cupiant  
locum magistri: sed eorum votis obstat in præ-  
sens inopia Collegij.

DE MACARIENSI hæc pauca. Capita-  
les inimicitix, quæ his regionibus frequen-  
tes, extinctæ. Pœnitentium numerus celebri-  
oribus festis, & quot Calendis, non exiguus. vi-  
ri duo ex cacodæmonis seruitio, cui se nexu  
obligauerāt, erepti. adiuti, auditique ægrotan-



tes. quidam ex ijs, nostrorum precibus, alij sigillaribus agni cereis receptam valetudinem se debere profitentur. Honesta quædam mulier ac potens ab vltimæ fortis homine contumelijs affecta, nostrorum suasu non solum placabilem, sed benignam queque se præbuit, non parua pecuniæ summa, quæ ab eo debebatur remissa est & alia, oppido non procul, in visitandis fouendi que ægrotis, adiutandisq; pauperibus, mirificæ caritatis: vinctos in carcere propter æs alienum soluit, captos a prædonibus redemit, aliaque præstitit, nostrorum consilio vta, quæ & sapientes admirentur. ipsa suo corpori adeo intensa, vt in eius castigatione sit sapius coercenda: sic porro affecta erga Catholicos ritus, vt vnicum filium ex testamento exheredem esse iubeat, si tantulum a recta fide deflectat. Ceterum, hic quoque agnouere nostri prouidentiam diuinam. Vnus ter lapsus in manus hostium, ter Dei beneficio liberatus est. alter cum faceret iter per loca ab hæreticis obsessa, nūquam intermisit quotidianas preces recitare e libro, Domino videlicet fretus, cui pensum sol-

uebatur.

PRO

P  
m  
i  
l  
o  
o  
V  
T  
gin  
cup  
nes  
ab  
or  
tiu  
fer  
dis  
sec  
re  
pa  
ta

PROVINCIA

ARAGONIA.



OCIS NOVEM, prio-  
re anno, socij ducenti tri-  
ginta quattuor. postero-  
re, decem Domicilijs, ducē-  
ti quinquaginta sex. Minue-  
re numerum omnino no-  
uem. Auxere quadraginta  
octo. Reliqua seorsum ponemus.

VALENTINA PROFESSORVM

Domus, & Collegium.

TRES, A VT sex, supra triginta in Va-  
lentina Domo: ex his minimum duodeci-  
ginti in proximorum commodis vtiliter oc-  
cupati. Diebus destinatis pœnitentiæ concio-  
nes habitæ in primaria vrbis æde, & in altera  
ab hac secunda. cetero anno, in alijs extra-  
ordinariæ permultæ. Habita & ratio ægrotan-  
tium in nosocomio, domibusque. Opera præ-  
sertim conspecta in cõdemnatis reis reuocan-  
dis ad animi firmitudinem: sic, vt interdum  
sedecim e nostris, vno tempore, in eodem ope-  
re versarentur. Vitiorum laqueis erepti non  
pauci. inueteratæ inimicitæ odiaque de posi-  
ta. Cetera similia. quamquam si nihil esset

aliud,



aliud, satis celebraret utilitatē huius Domus Sodalitium sancti Spiritus, de quo nos olim, quarto abhinc anno. Constat viris principibus fere sexaginta. priore anno ducentos: altero amplius trecentos, omni destitutos humana ope homines, e vinculis liberavit. Vna res, quæ simpliciter tamen dicta magnitudine plures vincat, et si sermone ornentur. Instituta & Sodalitas altera festis diebus sacramenta frequentantium: magnum pietatis incitamentum. Excursum in vicinos pagos, ad extremos vsque regni fines, Oriolanum versus. Multis atque in his duo Ecclesiastica dignitate, cum inimicis in gratiam rediere, aliena redhibita, Concionantium mira approbatio & fructus, Confessiones audientibus nullus per otium dies exiit, nec deerant, qui cum lacrimis pollicerentur daturus operam, vt nunquam referrent mores, quos semel extulissent: quasi ante hanc se diem Christianos fuisse non putarent. Primarij passim viri nostros fama tantum antea cognitos destinare concionibus habendis in futuram Quadragesimam, ita spes utilitatis desiderium accendit.

IN COLLEGIO triginta vnus: altero autno duodequadraginta: horum propria iam est puerorum eruditio, neophytorumque in summis capitibus nostræ legis, ex fidei Quæstorū præscripto. Beata Mariæ Sodalitas, sacerdotis olim obitu dilapsa, reuocata in speciem pristinam

pristinam, anno posteriore, ad diuerberatio-  
nem hebdomadariam addita terna singulis se-  
ptimanis Quadragesimæ. scilicet, dum subigi-  
tur corpus, anima efflorescit,

COLLEGIUM CAESARAV-  
gustanum.

**S**OCCI quadraginta octo. Eadem hic  
quoque voluntaria afflictatio corporis, nec  
semere de proximo repetenda. Habita in tem-  
plo Xenodochij totius Prouinciæ celeberrimo,  
quotidiana concio, ieiunio verno, magno  
quamquam plausu, maiore fructu. hoc enim  
sacerdotis nostri studium, non vt delectarent  
verba, sed prodesse. Multis locis de more  
expositus Catechismus. Carcer vterque adi-  
tus, & firmati fontes ad patibulum ducti. Ad  
tollendum dissidium ciuitatem inter ac proce-  
res regni, non parum momenti habuit nostro-  
rum opera, fidesque. ex eo maior in multis So-  
cietatis fama: ac vicissim multorum nostrum  
erga Collegium beneuolentia. eam cum saepe  
alias experti sumus, tum superiore anno, in no-  
stro Prouinciali conuentu. Eleemosynæ nomi-  
ne plus mille aurei contributi. Obiit etiam pa-  
gi vtroque anno, sed maxime priore: decem  
enim sacerdotes adierunt populos plurimos,  
ad radices ac latera montis, qui ab lacca per-  
ueterem vrbe nomen inuenit: repertique, siue



quia deuij, siue quia incuriose habiti, fere inculti. Ergo in hoc vnum ibant nostrorum dies, in hoc etiam plerumque noctes: hoc opus eorum erat, hæc cogitatio, vt, quantum fieri posset, omnes ad pietatem excolerentur. in quodam oppido, vnus, qui præter ius fasque magnam pecuniam collegerat, publica præconis voce pronuntiari iussit, quæcumque fraudasset, restituere paratum fore, alter adductus, vt in templo coram populo, quam ficti criminis infamiam aspererat sacerdoti honestissimo, ingenua confessione deleret, in hos omnes populos introducta cõsuetudo, vt Curiones, cum antecedentium puerorum agmine per vias publicas, religionis rudimenta diebus festis in templo exponant. Sacerdos vnus missus in natalem patriam refouendæ valetudini, non inutiliter ibi cõmoratus, adduxit ad perceptionem Eucharistiæ omnes, qui idonei essent: octoginta audiit de peccatis totius vitæ; aleæ lusus, & iurifurandi peruersam consuetudinem expulit: similtates extinxit: sacerdotem polluentem dignationem ordinis ad emendatiorem vitam reduxit: nonnullis eiicendarum pellicum auctor fuit: Bacchanaliorum insaniam represit. Ac ne multis optandum erat vnum agrorasse corpore: vt dum dat valetudini operam, consanescerent animi multorum.

**BILBILITANVM, ET GANDIEN-**  
se Collegia.

**B**ILBILI, primo anno vndecim: secun-  
do plures. illo, ingens imber lapidum (ver-  
ba hæc sunt e capitibus transmissis) ac flumi-  
num inundatio segetes ac vineas corrumpit: se-  
cundum hæc, communis quadam morbi vis mi-  
serandum in modum ciuitatem afflixit. Non  
desuere nostri morientium auxilio, decumben-  
tium solatio: diuinaque proidentia factum,  
vt quo prodesset pluribus, nemo ægrotaret.  
Altero anno, ex anniperfarijs concionibus ie-  
iunij maximi, mira confessionum generalium  
multitudo. Calēdis Octobribus diē suum obiit  
Rodericus Zapatus ab eleemosynis Ecclesie  
Cæsaraugustanæ, & a consilijs Philippo regi,  
nostri ordinis, dum viueret, studiosissimus:  
quod & ostendit in morte, cum heredem Col-  
legium ex asse fecit, ita, vtroque anno, in illa  
tristitia temporum, nihil desuit nobis, super-  
fuit potius aliquid, quod in egenos deriuaretur.  
Crescit Congregatio discipulorum nume-  
ro, ac virtutum exemplis. Bis excursus in lo-  
ca vicinā, in quibus omnes fere incolæ animas  
confessione purgarunt.

**A**T GANDIAE non pauciores trigin-  
ta. Priore anno omnium spectata virtus, cum  
diuturnæ ac permolestæ tertianæ febres in



hanc urbem incubuerunt: vt cum sociorum numerus non esset fatis, Valentini accurrerint in partem laboris: ac prope inter eos certamen esset industria non inutile ægrotantibus. omnes conualuere. In hoc Collegio Seminarium est nostrorū Græce Latineque discendum, quæ alios doceant, magna non solū spe, sed specie profectus: e scholis posteriore anno in societatem admissi tres. in alia Cœnobia plures. Nostræ professionis munera nihil intermissa populis ad pietatem informandis, audiendis confitentibus, nodis dissoluendis, componendis rixis, inopibus, quorum hic magna copia, vel ex nostra re tenui familiari, vel ex aliorum liberalitate (in quibus Dux Borgia enituit) copiose sustentandis. Nec finitimi pagi (hi plures numero sunt) sacerdotum nostrorum opera caruere. Neophytorum agmina (eorum proles, his locis, in dies succrescit) instructa ad Christianam doctrinam. opus magis in rem solidum, quam splendidum in speciem.

**DOMVS PROBATIONIS TARRACONENSIS, & Gerundense Collegium.**

**TARRACONE** vndecim, duodecimue. non dum enim alendis Tyronibus idonea domus. itaque persequemur breuiter cū alijs

Domi-

Domicilijs cōmunia. Virgines duæ, quæ apud nos sacra vsurpabant, abdidērunt se in Dei penetralia, quo liberius relictis omnibus vni famulentur. Viros inter magnæ auctoritatis, odiorum semina, quæ creuerant ex mutua diuersis temporibus scloporum displosione, nostrorum conatu, ne fruticentur amplius, euulsa. Priore anno Calendis ipsis Ianuarijs illustriſſimus huius vr̄bis Archiepiscopus operatus in nostra æde, apud nos familiariter præſus, sub finem, cum vario sermone relaxantur animi, sexcētos nummos argenteos Patri Rectori in manum dedit, totidemque pollicitus est in menses singulos, ædificationi promouendæ: quæ posteriore perfectâ demum est, & peristylijs peregregie ornata. Ceterum, quod semper metuebatur, ne vitium domus, rimasque paries ageret, accurate prouisum. Concionator ieiunio quadraginta dierum sic probatus est, vt in alterum annum communi consensu ordinum flagiteretur. Instituta studioſorum Sodalitas, auctaque indulgentia summi Pontificis: quâ Episcopi quattuor, qui ad synodum conuenerant, sua præsentia honestarunt: iidem cum Archiepiscopo nostro apud nos cibum sumpserunt, audieruntque pomeridianam Latinam orationem de Sodalitatum causa, & fructu: quam ita laudarunt, vt gratias agerent dicenti.

GERVNDÆ circiter viginti. Hic quo-



que simpliciter pauca dicemus, quædam enim fati est indicasse. eadem extiterunt, quæ in alijs Collegijs, more institutoque maiorum, Societatis officia, siue infirmus, siue inops, siue puer rudis implorauerint opem. Iis, qui carcere attinebantur, pane fa ne morientibus subuentum emendicato cibo. Vtroque anno post Philosophiæ decursa spatia in Gymnasio nostro, in templo grates numini actæ: percepitque Eucharistia ab ijs, qui desudauerant in cursu: a quibus & epulum vini etis datum, pecuniaque in elemosynam collata est. Conciones in æde nostra, alijsque, frequentes iuxta, vtilesque. Crebrum sacramentorum vsum auxit Iubileum Pontificis: quo tempore sacerdotes duo in propinqua loca dimissi ea rettulerunt, quæ intelligi magis, quam legi decet.

### COLLEGIVM BARCINONENSE.

**V**IGINTI quattuor anno prior: altero excreuit numerus ad quattuor & triginta: Pestilentia, de qua proxime memoratum, abeunte cum fine anni, ad urbem qui diffugerant, & nostri ad intermissam curam docendi reuerterunt. reuocata interim mysteriorum celebritas, templique. Catechesis Christiana pueris restituta, iubente Antistite ex urbanis elementarijs accessione facta. Scholæ Theologicæ aliquanto serius repetitæ, tertio

nonas

nonas Martias: citius tamen aliquanto, quam  
 in Academia publica. auditores centum vigin-  
 ti quinque: Sodalitium beatissimæ Virginis  
 amplius factum: decem supra ceterum postero-  
 re anno censi: Priore Septembri exeunte tri-  
 ginta viri huc appulere binis triremibus Tur-  
 cicis onustis gaza: desertores ipsi olim veræ  
 religionis, mox pœnitentiâ ducti, diuina ope  
 captiuorum auxilio, interfectis hostibus qua-  
 dringentis, sese ex eorum, dæmonisque pote-  
 state eripuerant. reformati omnes, labore no-  
 strorum, propter linguarum varietatem, non  
 paruo: sed respondit fructus: expiati anima-  
 rum sordibus, refectique pane cælesti, magna  
 sua cum lætitiâ, & gratulatione ciuitatis,  
 in suam quisque patriam rediere. adiuti a sa-  
 cerdotibus duobus pagi complusculi felici ex-  
 cursu. Atque hæc fere anno priore. Posteriore  
 admissi in Societatem quattuor. Theologiæ  
 candidatus vnus optimæ spei adolescens. in  
 nosodochijs, in carcere, in lectulo ægrotans,  
 nemo nostram operâ frustra desiderauit. Ex-  
 trema Quadragesima Galcorandus Borgia  
 Montesianorum equitum magister, Patris no-  
 stri, piæ memoriæ, Francisci germanus frater,  
 in nostras ædes sese abdidit, vt in se ipse rece-  
 deret, ac diuinis rebus semotus a strepitu vul-  
 gi commodius vacaret. visus est se compara-  
 re ad mortem, quam postero anno obiit. No-  
 bilis fidem virgini datam fallebat: is, cum pau-



cis ante obitum diebus, vno e nostris interprete, eam vxorem duxisset, magnas contentiones sedauit. Excursio in pagos, & aliquot præterea oppida, vicosque Pyrenæi agri, non inutilis visa. Pax conciliata quodam in oppido, cui non nisi bella cordi. reddita quæ bona fide non habebantur. instituta frequens sacrorum vsurpatio capit in dies maiora incrementa. Hinc exortum fundandi Collegij studium oblata pecunia, & vtensilibus domus: res vtilis genti intestinis odijs iam diu laboranti. Nobiles viri duo, qui annos aliquot fuerant: factionum duces, remissis vltro citroque iniurijs, foedus amicitia inierunt. alter eorū adeo in melius mutatus, vt, absque vxore esset, vel assentiente illa, libenter in Cœnobio consecraret se Deo, & fortasse apud nostros: quibus res suas omnes reliquit. Collegio extruendo, si sine liberis decesserit. Bulbastrensis Episcopus, in cuius diœcesi oppidum est, de oppidanorum studio instituendi Collegij recepit ad Regem Catholicum litteras daturum. Redeo domum. Toto anno bis, ter Quadragesima, quot hebdomadibus, repetita in templo nostro consuetudo flagellorum, vno e nostris breui aliqua narratione veteris historia, quasi virtutē accendenre. Sacerdos vnus totius antea actæ vitæ confessiones quadraginta excepit. ex quo spectes aliorum numerū, qui in eadem opera assidui. Ex ijs, qui socijs

nostris vtuntur, in varijs familijs se Deo man-  
ciparunt, amplius viginti. Horum vnus Ca-  
paccinorum ambitor, vt voluntatem suam  
apud illos exposuit, in regressu ad urbem a  
mulierculis duabus, ni potius a dæmone sub  
nota forma, blandè appellatus, postmodum  
etiam tentus manu iniecta, turpis flagitij ma-  
culam pedum celeritate victor effugit. Virgo  
clara genere, pridie quam a parentibus viro  
desponderetur, virginitatis tuendæ studio, mi-  
tato habitu ad beatissimæ Virginis in Serra-  
to monte ædem conténdit: hic prostrata an-  
te aram vouet perpetuam pudicitiam obni-  
xe: dein se tota sacerdoti nostro Barcinone  
detecta, data opera est, vt tuto honestoque id-  
co seponeretur. Ceterum, Ilerdæ etiam qua-  
draginta diebus ante Pascha sollempnis ieiun-  
nii, concionum, confessionum, Catechismi,  
aliorumque munerum non exiguus fructus  
fuit. pacificati viri nobiles duo, e quorum si-  
multatibus magna incommoda metuebantur.  
e iuuenibus, qui in ea operabantur liberalibus  
studijs, iuris civilis studiosi multi in varios  
religiosorum ordines, Theologi duo in no-  
strum admissi.

BALEARICVM & TVRIASONENSE  
Collegia.

VIGINTI quinque, dein viginti duo Ba-  
learibus, Annus prior pestiferum Aurum-



num toti insula inuexit, cum strage multorum: nostros, quæ fuit Dei clementia, reliquit intactos. Vigent studia litterarum, additus professor Philosophiæ, alter Humanitatis, aucto discipulorum numero cultuque. Rhetoricæ ac Poeticæ nõ raro specimen datum, cõnestitis parietibus ingeniorum pulcherrimo paratu. ex his in nõstram familiam quattuor vno anno adsciti, in alias aliquot missi. Sodalitas Dei matris, ne festis quidem diebus feriatur: adeo crebra est exercitatio habentium orationes, ac publice disputantium. Insulanorum non parua erga nos beneuolentia: exædificatum eorum liberalitate Collegij mēbrum, magno cõmodo nõstrorum. Hæc inter, conspecta etiam alia munia Societatis: Verba facta Quadragesima tota primario in tēplo: nec transiere cum plausu, se insinuauere cum fructu. mulieres aliquot a meretricio ad sacramentorum frequentationem traductæ. nõ minor vtilitas fuit ab exponente doctrinam Christianam. Carcer & publica pauperum domus singulis inuisuntur hebdomadis, & absoluntur permulti nexu animorum. Reliqua exigere, quæ sunt communia, non necessarium reor.

T V R I A S O N E N S E Collegium nouum est, vbi, aut quale, quoniam nunc non accepi, perscribent post hac alij, maiore otio, accuratiore stylo. Huc, euocati nostri ab Episcopo

scop  
dote  
ac  
his  
num  
in X  
cion  
tem  
pta.  
dole  
vind  
volu  
lex v  
Col

A  
pra  
li in  
vigi  
Adf  
ta. a  
nihil

CO

T

scopo, venerunt septem, in his quattuor sacer-  
dotes: tres assidui in concionibus apud urbē,  
ac suburbanos pagos. Fidei elementa nouus  
his locis docendi vsus magno clamore homi-  
num ac fauore exceptus. Excitati pauperes  
in Xenodochio ad patientiam, firmatque con-  
cionibus. Iuuentus litteris dedita ad pieta-  
tem, & castigationem corporis inuitari cœ-  
pta. Philosophiæ thesēs defensæ a populari a-  
dolescente in æde summa, vno è nostris quasi  
vindice in dissoluendis nodis, magna omniū  
voluptate. Templi futuri ornamenta, & supel-  
lex varia in dies augetur. nimirum hæc initia  
Collegij in magnam vtilitatē ac speciē ituri;

## SARDINIA.

ARAGONIAE appendix Sardinia:  
Quattuor diuersa per loca socij octo su-  
pra centum. Sassari quadraginta tres; Cara-  
li in Collegio triginta; in Domo Probationis  
viginti; in Ecclesiensi, & Algarensi octoni.  
Adsciti in Societatem sex. Tres excessere e ui-  
ta. anno inquam priore. nam de posteriore  
nihil habeo.

## COLLEGIUM SASSARITANVM.

TERTIVM inchoatum Sodalitium Dei  
genitrici sacrum, magno ciuium bono.

Do-



Dominica proxima Quadragesimæ initium dedit. ita quos dies alii indulgentiæ corporis, Mariani sodales animorum exercitationi dedere: vt uix quemquam inuenires extra limen Collegii. et peruagata est Sodalitii fama, in reconciliandis dissidentibus iam utilitate perspecta. E concionibus confessionibusque fructus illi sollemnes. In promulgatione Iubilei ter mille communicarunt. restitutum æ iniuste alias retentum. rettulit vnus aureos sexcentos sexaginta sex. a turpi muliercularum consuetudine aliqui se subduxere. virgo votum castitatis amplexa. altera ambitioso corporis ornatu ac pulchritudine illex multorum cupiditatis, vt nec ipsa ab summo periculo longius abesset, transtulit se ad animi cultum, & amorem Dei. Frater ac soror a mutuis simulatibus añorum quattuor abstracti. Vinctorum corporibus animisque persæpe vtiles visi sumus. Concionatores quattuor diebus verni ieiunij, duo etiam in flexu æstatis, multos lustrauere pagos, serentes Dei verbum, simulque manipulos reportantes, Cohibita peccandi licentia: pacati que discordes. hæc, & alia similia. Ceterum occursum est malo tumentis, si adhibita contatio esset, magnam perniciem allaturo. Venerat in hanc urbem ex regione externa adolescens annorum septemdecim, manu & artificio ægre vitam tolerans (erat vitriarius) de formi corpo-

re.ve  
dia in  
dant  
ferm  
a mu  
la p  
dam  
guen  
ego  
Lutl  
fore  
tent  
dab  
inan  
ferm  
vt e  
gué  
gno  
stru  
prel  
sed  
pug  
lica  
CO  
T  
nift

re: verum eo acumine ingenij, tantaque facundia in tenui licet panno (vt res pōstea docuit) dæmone vim suggerente & verba, vt omnibus ferme miraculo esset. Dum audiretur cupide a multis, & conciliaffet sibi amorem vulgi illa profluentia loquendi, interiacciebat quædam, propter quæ præstabat illum esse elinguem, aut eos surdos, qui interessent. parcam ego quoque, ne ea enuntiem, auribus uestris. Lutherum diceres, breuique exitium, si assensores habuisset, insulæ totius. Sed diu non latent scelera. Vna ex iis quæ aures garrienti dabat muliercula, vt sunt fere omnes faciles inanibus, in sacerdotem nostrum incidit: in sermone fundit verbum paulo insolētius, quæ vt existimares fortuito lapsum. hic latere anguē ratus noster: nec res sefellit: requirēdo cognoscit arcanam doctrinam, atque eius magistrum. re delata ad fidei Quæsitores, reus comprehenditur, nec confessionis solum remediū, sed & pœnitentiæ libere complexus, quam expugnatum temerarius ibat, respexit Catholicam fidem,

COLLEGIUM CARALITANVM,  
& reliqua.

**T**ENTATIS fere omnibus morbo, enituit laborantium patientia, & caritas ministrantium. defuncti sacerdotes duo, fere columi-



Jumina Collegij, Georgius Pasius, & Antonius Montanus. Luctuosus vtriusque obitus omni hominum generi, ordinique: id facile discerneres in certamine mæroris. Ceterum ad communes exercitationes Societatis accessit hoc anno, necessitate suadente, procuratio pauperum, ne fame conficerentur; Collectis ditiorum liberalitate eleemosynis præpositus est vnus e nostris, remque prudenter gessit, cum admiratione omnium, sine vlla querela. studebat nosocomio præcipue, et custodijs publicis: quod erat turbæ precario victitantium, ad sex menses de Collegio victum petebat: ij ducenti initio, mox valescente inopia, & confluentè vicinia, numerati trecenti septuaginta: quorum etiam animi pascebantur. res omnino utilis, & procurator acceptus; vt multi propterea large submitterent, quod in egenos tribueretur. egit idem cum magistratibus vrbis, quod alioqui difficile factu videbatur, vt annuus constituatur census pupilulorum sustentationi. hinc multorum subleuata egestas, & peccandi in pluribus occasio oppressa. in æde maxima paræcijsquæ de rebus diuinis sermones habiti, totius vitæ sordes aperiendo abstertere quamplurimi. Pagi interim non neglecti: hoc in opere, præbyter, qui Archiepiscopi imperium detractabat, nostrorum hortatu erratum agnouit, seque in vincula ultro coniecit, unde & Antistite placato breui

ereptus. A prima adolescentia quidam rixis exercitus, exul errabat: hic quoque ad frugem reductus nostras scholas frequentat. Mulier duobus amissis liberis orbitatis impatiens se se demoni addixerat; hanc prudenter allocutus sacerdos ad saniora consilia inflexit. Duo qui propter diuturnum litigium agri diuortium fecerant animorum, ad concordiam & pacem reducti. Consultum pauperibus, ac publico eorum hospicio, ut meliore cultu esset.

PROBATIONIS Domus eodem malo æque affecta, sed sine damno defuncta est. Inter eos, qui se nobis adiungere, singularis fuit unius constantia. Viduæ matri unicus erat multorum cognationibus innexus: ut ad nos animum appulit, ita ægre latum ab omnibus, ut auunculus, qui tunc Romæ uersabatur, rem ad Pontificis Vicarium deferret: seductum adolescentem blanditijs, & alia id genus calumnians. Placuit Magistro nostræ Societatis filium ad matrem remitti: ut ipsa, cognatique de eius consilio una cognoscerent. hic arcti complexus, et, quasi receptus postliminio esset gratulatio: dein, ut immotum videre, uerba in dolorem lacrimæ, ac preces: quæ dum frustra funduntur, ac tenetur tempus, pius adolescentens, cælestium cupitor, prociuens in genua, omnibus coram, improuiso ausu, sed opportuno, clara uoce, uotum uouet immortalis Deo, ineundæ Societatis: quo uerbo præcisa



spe omnibus ut mutaret aliquando cōsiliū,  
& castigato fletu parentis, ad inceptam Chri-  
sti militiam animosus tyro reuertit. Sunt ea-  
dem in domo veterani aliquot, & in externo-  
rum utilitatem se effundunt. Mulier a laqueo,  
quidam a desperatione uitæ, quemadmodum  
loquebantur ipsi, ut renuntiarent curis mun-  
di, ad spem vitamque meliorem reduci. Ad-  
cum marito, ut uxori, de qua interficienda co-  
gitabat, satisfaciendi ueniam daret. Multo-  
rum animi inuicem pacati. Fraternalia duorum  
odia restincta, altero ex ijs impulsio, ut sponte  
peteret alterius complexum: et nunc mutua  
beneficentia successit in iracundiæ locum.

IN EGGLESIENSI, Catecheses,  
concionum, confessionum, & in hac caritate  
annonæ, sustentationis pauperum, non medio-  
cres fructus. Aes male partum dominis reddi-  
tum. Pax primarios inter viros eo utilius con-  
stituta, quo maius periculum imminabat.

IN ALGARENSEI eadem. Gramma-  
tices scholæ progressio non pœnitenda. Con-  
cionatus vnus quadraginta diebus ante Pas-  
cha in principe templo: neque ostentauit stre-  
pitum uocum, sed vim spiritus & ardorem,  
qui in eo loquebatur. factum proinde, ut vitia  
non excusauerint plurimi, sed excusserint, ma-  
gnoque animo ab se eiecerint, tamquam non  
amplius reditura.

609

P R O V I N C I A  
C A S T E L L A N A .



**N**VMEROSA Prouincia, si-  
ue Domicilia spectes viginti:  
siue socios supra quingen-  
tos, viginti anno priore: po-  
teriore, sex. Id causæ fuisse  
redo: quod illo acceptis in  
Societatem undecim, Deo redditi fuere sede-  
cim. Altero autem anno, etsi De isto reddi-  
tis vno & viginti, viginti sex accepti fuere,  
in Indias tamen missi octo. ita minor aliquan-  
to factus est numerus: vim suam semper re-  
tinente fructuosa opera nostrorum.

V A L L I S O L E T A N A

Domus Professa.

**N**VMERVS [sociorum fere qui alijs an-  
nis: circiter quadraginta. In instruendo  
perpetuis concionibus ad pietatem populo,  
audiendis, sacro Christi corpore reficiendis  
pœnitentibus, instituenda pueritia ad religio-  
nis præcepta, in vinctis, ægrotisque in valetu-  
dinario inuisendis, edocendisque, in adiuuan-  
dis ijs, qui in lectulo patibuloque moriuntur,  
sollemnia officia. Atque, vt aliquid excipiam,

Qq      mulieres



mulieres quattuor a lustris ac libidinibus extractæ. Aliæ non pauciores, quæ incumbente egestate in castitatis proposito vacillabāt, nostrorum hortatu, ac liberalitate optimæ feminae Magdalene Villoæ in suscepto sapienter consilio firmatae. Piorum Congregatio, quam adumbratā proxime scripsimus (Christiane caritatis officium eius, nomen Annutiatae Virginis) priore anno a Patre nostro Generali missis litteris Apostolicis constituta est. ad eam non nisi viris expertæ virtutis aditus patet. ij iam sexaginta. inter se distributa muñera habent. pars Xenodochij curam gerere: alij visitare in carcere detentos: sunt qui ignavam plebem ac male feriatam, diebus sacris officij component, adducuntque ad Christianum opus ac munus. hi mulieres a meretricia arte abducunt aut cogitata, aut etiam exercita. illi denique alijs rebus curam intendunt, prout quemque ducit studium aut voluntas. magna ab omnibus in publicum utilitas, privata diligentia. Non omittendum sodalis iuvenis exemplum. Cum ad Societatem nostrā, quam expetierat olim, non fuisset admissus, totum se diuinarum rerum meditationi, castigationi corporis, procurandæque proximorum utilitati dedit. modico ipse ac contempto corporis cultu, misericordia tantum sumptuosus erat: ea demissione animi, ac modestia sermonis, vt sanctimoniam spiraret: non formidare

peri-  
tion-  
nesi-  
Obil-  
ueni-  
vias-  
tum-  
Xen-  
dese-  
min-  
ces,  
ling-  
sed-  
ficij-  
deb-  
dem-  
mul-  
reis-  
ligi-  
fuisse  
a no-  
cor-  
fano-  
lit-  
que-  
uiss-  
mil-  
bus-  
qui-  
reu-

pericula, non rumusculos vulgi, non obrectationes maleuolorum: dum per multorum beneficia diuideret operam ac pecuniam suam. Obibat noctu interdumque urbem, si quem inueniret debilitato corpore, aut iacentem per vias, implicitum manu, aut, si opus foret, sublatum humeris, domum suam inferebat, aut in Xenodochium fortasse: sic vt eius curam non desereret. ita porro libens ac sedulus in hoc ministerio erat, vt marcidas agrorum cicatrices, & purulenta vlcera exurgeret, lamberetue lingua, genuflexus, non modo sine stomacho, sed cum animi voluptate. quibus tamen in officijs, ne tantulum quidem a sacerdote discedebat, qui ei a confessionibus erat: donec tandem, bonorum magis dierum plenus, quam multorum, ad Deum concessit, mille fere aureis domui nostrae relictis. voluit nempe intelligi societatem nostram etiam morienti curae fuisse. Lustrantur interim & pagi, oppidaque a nostris, magna aliis commodam pariente eorum labore, priore anno, notum oppidum a sancti Sebastiani nomine fructuum primas tulit, nimia iuuenum libertas, qui otio desidiaeque corrupti dies in lusuibus, noctes in conuiujs ac saltationibus consumebant, coercita militum lasciuia repressa. ablata multis in rebus illecebra peccandi. inter matrem ac filios, qui exulabat amor praeter naturae ordinem, ac reuouentia redpeta. Catechesis instituta ma-



gno concursu . At narratio exemplorum , cuius  
 finis voluntariarum plagarum crepitus ,  
 sic accepta vulgo , vt præ audiendi desiderio  
 nullum se sponte cædendi tædium esset . Hoc  
 vsurpatum in singulis fere domiciliis satis e-  
 rit semel indicasse . Cœnobium in eo oppido  
 Dominicanorū satis nobile : a quibus & publi-  
 ce & priuatim magna erga nos benevolentia  
 signa . Oppidanis iniecta cupiditas Collegij . Eā  
 ad rem vnus e primoribus nouem aureorum  
 millia spondit . Anno sequenti , oppidum  
 aliud sacro Domini Auentu ac Quadragesi-  
 ma salutaribus præceptis instructum . in amo-  
 rem mutuum rediere inimici aliquot . mulier  
 culæ respexere amissum decus pudicitia . Sed  
 nusquam alibi magis cognita sociorum cari-  
 tas , quam vbi necessitas maxima erat . grassa-  
 batur populariter morbus , multisque absum-  
 ptis languerant officia ministrantium . at no-  
 stri ( duo erant ) ita ardentem exercuerunt mu-  
 nera pietatis , vt eos existimarent ægri diui-  
 no prouisu missos , ne in tanta sæuitia mali au-  
 xilio aut solatio carerent . quocumque se fer-  
 rent , vti cælestes medici , communi gaudio &  
 faustis acclamationibus excipiebantur . gratū  
 id quoque Episcopo , vbi , quod auditione ac-  
 ceperat , oculis vsurpauit . Ceterum poste-  
 riore anno absolutum est templum magna  
 gratulatione omnium : die sancti Matthæi con-  
 secratum est tanta lætitia frequentiaque , quā

ta cum esse solet maxima. huc Collegium Canonico-  
 rum, huc senatorum cœtus, huc lectif-  
 simus numerus procerum vr̄bis, huc religio-  
 sorum fere omnium ordines, plurimæque So-  
 dalitates vno agmine, vt e veteri æde in no-  
 uam sacrosanctum Christi corpus Sanctorū-  
 que reliquias sollempni carimonia inferrent.  
 & erant uia circum vestitæ peristromate, ele-  
 gantiumque emblemate carminum visendo.  
 nec deerant certis interuallis dispositi arcus,  
 aræque collucentes, pulcherrimo instructu.  
 vt propius ventum est, exierunt patres nostri  
 excepturi pompam, inducturique in templū:  
 quod interea plenum aduentantibus splendi-  
 disimo ornatu, insigni vocum suauitate ac  
 Musicorum concentu personabat, vt collecta  
 oculorum voluptas auriamque vna animos  
 inundaret. sequebatur populus admiratione  
 satur: nec tam facile oblitus est, quod tam  
 iucunde semel aspexit. frequentiam auxit lu-  
 bileum eo ipso tempore ad quinque annos in-  
 dictum Sixti Quinti Pontificis maximi cōces-  
 su. ita ex noui consecratione templi noua fa-  
 cta est ad sacrorum venerationem accessio.  
 Sacra etiam supellex aucta. Vir nobilis, cum  
 pro fecunditate vxoris argenteam pyxidem  
 uouisset magni ponderis, liberos suscepit,



VALLISOLETANVM & ANGLICANVM  
Collegia.

**Q**VADRAGINTA in Vallisoletano Collegio, dein triginta quinque. in Anglicano sex. breuiter Vallisoletanum expediã. Ad reliquas scholas accessit, priore anno, explicatio Aristotelis. Ex Virginis Sodalitio nõ pauci in varia Cœnobia ingressi.

**A T A N G L I C A N V M** Collegium Catholici Regis auctoritate, summaque regij Senatus, & Quæstorum fidei voluntate proxime institutum, nuper auctum est collegarum numero (ij iam quadraginta) annuoque vestigali: mille quadringentos octoginta in singulos annos Rex ipse per am- plo diplomate assignauit. Apparere cœpit fructus. Undecim ex eo numero sacerdotes spectatæ præter ceteros pietatis ac doctrinæ in Angliam missi: e quibus alij per aduersa tempestatum ægre ad terram appulsi: in sa- uiores homines feris fluctibus alij incidere: comprehensi in portu, mox dimissi, non sine numine, permanuit fama ad reginam eiusq; satellites. graue & atrox edictum intenditur in eos, qui hospitio acceperint, aut venientes non indicauerint. Exploratores interea dis- persuntur per itinera & vias, inquisitores circum domos potentium, per castella & vr- bes, vt ne detur ingressus aut latebra: sed per- uene-

tenerunt, manentque adhuc tuti, Deo custo-  
 diente: et qui formantur in Collegio, cogita-  
 tione ipsa periculorum, animosiores facti: pa-  
 rati omnes, nulli labori parcere, sanguinem  
 ipsum profundere, dum aut vita propagent,  
 aut interitu testentur Catholicam fidē. quā-  
 quam grauiā etiam pertulere multi terra ma-  
 rique, cum huc iter intendunt. vt minus mi-  
 rum videri debeat octo ex iis anno extinctos.  
 Vnus, cui Iustiniani nōmen, optima indole  
 animi atque ingenij, annum cum ageret septi-  
 mum decimum. captus ab hæreticis in Gal-  
 lia, habitusque in subterraneo vdoque loco  
 decimum fere diem in tenebris, ac morti  
 proximus, non inedia solum, sed multo ma-  
 gis quotidie admoto gladio faucibus, ni dese-  
 feret religionem, omnia magno animo con-  
 tempsit, dum tandem huc elapsus, paucis post  
 diebus reperto sine via ac laborum vita, feli-  
 citer quieuit. Aluntur autem in hoc Collegio  
 aliquot adolescentes ex Anglicana prima no-  
 bilitate. venerunt omnes sponte. at fratres  
 duo germani (vigesimalium tertium maior a-  
 gebat annum, minor septimum decimum) ca-  
 pti ab Hispanis cum Prætoria naue, non pro-  
 cul insulis, quas Tertias vocant, vbi de Col-  
 legio inaudierunt, huc se conferunt, vsque di-  
 uino beneficio, veram complexi fidem malue-  
 runt cum æqualibus institui in spem marty-  
 rij, quam paratam iā nauem in patriam con-



scendere, gratuiti reditus (si hoc potius vel-  
lent) a clementissimo Rege potestate cū aliis  
facta. Idem fere animus Anglis adactis ad  
triremes circiter nonaginta ad hunc modum.  
Octo ex illis, quos dixi sacerdotes in Angliam  
missos, e Gaditano littore soluerunt: eos dedu-  
xerat Pater Robertus Personius Collegii Re-  
ctor: offendit is eodem tempore inter Hispa-  
nicas triremes catenatos Anglicanos nona-  
ginta: nempe bello captos: eosque (misereba-  
tur enim hominum ac ciuium) cum permisso  
eorum qui potestatem habēt, quater, aut quin-  
quies alloquutus esset, ac docuisset modum  
procurandæ animæ salutis, ita permouit dicē-  
do, vt lucem veritatis omnes aspexerint. facta  
igitur Personio potestas eos cū Ecclesia, vbi  
absterfissent animi maculas, rite reconcilian-  
di. eo die ornati omnes noua veste indice or-  
diendæ vitæ nouæ, exceptique lautissimis epu-  
lis a Præfecto maioris Castellæ: quibus ipse,  
cum alijs uiris illustribus, ministravit ad men-  
sam: nihil inferius dignitate sua esse ratus,  
quod ad gloriam pertineret Catholicæ re-  
ligionis.

SALMANTICENSE, SEGOVIEN-  
se, Medinense, Collegia.

SALMANTICAE fere sexageni. In com-  
munibus non immorabor. Rixam inter pro-  
ceres

Ceres duos & quasi decretoriam pugnam vnus  
 e nostris d'iremit. refarcita inter alios duos  
 amicitia, quam disciderat colaphus ab altero  
 impactus. Commune etiam illud, quod qua-  
 draginta ijs diebus, qui sollempni cærimonia  
 Paschale tempus antecedunt, ter hebdomada  
 pium enarratur exemplum, ac propterea reti-  
 cendum, nisi affluentium multitudo supergres-  
 sa fuisset morem communem. Contigit aliquã  
 do, vt nobilis vnus, sine exempli, procumbens  
 in genua a sacerdote petierit medicamentum  
 animæ morborum. Oppida aliquot a duobus  
 in tradendis elementis fidei percursa, magno  
 labore docentium, maiore discentium bono.  
 Hæc priore anno. Altero, tredecim in nostrum  
 ordinem adscripti: aliquot alios propter an-  
 gustias ruinosa domus differre coacti sumas.  
 Tres e vita migrarunt: in quibus, Pater Fran-  
 ciscus Ribera admirabili vir ingenio, ac Theo-  
 logiæ præclarus in primis: eam sedecim an-  
 nos in hoc Collegio docuit: testes egregij libri  
 iam editi in vulgus: tanto minus eius fama cu-  
 iusquam testimonio indiget, addam hoc (quod  
 et scire erit vtile) tanta fuisse virum religione,  
 & quod consequitur, demissione animi, vt no-  
 solum adiunxerit (quod quidam difficile ef-  
 se opinantur) sed etiam subiecerit pietati do-  
 ctrinam.

SEGOVIAE, super viginti, quattuor,  
 aut septem. Posteriore anno sacerdotes duo,  
 & fra-



& , frater Latinae linguae professor defuncti. E discipulis non pauci in varijs religionum ordinibus Deo nomina dederunt. Multorum reconciliationem, restitutionem a ris alieni, ad iutos, qui in carcere ac valetudinarijs tenebantur, qui admissa scelera capitis poena luebant, aliaque id genus praestita, suburbanam denique villam exultam Quadragesima, experta cum esset ciuitas audissetque, magna voluptate suspexit.

MEDINAE, duodeciginta: deli vero triginta duo. Priore anno in ciues, posteriore, in nostros grassatus est morbus: ergo in illo caritatis, in hoc & patientiae specimen datum: nemo fere non agrotauit: Pater Antonius Larehus excessit e vita, designatus regimini Collegij Abulensis: in Societate expleuerat annos circiter quadraginta: mira dexterrate in conciliandis animis virorum illustrium. fuit omnibus ordinibus vrbis mors eius acerba: biduoque data opera funeri celebratione sacrorum. in domestica tamen agrotatione, non desuit vnus, qui quotidiana cura sultraret oppidum, vt indigentibus opem ferret. E Sodalitio sanctissimae Virginis duodecim delegere sibi religiosam vitam. Sodalitium autem duplex: alterum expositos liberos a parentibus alendi onus suscipit: alterum praelata Cruce diebus festis conuocat pauperes ad sacrum, & largitur sipe, nec deest benignitas

Abba-

Abbatis (nimirum illius, de quo olim scripsimus primis nostris annalibus) in eis a peccato absoluendis, sanctaque pascendis Eucharistia temporibus certis. Aemulatio porro harum Sodalitatum in rixam duos accenderat, quæ anno priore a nobis extincta est, magna gratulatione civitatis, redintegrata etiã amicitia duos inter mercatores primi nominis. Meretrix ad Deum conuersa, mox correpta morbo, eodem sacerdote nostro, quo ministro Deus erat usus, supremam opem ferente, mortua est. Vir illustris abruptus se a fertitio concubina, quod tulerat quattuor annos, multo rû offensa. Mitto breuiore excursiones: emittit enim vna in oppido non valde nobis addito. edocti pueri rudesque, sed reducta pax inter duos coniuges ita oppidanis grata accidit, vt tria concinnauerint cubicula, sumptusque necessarios decreuerint, quibus sex e nostris in excursione simili sustententur. Ceterû in hoc Collegium, conuocato cœtu, e Prouincia, Patrum, quæcumque necessaria essent ciues abunde suppeditarunt: quin & perspecta vtilitate e studijs litterarum, vicenos quaterternos tritici modios adiecerunt ad aliquot annos.



PALENTINVM, ABVLENSE,  
Burgense, Locroniense.

**P**ALENTIAE viginti octo. Summam accepi tantum anni prioris. Exculti non pauci meditationibus Societatis: inter hos vnus initiatus sacris octoginta aureos in bibliothecæ incrementum dedit. intra, extraque oppidum auditi multi de tota vita. discordiis aliquot finis impositus. vxor fugitiua ad virum reducta. oppidanorum erga nos beneuolentia in cõferendo tritico ad cibum, argento ad extructionem ornatumque templi, non ignota. In vicinos pagos ad dies quindecim profecti duo. restitutus nobis amor oppidi cuiusdam, qui sine iusta causa discesserat.

VIGINTI DVO, aut paulo plures, Abulæ. Conciones matutinæ ac pomeridianæ, in templo maximo, in nostro, in parœciis, in Monasterijs, diebus ritu anniuersario præcurrentibus natalem Domini & Pascha, habitæ frequentes, ac fructuosæ. corrogata pecunia subleuati inopes: ipsique ad officium reducti, adiuti multi, in carcere, in valetudinario, ad supplicij locum. spiritualium commutationum vsus non defuit: vtilitatem probauit noua viuendi ratio a commentantibus suscepta. mulieres tres a meretricio quæstu auulsæ. earum vna nuptui collocata. similibus, si  
quan-

quādo respiscerent, vt esset vnde viuerēt, pio-  
rum elemosyna prouisum: simulque cautum,  
vt ne aliqua turpitudini vitæ prætendant pe-  
nuriam victus.

BVRGIS, triceni. Archiepiscopus no-  
strorum consilio vsus ac labore in obeunda  
diœcesi. Seminarium instituit Clericorum, vt  
sacerdotibus succrescant in Ecclesiastici mu-  
neris functionem: vicinum est nostris ædibus:  
quo frequentius inuisuntur: ea multis causa  
frequentandi Gymnasij. Informantur ad ratio-  
nem vtiliter confessiones audiendi homines  
amplius octoginta. Curiones multi, vt rectius  
consulant curialibus, restituti ad frugem, in-  
stitutique præceptis. Ex occasione Catechis-  
mi in compitis ac plateis expositi septē a pec-  
candi consuetudine reuocati. Cum iustratur  
diœcesis cum Antistite, multa salubriter effe-  
cta: in quibus, & illud, vt tres militum cohortes,  
quæ nauigandi tempus expectabant, non  
conscenderent nauim, ni exonerata prius cō-  
sciētia recreassent animum pane Angelorum,  
quem ipsemet Archiepiscopus sua sponte por-  
rexit. Eius erga nos amor vel eo ostensus, quod  
centum quinquaginta modios tritici largitus  
est anno priore. at ciuium, quod vnus quin-  
gentos aureos, alter, rem omnē suam nos ha-  
bere voluit, anno posteriore. ex quo iam Col-  
legio melius fore in posterum arbitramur.

VICENI SEPTENI Locronij. Per-

strin-



stringam, quâdo posterior annus fuit, res anni prioris, Apertæ scholæ, oratione eleganti & eruditæ auribus digna præceptore aditum faciente. Sacerdotes quinque exercitijs spirituales vacarunt domi nostræ: ad cuius ædificationem attributi aurei trecenti quinquaginta: mille ac ducenti propediem sperantur.

P O M P E L O N E N S E, A R E V A L E N S E, Numantinum, Legionense Collegia.

**P** O M P E L O N E, sedecim, octodecimue, Maior, quâ pro numero, fructus, ita a magistratu, iudicibus, equitibus, exercitu qui hic in statione, ab omni ciuitate adhibemur, & accersimur, Grata explicatio doctrinæ Christianæ diebus sacris, patria lingua, ad concionem tanta multitudo, vt non templum, non proxima facella, non via publica capiat minimam partem. Discipulorum magna discendi diligentia, obseruantia in magistros, cupiditas Christianæ pietatis. Ad præscriptum Ignatij Patris ex nobilibus viris exerciti multi, ac de omni vita confessi. Isse aliquot vtroque anno diuersa per oppida, & alicubi dies consecratos Pœnitentiæ ac Decembrem mensẽ consumpsisse, salubre plurimis fuit. Populi in nos beneuolentia quotidie maior, ac notior. Sacerdos hortum ac vineam dedit æstimabile bis  
milli-

millibus nummum. bibliothecam promisit al-  
ter post obitum, cuius pretium aurei mille-  
Nam res ab vno datae quarum summa aureo-  
rum tercentum, Biblia Complutensia quanti-  
uis facienda, ab alio, inter minutiora cen-  
seantur.

IN AREVALENSI, noueni. Excitati  
aliqui ad castimoniam studium. vnus ab impe-  
tu sibi consciscendae mortis deterritus. pacati  
discordes. adiuta agrorum, qui posteriore an-  
no plurimi fuere, corpora animique. nec deser-  
ti moribundi. rustici edocti, quae sunt scitu ne-  
cessaria, singulis hebdomadis, die nudinarum  
in emporio ipso. Fuit & suus excursionibus  
fructus. Obijt posteriore anno Ferdinandus  
Tellus Collegii fundator: ac pietatem illam,  
qua semper floruit, praestitit maxime in sermo-  
nibus ac rebus extremis. Supremum viaticum  
non in lecto quiescens, sed (fere inuitis viri-  
bus) excepit, cum se in pavementum deiecisse  
genibus incumbens: illaque praeter ceteras  
cogitatione animum consolabatur, quod Col-  
legium nostrum instituisset nutu diuino. quin-  
que aureorum millia donarat nobis priore an-  
no causa mortis: nunc quadringenos annuos  
legauit, vt dimidiatam partem tribueremus  
egentibus, probis alteram ac pudicis mulieri-  
bus quarum Dei famulandi studio obsisterent  
angustiae rei familiaris.

IN V. MANTIAE, priore anno vigin-  
quinque



quinque, posteriore imminutus numerus, ve  
 duodeviginti esēt. In vinctos latior cura, quo  
 ipsi plures. nempe e tota Prouincia confluunt  
 ad triremes dampati. ægrorum multitudini  
 subuentum. milites, quorum vaga in vrbe op-  
 pidisque licentia, retenti in officio, instructi-  
 que. Ceterum excursions (vt de propinquis  
 fileatur) priore anno institutæ decem: postero  
 re, obita oppida quinque. hinc confessions ge-  
 nerales vno anno amplius ducentæ. Vnus qui  
 desperatione ac tædio vitæ eo deuenerat insa-  
 niæ, vt vltro precaretur, tamquam minores  
 ijs quas ferret, pœnas Inferorum, vt resipisce-  
 ret, ac spe diuinæ misericordiæ veram latiti-  
 am animo caperet, adductus. Quodam in op-  
 pido conglutinator amor ciuium, quos nescio  
 quæ causa duas in partes pæne distraxerat: vt  
 graue exitium non procul esset. in altero, qua  
 draginta disidentes reconciliati. neque hoc  
 omittendum, ab vno sacerdote, sesquimense  
 ieiunij verni, peragrata oppida viginti. Acci-  
 pite specimen fructus. mutuas iras eo interpre-  
 te triginta posuerunt. eius rei fama vicinos pa-  
 gos magna lætitia affecit. Ex discipulis nostris  
 nonnulli in aliquot Cœnobiis se Deo dedica-  
 rūt. Video paucis multa comprehendi, sed hoc  
 præstat, quam pauca multis ambitiose dilata-  
 ti. Anno priore spectatissima femina Anna  
 Mendocia, cuius auxilio Societas nostra in  
 hac vrbe fixerat pedem, migravit e vita.

omnes suas facultates Collegio donauit: perpetuum seruauit votum castitatis, piaque uirtutes enixe adeo coluit, ut non dubites, quin diuino munere adepta sit cælum. mors antea-ctæ uitæ consentanea fuit.

**I N L E G I O N E N S I**, viginti octo, seu triginta. Politioribus litteris dant operam octingenti. Philosophiæ triginta. Casibus conscientia centum. adiuti aliquot capite damnati. mulierculæ duæ ad pudicitia studium remigrarunt. perutile multis fuit amotam occasionem peccandi. montana loca instruendis populis, superata. reliqua cõmunia.

**O V E T E N S E, M O N T I S R E G A L I S,**  
Onnatense, Collegia.

**I N O V E T E N S I** viginti duo, aut viginti. Quis effugiat satietatem in tanta rerum similitudine, nisi nouæ afferantur? Quod rarum olim in hac urbe, nunc frequentius nihil, quam ut expetamur ab ægrotis. ita, anno postiore gliscente morbo fuit interdiu noctuque compluribus assidendum. Publicarum custodiarum procuratio aucta, ut nõ desit qui quotidie præbeat cibum. Scholæ, quibus instituntur sacerdotes ad peccata audienda, frequentiores, quam alijs annis: auxit numerum Seminarium ijs formandis ab Episcopo institutum. Nunc de confessionibus, concionibus, pacifi-

Rr cationibus



cationibus, Catechismo, alijsque singillatim dicere, sit abuti otio, quo minime abundamus, nam de expeditionibus, illud vnum, multas ac fructuosas fuisse, vt in oppidorum numero admirere tam multiplicem fructum, in fructuum copia satis admirari non possis multitudinem oppidorum.

IN MONTIS REGALIS, triceni. Magna æris restitutio nostrorum hortatu cuidam facta. Sodalitium Parthenium ex variarum disciplinarum auditoribus peramplum. Anno posteriore, quod erat diu expetitur omnium votis, quinto idus Martias templum extrui ceptum. pulcher dies fuit, cum positus a Patre Rectore primus lapis in fundamenta, effundente se populo in lætitiã, concentu musico, & vi horrida tormentorum maiorum calore reboante. Dum illud ædificatur, nostrorum officia se extenderunt difficili ingressu in aspera oppida & inculta, et alicubi, e nostris hominibus nũquam antea quisquam auditus visusue. ita magni cõkursus, siue docerent populum in templo, siue pueros in plateis compitisque, facti. At in Collegio elatus est Pater Petrus Nauarrus, vt eius existimatio ac virtus merebatur, magno omnium dolore.

IN ONNATENSI, decem duodecimue. Concio toto anno in præcipua æde suis diebus. Vnus autem octo annos continuos in hoc oppido concionatus, sine satietate, non

sine

sine fructu. Pater Iulianus post quadraginta sex annorum stipendia, quorum partem aliquam huic Collegio præfuit, sic, ut officiū existimaret esse imperare, non regnum, anno posteriore euocatus est ad mercedem laborum. cum triplicis atrocitate morbi affligeretur, dedit magnum patientiæ exemplum. Eodem, moritur adiutor domesticorū munerum, post trigessimū sextum annum Societatis: incitavit quattuor, cum decumberet, ut in eandem cuperent cooptari: e quibus duo admissi.

VILLAGARSIENSIS PROBATIONIS Domus, & Collegium Compostellanum.

VILLAGARSIÆ, solitus fere numerus, triginta octo, seu quadraginta. Esse hanc Domum cum Collegio coniunctam olim monuimus. De Nouitiorum studiis nihil addam, nisi spectatos satis fuisse in fouendis ægrotis, qui domi plurimi erant. In Gymnasio auditores quadringenti: etiamsi morbi de eo numero nonnihil elimarunt: ex iis, anno posteriore, vnus Societatem optauit. Nec silentio prætereunda est virtus viri, qui a puero innutritus laboribus belli, firmata ætate mitiora respexit: etenim annum natus trigessimū quartum, frequentare Gymnasium cœpit, religiofam sibi aliquam familiam animo despondens: & iam versatur fere cum pueris, simplicitate magis puerili, quam sensu: ardet vehem-



menti cupiditate proximorum salutis: et in Sodalitatem Mariæ Virginis adscriptus breui iudicatus est dignus, qui ceteris præesset: sed ita, vt quamquã ipse se accõmodet ad mores tenerioris ætatis (ex quo diligitur ab omnibus) tamen emineat, vt sodales eum veluti patrem quodammodo vereantur, neque his terminis contentus, porrigit se in commoda multorum. nullus æger fuit in oppido (fuerunt autem plurimi) quem non accesserit, adiueritque: et aduocabatur passim ab omnibus: aderat ipse, peruigilabat, medicum adhibebat, medicinam de suo curabat: quin & hortum conduxerat, vt haberet ad manus salubres fructus iuicundosque gustui ægrotantium. hoc factum iis diebus, quibus studia intermissa. Vultis alia de hoc nostro discipulo cognoscere? non ita facile reperirem finè: sed vno absoluam. Si quem nouit aberrare a regula uitæ, non acquiescit, nisi videat reductum in viam. Quidam concubinæ, quam induxerat domum, consuetudine utebatur: hoc grauius habebat discipulum nostrum, quod ille erat sacerdos. igitur, huic familiarior factus, exorat partem sibi concedat ædium, in quibus vna habitent. vbi hoc obtinuit, vt excludatur pellex, fecit obnixè. tum vero, voti compos discessit. vbi eiectæ cognitum est eiectorem exisse, clamculum irrepsit ad amatorem non nolentem. at noster maius remediũ

adhibendum ratus, rem aperuit Toparchæ: is mulierculam in exilium agit, & sacerdotem verbis castigatum admonuit officii. Ceterum amisso adiutore domesticarum rerum, qui multos annos in hoc Collegio fuerat, & præfuerat ædificationi templi, magna iactura facta. par in sacerdote, in templis animatis Deo consecrandis operis indefessi: egenorum pater dicebatur: ita eis victum, vestemque tribuebat collecta stipe. at rarissimi exempli mulier Magdalene Vloa fundatrix Collegij auxit rem nostram familiarem fundo quattuor aureorum millium coempto. Fons præterea in atrium nostrum deriuatus bis millium impensa.

COMPOSTELLAE, vnus & triginta, postea viginti sex. Misericordiæ Sodalitas restituta, quæ dudum pæne erat collapsa. leuatæ aliquantulum Collegij angustia. Vt pueri Latinas litteras a nobis doceantur, trecenos aureos polliciti sunt quotannis daturos, qui Academiæ curâ gerunt. ducenos Episcopus, vt diœcesis lustretur sine incômodo Collegij. Lustrata autem, superiore anno, oppida octo, vbi gens horrida ac pæne siluestris superstitionibus obnoxia, vt illis eiectis se excoli pateretur. aperuerunt plusquam octingenti peccata plurimorum annorum. In vno constituta pax inter triginta. restituta templa aliquot biennio ante ab Anglicanis furijs euersa. Alio in oppido dissidebant viri non pauci, qui ma-



gistratu publico fungebantur, duas quasi in partes diuisi: nec facilis ratio reconciliandi; verum cum in Prætorium aliquando conuenissent, eam vim dicendi dedit Deus vni e nostris, vt detestati iras priores, mutuas dextras darent, quo non bene diductam amicitiam iterum coisse optima fide testarentur. Alibi homo ad omne facinus duratus ac promptus, fax erat & turbo illius oppidi: ita impellebat alios incendebatque lingua & exemplo: eum cum allocutus esset sacerdos, permotus est adeo, vt ipsemet post paulo conuenerit nostrum tristitia & rubore plenus: funiculos ostendebat a voluntaria verberatione cruentas: argumentum pœnitentiæ. itaque & veteres culpas confessione obliterauit, & alios non paucos, quibus auctor fuerat mali, ad rectum adduxit. Fuit & oppidum, in quo auditiæ confessiones generales amplius quingentæ. Cœnobiũ vnũ diuinis exercitationibus excultum. Ex harum aliarumque excursionum labore ac sudore plurimo magna seges utilitatum.

IN BELLIMARENSI sede, vbi utroque anno quaterni, quoniam oppidum est cinctum pluribus pagis, satis sit adscribere, domi, forisque, strenue atque veuiter laboratum.

## M I S S I O N E S.

NUNC MISSIONES quædam, sparsim ac breuiter ponantur. Mondonectum  
inui-

inuitatu Episcopi ( exemplo accepto ab alijs  
 annis) duo sacerdotes profecti, extare cœpit  
 fere continuo fructus, tertia Dominica Qua-  
 dragesimæ ad caeleste conuiuium accessere mil-  
 le nongenti, vir corruptis moribus, audita cœ-  
 cione, ad uitæ mutationem adiecit animum:  
 quod & studiose fecit adiumento spiritua-  
 lium exercitationum. eadem ope vsi Cano-  
 nici quattuor, qui nunc sunt alijs exemplo.  
 Iuerunt alij Cornunani ( oppidum est mariti-  
 mum ) ac præter ceteros adiutæ militum co-  
 hortis duæ, quæ illa in statione versantur, bis  
 ad eos hebdomada separatim habitæ concio-  
 nes, eorum vnã audiens quispiam eo captus  
 est horrore ( quem postea consequuta est fe-  
 bris ) vt decubuerit: dein cum accito sacer-  
 dote detexisset conscientiam, biduo bonus mi-  
 les iussu cælestis imperatoris de statione vitæ  
 decessit. At Ferrõlij ( hoc quoque oppidi  
 nomen est ad mare ipsũ ) vbi classis magna  
 & instructa: antequam nauigaret miles, aucto-  
 res fuere nostri, vt suam vnusquisque animam  
 confessione expiaret. prauis aliquot exem-  
 plis depulsis, introducti mores boni. mulier-  
 culæ proiecti pudoris ducentæ abire iussæ: tri-  
 ginta locatæ in matrimonio: alijs prouisum  
 aliter, probato consilio mutationis vitæ, data  
 opera est, vt e centurionibus delectus quispiã  
 corraderet quotidie eleemosynam ad commi-  
 litonum inopiam subleuandam. Super hoc pe-



netrata terra asperæ montibus, ac pæne in-  
 uia siluis: & in horreum Domini reportati  
 manipuli. Vltima fuit expeditio in frequens  
 aliud oppidum, ac propter amœnitatem no-  
 bile (cui Fori nomen) diebus quadraginta ieiu-  
 nij maximi. et quamquam quinque illic essent  
 religiosorum familiae, non frustra fuit nostro-  
 rum labor in Euangelijs exponendis populo, aut  
 explicanda pueris Christiana doctrina. Illata  
 consuetudo noua his terris & insolens, quæ ta-  
 men in Domicilijs nostris Castellanae Prouin-  
 ciæ nihil fere frequentius, vt certis diebus e-  
 narretur exemplum Christianæ pietatis: sic  
 vt verba enarrantis exciperentur a verbe-

ribus se ipsos credentium, acerbo confli-

ctu. Inuenti permulti, quibus cordi

fuit abstergere criminum sor-

des, vel a primis annis

confessione re-

petita.

PROVINCIA  
TOLETANA.



**V**ERSATI in hac Provin-  
cia, supra quingentos, su-  
periore anno, sexaginta:  
posteriore, quinquaginta:  
adiuncti illo quadraginta  
quinque, defuncti quat-  
tuordecim. de altero neu-  
trius rationis summa perscripta. Hæc, & alia  
suo ordine collocabuntur.

DOMVS PROFESSA TOLETANA,  
& Madridianum Collegium:

**T**OLETI utroque anno sexageni: e qui-  
bus mortui seni, quasi ex composito æquã-  
di numeri. pertinax enim in vrbe morbus, &  
nostri, dum alienæ consulunt, suæ salutis obli-  
ti. neque interim alia Societatis munia deser-  
ta. Inueteratæ virorum nobilium iræ, & con-  
iunctorum sanguine altercationes diremptæ,  
ducendi pueros per vias publicas concinen-  
dis cantionibus sacris illicientes ad Catechis-  
mum consuetudo reuocata, quæ aliquamdiu  
erat intermissa. frequentatæ singulis hebdo-  
madis elementariæ scholæ, augendo numero,  
& faciendo discipulorum delectu. priore anno

enata



enata Sodalitas Beatæ Virgini sacra egregio virorum & virtutum flore adolescit : missiq; decem, altero anno sex, ad varia oppida : in quibus subleuandis, expoliendisque mira omnium fides eluxit.

MADRIDII, primo anno sexaginta sex : secundo, amplius septuaginta. Præter ea, quæ proximis duobus annis ordine scripsimus, cum his duobus communia, plures viginti quattuor ex iuventutis freto sæculique ad religionis portum se appulerunt, anno posteriore : non definitus est numerus anni prioris. Secundum Páschales ferias percurrerunt plurimi varia oppida partitilaborem. Urbani septimi, quem eodem præne tempore auditum est Pontificem esse, ac fuisse, quod cum terra non caperet : mox & Gregorij Quartidècimi sollemnes exequiæ ab Apostolicis Nuntijs celebratæ. Gymnasium, ac Sodalitium crescit. exercitationes litterariæ utroque anno illustres, ac secundo, conceptæ Virginis festus dies ornatus cultusque supra morem cõmunem. Lucalibus, præclara actio, ipsoque speciosa argumento, de Philippo Principe instituendo. Ceterum decoratæ ædes imaginibus : et domus accessione peramplæ cœnationis commodior facta.

COMPLVTENSE COLLEGIVM

& Toleranum

COMPLVTI priorē anno duo supra cen-  
 tum : posteriore (nimirum quantum de-  
 creuit numerus) circiter septuaginta. Toto fe-  
 re hoc tempore, morbo quodam, qui in urbē  
 viciniaque incidit, laboratum est, sic, vt anno su-  
 periore, duo & quadraginta simul ægrotarent:  
 decessere tres: altero anno nouem. in his fuit  
 Pater Ludouicus Gufmanus vir antiquæ pro-  
 bitatis, diuina tamen benignitate factum est,  
 vt qui opē ferre cūibus ægrotātibus possent,  
 incolumes superessent: cum præsertim alio-  
 rum Cœnobiōrum viri, aut impediti essent va-  
 letudine, aut ad sua negotia dilapsi: ita rotant  
 omnis paucis incubuit: nec quicquam tamen  
 omisum. collecta pecūnia subuentum est plu-  
 ribus, & aliquot præterea adolefcentibus, quo-  
 rum aduersabatur discedi cupiditati impor-  
 tuna paupertas. In varios Deo addictorum  
 cœtus contulerūt se mulei expoliti meditatiō-  
 nibus pijs. Supernactum sit breuitatem se-  
 ctanti adijcere de incremento Parthenianæ  
 Sodalitatis. At scholastici nostri itare cepe-  
 runt ad Academiam publicam: id visum est ef-  
 se gratius in commune, nec inutile rationi-  
 bus nostris: acuitur nempe ex mutuis congres-  
 sibus æmulatio discēntium, & initur iuuenum

consue-





## OCANIENSE COLLEGIVM.

**A**D MENSEM vsque Octobrem prioris  
 anni, duodeciginta, cum tantum scholæ  
 essent politioris Humanitatis: deinceps  
 addito curriculo Philosophiæ auctus nu-  
 merus, & triginta octo fuere. Vtroque an-  
 nobini in Societatem admissi. Sodalitas Dei  
 matris (inqua nobilissimus quisque) Christia-  
 na præstitit officia multorum inopiæ in car-  
 cere laboranti. Mulieres nonnullæ passæ sunt  
 persuaderi sibi, vt acceptis viris in matrimo-  
 nium honestatem coniugij præferrent liberio-  
 ri vitæ. Duarum seminarum, quæ paterna egres-  
 sæ domo huc se contulerant, periclitanti pu-  
 dicitiz occursum. Conuictorum domus aucta  
 flore nobilitatis, & numero, vel ex vltima Hi-  
 spania huc veniunt gratia disciplinæ. Ex Sena-  
 tus consulto concessa nobis est via pública,  
 quam complexi muro, cum Collegio coniun-  
 ximus, perutili additamento. Adita sæpe adiu-  
 taque oppida circumiacentia. in vno grauis  
 seu cõtentio Monachos inter Clericosque  
 de honore incessus: nec minor inter popula-  
 res quosdam de nobilitate generis (periculo-  
 sum vtraque dissidium trahebat) nostrorum  
 ope ac consilio dirempta est. Duo quidam ne-  
 glecta communionem sanguinis, plusquã hosti-  
 li odio inter sese discrepantes, cū magno me-



tu mali imminentis, in mutuam gratiam re-  
 ducti. Ceterum cum pestilens fere esset poste-  
 rior annus, morbi que vagarentur, nostris non  
 fuisse antea quemquam magis salubrem, meri-  
 tis existimatur datum Sanctorum, quorum re-  
 liquiæ illatæ in templum, honorifica pompa.  
 Sed res ipsa paucis repetenda, quo plenius no-  
 scatur. Ab vrbe Roma allatæ erāt in Hispaniã  
 duæ arce sacrarum reliquiarum plenæ: magna  
 pars non contemnendæ magnitudinis inscri-  
 pta habebat nomina, quorum fuissent (nume-  
 rabantur nonaginta) in his corpus fere inte-  
 grum sancti Porcelij martyris: aliorum præte-  
 rea, quorum ignota erat nomina, tibiæ sex, &  
 capita duo. ostendebantur locupletes litteræ,  
 quæ fidem facerēt veritatis. Pater Franciscus  
 Portocarreirus huc detulit Madridio, non ea  
 mente vt relinqueret: sed sacra ossa suauissi-  
 mum ex se odorem (quasi compressissent hac-  
 tenus) repente expirantia, fecerunt, vt de nõ  
 transferendis alio cogitaret. nec paruam vim  
 habuere coniunctiæ nostrorum preces, igitur  
 tantis hospitibus diuersorium præparatum est  
 pro dignitate magnificum: sacellum, in eoque  
 tabernacula tria mira elegantia operis: lipsa-  
 notheca elaborata muliebri artificio amplius  
 centum. diēs ante tertiumdecimum calendas  
 Nouembris celebritati delectus, et accidit  
 quiddam, quod affirmavit ab hominum studio  
 non discrepantem Dei voluntatem, nempe,  
 cum

cum antecedentes dies continuatione imbriū  
 fœdi ac tristes fuissent, & nox proxima atrox  
 & procellosa, discussæ nubes ita adaperuerunt  
 cælum eo ipso die, vt ab exortu sideris aurei  
 agnosceres non tam facile lætorem alium il-  
 luxisse, idem tenor consequentium quattuor  
 ordine fuit. Igitur cum indicta esset a Proepi-  
 scopo Toletano pōpa, proceditur ab antiquissi-  
 mo templo. præferuntur multæ Cruces illu-  
 stras auro, sub quibus varia concinentium ag-  
 mina lætificum carmen, nec deerant, qui per  
 manus recte data incederent pie saltantes, mo-  
 re gentis. Sub hæc terebantur lecticis singulis  
 viginti quattuor hominum effigies, atque in  
 his quindecim, cum tiara infulsisque Pontifi-  
 cio ornato, qui meriti cælum: hac publica gra-  
 tulatione perlata reliquiæ in templum no-  
 strum præfulgens specioso cultu, varioque car-  
 minum textu. Exposita dein in scena Diocle-  
 tiani in sanctos martyres sœuitia, conuenienti  
 argumento. lætum scires esse diem ac festam  
 ædem, quam egregiarum animarum diuerso-  
 ria aduentu hospitioque dignata essent.

PLACENTINVM, SECVRITA-  
 num, Talaueranum Carauacense.

**V**NDETRICENI Placentiæ. Præter do-  
 ctrinam Christianā bis hebdomada binis  
 locis explicatam, duo abiecere odium alioqui  
 impla-



implacabile: mentem quidam interficiendi inimici, a quo grauius fuerat læsus, vt ex animo profiteretur, si ita res ferret, vltro ab eo veniam petiturum. mulier impudica sic immutata est, vt ex mala fama in bonam verterit. Anno posteriore missi duo in oppida vicina: persuasit alter plerisque confessionem totius vitæ, et cuidam, qui meditabatur vltionem interfecti cognati, remissionem offensæ. alibi incepta Sodalitas auxilio solatioque victorum. ea ne euanescat, nobilis mulier cum quadringentos aureos dedit in annuos census, fuit alij exemplo.

IN SECVRITANO terni deni. Cum maturitas simultatū relictarum a maioribus, fountibus posteris in priorem annum erupisset, euulsa est omnino labore nostrorum: prouisumque ne amplius reuiuiscant. restituta Catechesis per dies festos, olim intermissa. illegitimæ nuptiæ, dum rite firmarentur permissu Pontificis, tantisper diremptæ. In excursionibus anniuersarij fructus. Audite rem memorabilem. Agricola quidam melioris animi quam census, sæpe cum sociis nostris egerat de piis ac salutaribus rebus. cum laboraret morbo, qui ei fuit supremus, se moriturum prædixit: adiecit horam, cum canet gallus domesticus. is cum animam ageret, compos omnium sensuum ac mentis: Cedite (exclamat familiaribus) cedite: cæleste agmen aduenat.

- aliqui

tum

rum conuersus in cubiculi angulum. At tu,  
abi hinc, abi deforme monstrum: nihil mihi  
tecum negotij est. Hæc cum diceret, feliciter  
animam Deo reddidit.

TALAUERAE septemdecim, mox quindecim.  
Priorem annum fanestauit decessus Patris  
Francisci Lopecij, qui post duodecim annorum  
ærumnas in Brâsilia toleratas, post periculosa  
molestamque nauigationem, in qua a barbaris  
deprehenus, post ipsam denique captiuitatem,  
cum hic multorum salutis operam nauat, ad certam  
sedem migrante finendi laboris. Ceterum Sodalitas  
Virginis addita Conuictorum contubernio est non  
mediocri scholarum ornamento. In vicino oppido  
quorundam reconciliatio sacerdotum uiam ac  
robur succidit seditionis pangliscantis.

IN CARAVACENSI quaterni uiceni. Vbi eminent  
propria, excusatum est eacere communia. Mira  
constantia Christiana pietatis & a Deo commendata  
in adolescentulo quattuordecim annorum, qui  
instituebatur a nostris. Quidam ei oculum effoderat  
pugno: nec minis ullis aut promissis adductus  
est a parentibus, ut proderet nomen ludentis.  
nō diu absuit merces. paucis post diebus graui  
correptus est morbo, quem eo tulit anno uultuque,  
ut nunquam ingemisceret, nunquam tristior  
esset. cū adolesceret morbus, die quodam  
repentina lux ingressa cubiculum præ-



strinxit oculos eorum: qui aderant, & puero  
 abstulit potestatem loquendi. tres ipsos dies  
 caruit sensu motuque: ijs elapsis, quasi alto ex-  
 citus somno, clara voce iterans hæc verba.  
 Iam eo, expectate: decesit cum magna signifi-  
 catione voluptatis. Rapti nunc breuis altera  
 narratio in alio genere. Tarraconenses inter  
 ac Bæthicos oppidum iacet, non tam incola-  
 rum frequentia, quam erga nos beneuolentia,  
 permagni faciendum, erat illic iuuenis pelli-  
 ce implicatus: nec ei mōitor quisquam, aut  
 familiaris, qui castigaret errantem: nam su-  
 per nobilitatem, nota hominis audacia cum  
 magno satellitio, & insania amoris: eo vsque  
 processerat, vt aliquot iam annis abstineret a  
 Pœnitentiæ sacramento. cum huc conciona-  
 tum isset vnus e nostris, vt rem cognouit, obli-  
 que cœpit perstringere hominem, licet absen-  
 tem. Sed is (vt sunt longæ aures potentium)  
 audiebat tamen: nec tacitum ferebat: iacta-  
 bat minas in sacerdotem: nisi contineret lin-  
 guã, fore ut in suggestu pro sudore detergeret  
 sanguinem. nihilominus noster, haud territus  
 de supremo iudicio concionem habet, deque  
 pœnis, quæ manent homines peruicaces, si mo-  
 nita contempnant. mater filio summam concio-  
 nis recitat in modum miserantis, additque.  
 Fili, quantum intelligo, detruderis ad Inferos  
 æterno supplicio mactandus. magna vis diuini  
 uerbi, quasi fulmen penetravit animum. igitur

flagitij

flagitij pertæsus, amandat domo cōcubinam,  
 originem mali, aditque sacerdotem supplici  
 oratione veniam petens: asfirmatque factu-  
 rum, quæcumque imperasset, nec reculaturū,  
 si sit opus, quamquam opulentus sit & matri-  
 vnicus, nūntium remittere sæculo diuitijs-  
 que, quas a vitijs abesse propius arguit nomen  
 affine: denique, vt saluti det operam, omnia  
 omisurum. satis habuit noster confessionem  
 præcipere, & perceptionem Eucharistiæ: id fi-  
 dei vinculum esse in præsens, id stabile ad pœ-  
 nitentiam. Sic autem obtemperantem se præ-  
 bet iuuenis afflatui diuino, vt videatur Dei  
 permissa cecidisse, quo valentior resurgeret.  
 At mulier quedam paupercula Collegium scri-  
 psit heredem. modicæ quidem fuere facultates  
 (vix ducentorum aureorum) sed ingens ar-  
 gumentum caritatis.

BELLOMONTENSE OPTENSE.

Collegia.

**I**N BELLOMOTENSI viginti: poste-  
 ro anno, viginti quattuor: quod si plures  
 fuissent, erat materia laboris: sauiente nimi-  
 rum morbo, & agrotis certatim nostros accer-  
 sentibus: cum aliæ religiosorum familiæ, eodē  
 malo comprehenderentur: voluit Deus igno-  
 sci sociorum valetudini, vt pluribus præsto es-  
 sent. At priore anno duo digressi in oppidum



nobile, tres menses illic commorati frugifero labore. res venales, venaliorum fraude modum supergressa, intra terminos redacta. Vnus e sacris Inquisitoribus Toletanis sacerdotē apud se esse voluit consiliorū participem, & socium laborum. Virgo erat iam viro pacta, & nuptiis dictus erat dies: cum quidam falsum crimen sponsæ intendit: cupiebat scilicet riuallis interuertere sponsalia, vt sponsam ad se transferret. res omnino tunc erat: nec aliud expectares nisi monstrum, at vnus e nostris, id quod erat subodoratus, conuento impostori persuasit, vt recantaret probum, & fisci criminis causam fateretur impatientiā amoris, tum placatus animus sponsi, & instauratæ nuptiæ. At in Prætorē tenui quidam ortus loco iecerat contumeliam impudenter: eam cum ille non ferendam putaret, maledicum tollere, eiusque vxorem, filios, familiam omnem vexare constituerat. sed cum intercessissent nostri, res composita est, vbi iracundia resedit.

IN OPTENSI, triceni. Ioannes Vaddillus Episcopus Conchensis, cum scholas visitandas duxisset, exceptus est ab vno e magistris Latina oratione, & a discipulis dialogo aduentitio: quem ita probauit, vt conuocatis adolescentibus coram cœtu nobilium grande eis testimonium dederit pietatis & doctrinæ. E Marianorum numero vnus in Societatem adscitus: iustis de causis alij nonnulli in

præfens omiffi: Hinc ceteros agnofce. Duo ex illis inciderunt in fenem & anum ( coniuges erant ) ætate morboque affectos, neque a re folum, fed etiam a fpe omni derelictos: cum fubiffet miferatio, eorum cura fufcepta eft. mane interfuiſi quotidie & ueſperi, adiutiq; rebus neceſſarijs: quod & præſtitum quamdiu natura debitum ſoluerant. Excursionum ſollemnis labor ac fructus.

COLLEGIVM OROPESANVM.

**C**OEPTVM ERAT hoc Collegium Anno huius ſæculi ſexageſimo nono: atque in eo ſcholæ pueritiæ ad humanitatem informandæ: multi que ex eo prodierant utiles Societati, ſuſtentabatur Domino Franciſco a Toledo Peruano Prorege ſuppeditante quod eſſet opus: is moriens dotarat Collegium, ſed adiectis legibus abhorrentibus ab inſtituto dimiſſum eſt anno octogeſimo ſecundo: a quo tempore elapſis octo annis, Dominus Ioannes Aluarus a Toledo Comes Oropesanus, ac Domina Ioanna Eſcalonæ Dux, frater, & ſoror, egerunt de moderandis condicionibus, quas dixiſſet patruus, ne Collegio obefſent: deque re ditibus augendis. Igitur reſtitutum eſt ſuperiore anno, nempe huius ſæculi nonageſimo, Martio mēſe. aſſignata pecunia ad ſtructuram domus, ad neceſſitatem bibliothecæ, &



super cetera ad ædificationem templi. Septimodecimo calendis Maias, magna oppidi & Toparchæ lætitia, pari que gratulatione gentium proximarum, initium factum docendi drama. elegans singulari artificio & apparatus præclare stetit. at Collegium instructum aulæis & multigenis versibus, quos pictura illustrabat, numquam ornatus vilum: ita & parietes ipsi Oropesano Comiti gratias agebāt. materiam suggerēbant laudes fundatoris: siue cælibem eius uitam celebrarent poetæ cælo dignam, siue auctum ornatumque ualetudinarium pauperibus curandis, siue Clericos septem qui suaui modulatione quotidianas preces Deo persoluant. Campus porro magnus Seminarium alendis ad decēniū scholasticis, qui ad excellentem aliquem doctrinarum gradum premente inopia se extollere nō possent. voluit delectum hūc haberi a moderatore Collegij nostri: sed inuidiosum munus delegari placuit ad viros exernos. magni ex utroque Collegio fructus sperantur. In nostro uersati plurimum viginti. Anno posteriore Pater Petrus Alemazornus antiquus incolæ huius Collegij decessit: triginta quinque ānos in Societate posuerat, numquam otiosus. lætus mi grabat, ut rediisse vidit Cōlegiū, quod sapius prædixerat futurum, non irritō euentu. Ceterum ut aliquid de Oropesanis. remisit vnus nostro rogatū iniuriā alapæ acceptæ. eius exēplum

plum & quædam mulier sequuta est. Sodalitium Annuntiatæ Virginis inceptum. institutum certamen, poeticum, oratorium, historicum die sancti Bernardi, quem Collegium tutelarem habet, coram Comite, Carthaginensi Episcopo designato, qui ea luce in templo nostro operatus, & apud nos familiariter pransus est. Atque hæc quasi fundamenta iacta Oropesani Collegij.

VILLAREGIENSE, MVRCIENSE,  
Conchense, Collegia.

**I**N VILLAREGIENSI sexaginta alias, alias, octoginta. Coacta hic Congregatio Prouinciæ Patrum Maio mense superioris anni, satis commodo loco. Anno posteriore vitam cum morte commutauit Domina Hieronymina fundatrix nostra: Societatem heredem fecit. ei nos, viroque eius Domino Ioanni, qui olim præcesserat, fundatori item nostro, in hoc Collegio omnia debemus.

**I**N MVRCIENSI quinquageni quini, aut seni. In magnolice alieno ære exornatum est templum: additque inaurati clauisacello cuidam, vt receptaculo sacrarum reliquiarum. Adolescentium, qui se Virgini dicarunt, magna pietas: præcipuo in pulibcas custodias studio feruntur, quas alunt quotidie collectitia stipe. Tres priore anno complexi



nostram Societatem: quod & fecerunt totidē alij vtilis officijs domus. At vnus quidam impudicitiaē astu concitus, vt quæreret fugam, in suburbanum concessit: hic dum agitur fluctu obscenarum cogitationum, tacitusque in tristitia permanet, conspicatur hominem specie sacerdotis iuxta ætate ac supercilio venerandi: interroganti, cur ita demisso vultu, deiectoque animo esset (vt plerumque in dolore effusi sumus) non reticuit causam. tū oblatas campus seni suam prudētiam ostentā di ex multarum rerum ysu collectam: differuit in hanc sententiam plura, iaciens interea in iuuenis mentem oecultum venenum, impetares multiloquiū ( nisi additum esset consiliū pestilens ) uitio senectutis. suadet voluntariam mortem: hanc esse miseriarum homini finem: & ne re dilata refrigesceret iam linguæ flabello incensus furor, restem offert. Dedit (inquit) modo consiliū, nunc accipe remedium. Cohorruit iuuenis: an quod miseri optant magis absentem mortem, quam rapiant præsentem? an quod non deseruisset Deipara clientem suum? dein vt se collegit, Adibo (inquit) vnum e Patribus Collegij: is quod mihi super hac re dederit consilij, id sequar. Disputare contra ille alter, & aduersum niti, multaque ac probrosa in nostros ingerere; quæ contempsit iuuenis, & latrantem deseruit. it recta ad nos: in vestibulo ipso se repellit.

sen-

sentit quasi manu iniecta: sed peruenit tamē  
 inuocato numine. conuenit sacerdotem: is cū  
 detegit insidias dæmonis, ne frustra esset, fe-  
 cit idem dæmon, qui sub scabello latitans ubi  
 erat adolescens, scenam omnem euertit, non  
 occultato motu: aperto igitur iam malo non  
 difficile fuit adhibere medicinam. Ceterum  
 mulier, quæ impura vita perdiderat animam,  
 cum vno e sodalibus sermone habito melio-  
 ra cœpit respicere: ab eodem mox adiuta sup-  
 peditato victu, donec uiro tradatur. nimirum  
 norat bonus adolescens plus operis in eo esse  
 vt proposita custodias, quam vt honesta pro-  
 ponas. Nunc iam vt exeamus e scholis. Duo  
 primarij ciues cū lite quadam inueterauerant,  
 e qua graue odium: et nōnumquam manus cō-  
 ferta. componere eos voluere viri doctrina  
 & auctoritate præstantes, sed condiciones nō  
 conuenerant. Deo ita disponente, in eorum  
 alterum incidit vnus e nostris, opportunaque  
 oratione eum, & mox fratris filium, ad quem  
 lis ex hereditate pertinebat, sic permulsi, vt  
 controuersia sit finita, & inita pax, eaque pu-  
 licis litteris ac testibus firmata. Nec minus  
 prospere laboratum in viris duobus ambigen-  
 tibus de summa aureorum sexaginta millium:  
 concordati etenim, re integra de nostrorum  
 consilio ad tres arbitros relata. Quanti nos ci-  
 uitas faciat, vel ex eo perspicias, quod cum  
 huc accessisset Pater Prouincialis, certi qui-  
 dam



dam viri missi sunt, qui de nostrorum opera in omnem ordinem atque ætatem strenue impensa, grates agerent amplissimis verbis nomine Senatus. rarus hic honos, nec nisi viris principibus, aut Antistibus sacrorum solitus haberi. huc etiam referri poterat liberalitas civium in ægrotos nostros, quorum magnus priore anno numerus fuit, nisi maiora excelluissent.

IN CONCHENSI, quindecim, aut septemdecim. Pueri quadringenti primas doceantur litteras, & elementa religionis. audiuntur aude conciones, efficacia magis spiritus, quam uolubilitate linguæ. Consultum pauperibus maxima asperitate hiemis comparato uictu ad famem, flammandorumque numero lignorum ad vim frigoris pellendam. Virum quemdam duo interfecerant, mox comprehensi depositibus inimicis, daturi erant pœnas iudicio ac legibus, quod est proximû ultioni: iamque aderat dies ipse, atque adeo hora: cum interea vnus e nostris sacerdotibus exorat iudicem breue spatium: it ad propinquos interfecti, Deoque dante vim dicendi veniam damnatis obtinuit, nõ tam iure defensionis, quam Christianæ pietatis obtentu: vt reuixisse diceres homines fere sepultos. Reconciliati equites duo, quorû vterque alteri mortem machinabatur. alij ite placati discordes. vincti are alieno liberati: lo-

catæque nonnullæ honeste, quæ prius turpiter visitabant. Ceterum tanta opinio Societatis, ut Gomesius Zapata Conchensis Episcopus cum in morte relinqueret aureos decies mille vniuersam per dicecesim pie distribuendos, ei muneri præfecerit Rectorem & socios Collegij, de quorum fide prudentiaque minime dubitaret.

MISSIONES ALIQVOTE VARIJS Collegijs.

**E**T SIDEMMISSIONIBVS aliqua interieciimus in singulis fere Collegijs, quædam tamen, quæ accepimus seorsum, reddimus bonâ fide. Igitur ex Optensi Moratam (nomen oppidi est non ignobilis ad ripam Tagi) extortus oppidanorum precibus iuit sacerdos cum socio, & honorifice exceptus. Gratissimum visum munus institutiæ pueritiæ ad Christianam doctrinam. Vel ex quattuor concionibus tantus fructus, ut qui semel anno communicarent, reijcerentque confessionem in extremam Quadragesimam, fere omnes vtrumque præstiterint ieiunio ineunte. Daimellium oppidum est in Oretanis, ita plenum litigiorum ac simultatum, ut nemo fere sit, quem ea pestis non attingat. huc profectus sacerdos non attigit quidem vulnera, quæ cum sanare non posset, præter odium cômune nihil mere-

retur



retur, sed ad frequentanda sacra mysteria, atque abstinendam animā a labe vitiorū, est sæpe omnes nec inutiliter adhortatus. Sodalitas Virginis magnos progressus habet: decimo quinto quoque die cælesti dape vescuntur: ceterum ipsa experitur sæpe a proceribus tanto ardore mentis, vt lacrimas plerumque adhibeant precatrices. Oppidi quidam signifer (nomen est dignitatis) quamuis opulentus ac nobilis, cum cuperet admitti, genua etiam flexit. Vtilitatem multorum consideres, siue in vita mutata, siue in pellicibus exactis. Excipiendis omnium confessionibus, præter Monachos Carmelitanos, triginta sacerdotes non erant satis: inciderat enim nostrorū aduentus in tertiam Dominicam Quintilis, quā Deiparæ dicatam habent. quam lætum fuerit oppidum in eius diei peruigilio, haud facile explicem. Aspiceres prima nocte collucentes fenestras crebris luminibus apteque dispositis: iactos in sublime radios scissum per æra crepitantibus flammis ignifero sulco. audis ses campani æris lætificos sonos, ac multo magis hominum voces ad crastinam communionem sese vicissim inuitantium mutuo hortatu. communicarunt hominum circiter quater milia. magis admirere numerum, si gentem cōsideres durā atque agrestem: sed emoluit omnia atque excolit amor diuinus. addita sunt ad concelebrandam læticiam instrumenta

ra musica, vt tibiae tubaeque: symphoniaci ipsi  
 eonducti, vt quot mensibus adfint die certo.  
 vsu enim compertum est in pijs quoque rebus,  
 praëunte iucunda aliqua voce conspirare mul-  
 torum consensum. Ceterum sacerdoti no-  
 stro Deus adfuit, siue concionanti, siue a  
 concione confessionibus statim nauanti ope-  
 ram sine interuallo. Ex quo & factum est, vt  
 deuij multi sint rectum uitæ iter ingressi.  
 Mulier ad amatorem missis subinde litteris,  
 vicissimque ab eo acceptis, impudicum amo-  
 rem diu nutrierat: sed audita concione qua-  
 dam ita conterrita animo est, vt arculam ar-  
 canorum receptricem & consciam aperire nõ  
 auderet, rata abreptum se iri a dæmone, qui  
 in ea delitesceret. ita clauis sacerdoti cuidam  
 tradita epistolis inflammandis. Vtilitatẽ vul-  
 go omnes vel ex eo prædicabant, quod cum in  
 conuiujs olim circulisque loquendi materia  
 passim proposita esset aliorum vita; & (qua iu-  
 cunde influit in aures) obrectatio, nunc con-  
 uerso argumento, proximorum virtus, rerum-  
 que sacrarum commemoratio sermonem om-  
 nem occupet, cum proposito æmulandi. Ex  
 Placentino, toto anno sacerdos Magdaleniani  
 commoratus: vnde in adiacentia frequens ex-  
 cursus. ad confessiones vocatus sæpe, & inter-  
 dum ad moribundos sub noctem. conuenere  
 montani agricolæ magno numero, difficili li-  
 cet via ac lutosâ, ardenti quærentes studio pur-  
 gatio-



gationem animarum. Ex eodem missi duo Al-  
deam nouam. oppidum hoc duobus constat tē-  
plis, alterum Placentino, Cauriensi alterum  
Episcopis paret. hoc vtilior missio, quod ne-  
mo nostrum huc antea penetrarat. profuit na-  
tura gentis, quæ etsi indocta ac simplex, non ta-  
men indocilis, aut falsi tenax. Duorum popu-  
lorum sedata rixæ, quæ prælium minabantur.  
Redeuntem ex hac missione sacerdotē Deus  
vocauit, vt digne muneraretur: quod vbi op-  
pido innotuit, perinde ei, vt si defunctus esset  
Episcopus, parentarunt perpetrato sacrificio,  
cum sacerdos qui fecerat, conuersus ad popu-  
lum iussisset breuem præcationem pro anima  
mortui, tantus excepit cum eiulatione fletus  
omnium, vt nihil grauius acceptori fuisse vi-  
derentur. Præter hos, expediti alij in oppida  
nouem. nuda nomina non pono, neque aliud  
præterea addo: satis existimans, ex ijs quæ di-  
cta sunt superius, specimen quoddam capi po-  
tuisse.

655  
P R O V I N C I A  
B A E T I C A .



ABORARVNT in Ba-  
tica, priore anno, socij qua-  
dringēti triginta quinque:  
posteriore, supra hunc nu-  
merum, decem. Hispali, in  
Professorum Domo, octoni  
fere & quinquageni. in Col-  
legio, primo anno, vnde sexaginta, altero,  
sexaginta sex. totidem in Cordubensi: pri-  
mo enim anno sexaginta octo, in Granaten-  
si sexaginta vnus, secundo anno, detracti ex  
hoc numero decem. in Montellano, anno prio-  
re, duodequingenta, posteriore, septua-  
ginta. in Baezzano viginti septem, deinde  
vnde viginti, in Malacensi viginti, & viginti  
sex. viginti tres in Xerensi, mox sedecim. in  
Gaditano singuli viceni. duodeuiceni fere in  
Triguerensi. sedecim in Marcenensi, postea vi-  
ginti. in Sede Altygitana, circiter deni. in Ga-  
zorlana quattuor, aut sex. in Vbedana, tres  
quattuorue. Venerunt in partem laboris, an-  
no superiore, viginti: posteriore, plures alte-  
ro tanto. Illo, quieuerunt decem: hoc, quin-  
decim.

non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur  
non in hoc genere, cui inueniuntur

PRO-



856 PROVINCIA  
PROFESSA DOMVS HISPAN-  
lenfis.

QVO FAEDIOR prior annus ægro-  
tatione corporum, hoc vtilior fuit ani-  
mis opera nostrorum, Confitentium & com-  
municantium in templo nostro frequentia  
summa: certe diebus festis, quia domestici sa-  
cerdotes non sunt satis, accersuntur de Col-  
legio. Qui singulis hebdomadis Eucharistia  
sacramentum suscipiant, haud pauciores sunt  
mille: diebus, qui maiorem habent venera-  
tionem, bina millia numerantur. ex hoc, at-  
que e concione diebus festis nunquam inter-  
missa, fructus permagnus. Restitutiones gran-  
dis alieni æris multæ, & pacificationes factæ.  
Reconciliati præcipue optimates, quorum ini-  
micitia civitati graviores, quo maiorem affe-  
rebant iacturam diuinarum rerum huma-  
narumque multorum neces impeditæ: ab infami  
amore muliercularum, quibuscum diu iam vixe-  
rant, abducti non pauci. Sacerdotis nostri sua  
si discesserat ab adultera quidam: is cum de-  
inde reuocaretur ab ea missis epistolis, quas  
cruentis exararat notis vena exacta, monili  
item aureo gemisque magni pretii, omnia no-  
nus Christi amator contempsit. Vir nobilis,  
pridie quam e vita migraret, vxorem duxit  
non inferiori genere, cui insucuerat diu cum  
aliquo

aliquo famæ detrimento. hoc cum ægre filius  
 ferret ad honorem omnia referens, moram-  
 que injicere nuptijs conaretur, factus patri so-  
 cius est morbi, mortisque post tertium diem:  
 agnouit tamen supplicium peccati, orauitque  
 sacerdotē nostrum, vt pro se noueræ ac pro-  
 pinquis suis omnibus satisfaceret. Nec vero  
 vnus feminæ, sed familiarum etiam vniuersa-  
 rum cōsuluimus famæ. Addictus igni quidam  
 erat improbus in sceleris pœnam: hic siue di-  
 lationem supplicij quærens, siue solatium, pa-  
 trati facinoris multos reos subdiderat e viris  
 illustribus, sed vt ventum est ad rogam (quo-  
 niam falsa amplius non proderant, & vera iu-  
 uabant) nostris nempe admonentibus, omni-  
 bus coram suam culpam aperuit: & qui fa-  
 cta dixerat, iniustis criminationibus, quæ erāt  
 infecta, quæ dicta olim fuerant, retracta to in-  
 dictio, fecit indicta. Nunc, quoniam hic sumus,  
 quātum e publico carcere fructus colligatur,  
 facilius est æstimatu, quā dictu, nam & vincti  
 fere innumeri: & plurimi ad supplicium agū-  
 tur, ter inuisuntur hebdomada, & sæpe a sa-  
 cerdotibus octonis, ita multa vtiliter dicta,  
 prouisa, facta, igitur infames mulierculæ,  
 quæ magno numero aduolabant, veluti mu-  
 scæ ad multram, aditu prohibita, concubinæ  
 detractæ, praua iurifurandi consuetudo su-  
 blata, ne indulgentia custodum in vinctos,  
 eosue qui admitti cuperent ad opem ferendā,



ematur mercede, seuerè cautum: et quæstus ille carcerarius compressus. carcer vniuersus celebri pompa, bis, anno posteriore, caelesti cõniuiõ exceptus. id cum fit, adhibetur etiam sollemne epulum corpori reficiẽdo. Ceterum, est in hac vrbe Sodalitium virorũ Principum, Decurionumque in rem opemque eorum, qui in custodijs attinentur. in hoc opus symbola etiam a nostris confertur. deliguntur in singulas hebdomadas sodales certi negotio procurando. ex his vnus de suo contulit aureos amplius quingentos. collecti omnino mille ac ducenti vno anno: soluti homines septuaginta. data opera incidit absolutio in dies maxime sollemnes ad augẽdam venerationẽ. Neque interim deserta nosocomia, aut qui relicto Maumete ad Christum venere, neglecti. edocti frequenter suis in templis de rebus necessarijs Christianæ vitæ. Hæc propter, ac talia, nos diligit ciuitas, ac tuetur: & nobilissimus quisque nostrorum consilio in rebus arduis vtuntur. hinc tanta omnium liberalitas ad sustendendam domum, vt superfuerit quoque vnde centeni quotidie alerentur in summa annonæ caritate. Domus nostra strenue ædificatur: iamque ad commodam habitatiõnem concinnata cubicula triginta, & aliquot officinæ. templum præterea exornatum. bibliotheca instructa. res familiaris non medio critèr aucta. quo liberius est a nostris excursum.

sum. Quattuor profectioes instituta ad oppida propinqua. Arahali (nomen est oppidi) ad quadraginta dies versati sacerdotes duo: restitutus frequens vsus sacramentorum antea neglectus: dies noctesque audiendis confessionibus sæpe continuati, vt neque vigilia neque labore fatigarentur. qui a primis annis peccata memorarent, fuere sexcenti. reliquorum numerum inire haud promptum. sed is spiritus confitentium, is sensus, vt lacrimæ confunderent audientem. non infimæ conditionis mulier vnici filij necem, respectu acerbissimæ mortis vnigenæ Dei, homicidis condonauit. Duo item sacerdotes dum obeunt Andeuali agrum, oppidaque lustrant quamplurima, sic vtiliter concionati sunt, vt postea opprimerentur multitudine peccata patefacientium. magna illic seges, ac materia laborum. montana enim regio ac siluestris: incolarum mira paupertas: nudis pedibus feminæ incedunt. cibus simplex: glande plurimum vescuntur: pane, vt in delicijs. hic victus nostrorum: quibus, & pro culcita, storea, pro cervicali, lignum. sed conciliabat defatigatio somnum. quamquam ex assiduo labore alter cum incidisset in morbum, ex itinere reuocatus. Nec minor opera, aut indiligentior fuit aliorum, qui alio missi: vt vna omnium fuerit sententia, vnus sermo, Dei nutu iniectam magistro nostræ Societatis men-



tem præscribendarū excursionum priore anno, quo propter difficultatem temporum grauescentibus malis, Parochisque ægrotantibus, numquam alias populi maioribus remedijs aut auxilijs indigere visi. Quamquam, posteriore anno, Offunensium Ducis accersitu, duo sacerdotes in eius oppida missi sunt. confessiones pæne innumerabiles: generales auditæ centum triginta. curatum, vt renitteret quidam iniuriæ ultionem, ac memoriam offensæ. tabernæ aleatoriæ duæ occlusæ. adita Xenodochia, & ergastula publica. pueri instituti. sublatis lasciuioribus cantiunculis pia carmina suffecta. Clerici instructi. Decuriones sui officij commoniti. ex his, tres cum expeterent Societatem, vnus delectus. concubinæ multis ereptæ. hæc & alia communia. Alij sacerdotes duo, rogatu Ducis Feriensum, profecti Zafram. Forte euenerat, vt paucis ante diebus, duo quidam, vsurpato magis Societatis habitu quam munere eo in oppido versati, oneri potius, quam fructui fuissent: itaque nostri, quasi eo de numero essent, fronte nubila excepti. sed breui, Dei beneficio & nostrorū virtute, effectum est, vt discerēt oppidani, quid inter fucos, & apes interesset. peccata confessi plurimi. mulier ab infami lucro erepta. moriens vir vnus rem suam omnem, id est, annuos aureos quingenos Societatis Collegio destinauit. denique ex his sacerdotibus alterum,

rum, Dux ipse Feriensium Romam a Rege missus, ut apud Pontificem legatione fungeretur, adduxit.

### COLLEGIUM HISPALENSE.

**A**BSOLVTVM tandem Gymnasium, anno posteriore, publica impensa. atrium habet centenos pedes in quadrum : porticus duplex: ambulationi superior, classibus inferior patet : hæc duodecim sunt : quarum duæ, ut sacro auditores omnes intersint, conuersæ in templum. Quarta eius pars iam incolitur a nostris, occupata cubiculis viginti septem. altera bibliothecâ explicat satis amplam, distribuentur reliquæ in cubicula quadraginta, hæc quasi adumbrata Gymnasij forma. Huc porro ex vetere commigrauimus, læta ciuitate. auxit celebritatem diei tragœdia sancti Hermenigildi, a quo & patrocinium vrbi, & nostro Collegio nomen : data est omnino apparatu magnifico ab adolescentibus adornatis quanto possent maximo cultu. contraxit eo ( ut infinitam taceam plebem sine nomine ) Cardinalem cum Clero vniuerso, Proregem magistratusque omnes publicos, & capita vrbis, non solum honor qui habebatur Societati, sed & studium spectaculi. inter medios actus, exodia plena ingenij & artis. ceterum ita placuit actio omnibus, ut fuerit reponenda. pro-



inde auctior numerus discipulorū: mille sunt. de eorum pietate in vniuersum sic habet: vno anno, triginta, in cœtus varios religiosorum: vndecim, in nostrum se cōtulisse. Vnius ex his longa & grāuis pugna, eoque clārior victoria. non accipiebatur a Patre Prouinciali, nisi a matre (pater enim abest in India) eliceret assensum. et visus erat sibi eam exorasse: neque enim (an quod filium iocari crederet) vehementer repugnabat. sed vbi ad nos venit, ita asperata est mulier, vt præ iracundia, mentis impos videretur. igitur remittendus fuit: tū vero adhibiti muliebres questus & lacrimæ, irrito labore. nullius enim momenti fuere apud pectus diuino amore succensum. itaque post prælium duarum horarum victor discessit. obtinuit tamen mater, vt, quo dolorem moderatius ferret, antequā ad Tyrociniū proficisceretur, mensem in Collegio esset. quo interim tempore tentata quotidie adolescentis constantia pluribus argumentis, ac probata est. cum cessisset dies, mulier toties uicta, ut aliquid ipsa facere videretur, magno animo filium Deo obtulit. Idem certamen, ac triumphus similis alterius adolescentis fuit. Magnū ad pietatem incitamentum, in hoc quoque Collegio, Sodalitium Virginis. e quo in Societatem octo, in alias religiosorum familias multi plures admisi. quantæ curæ sit patronæ ipsi hic clientium cœtus, hinc intelligas licet. In  
 eius-

eiusmodi Sodalitijs (quod neminē fugit) deligitur vnus, qui sit particeps, & conscius rerum omnium quæ decernuntur, easque litteris mādēt: ab arcanis dicitur, adolescens porro qui hoc munere fungebatur, duos hanc ad rem destinauerat calamos scriptorios insigni ornatu: etenim caules, detractis plumulis, aureo filo sericoque distinguebantur inuicem permixtis: horum alterum furripuit vnus e sodalibus iuuenili furto: cuius, etsi sæpe pulsabatur cogitatione animus, vt posthabitis rebus omnibus se Deo consecraret in aliquo Cœnobio, præualente amore in mulierculam quamdam, aliud agebat. ad eam aliquando cum instituisset scribere, ac furtiuum calamum sumpsisset manu, sensit sibi verberari os excussissima palma: simulque vox ad zures: Etiamne scelestè, rem mihi dicatam temerare audes impuro ausu? Attonitus hac pronūtiatione ac verberè vt se collegit iuuenis, reuertit ad calculos, quos pæne abiecerat, vt amplecteretur institutū Franciscanæ religionis. mansit ad aliquot dies memor nota plagæ acceptæ: vt appareret, ab alia vi quadam maiore, quam ab humana, impactam. De Sodalitate Catechismi proxime aliquid attigimus. in quinque classes tribuitur: singulæ magistrum suum habent vnum e nostris. præficitur omnibus Pater Didacus Gusmanius notæ senex probitatis. mi-



rum quantum eius sermonum suauitate pueri & imaguncularum munere capiantur . gratum vrbi procedentes sub Crucis vexillo conspicui quingentos . hac pompa certe sic delectatus est impudicus quidam casu obuiam factus, vt quod iter susceperat ad explendos turpes amores, ad templum ad detestationem (celestium conuerterit . At alius in hac schola assiduus, cum quattuor liberis die quodam dum huc tendit, inuitatus ab amicis ad aleæ lufum, filios præire iubens aleam prætulit doctrinæ Christianæ: nec defuit exemplum. inter ludendum enim (vt sæpe fit) orto iurgio, a colluforibus pugione confossus occubuit. hoc facto aliorum aucta diligētia est. Enituit omniū pietas, maxime vtrisque Bacchanalibus. quo enim tempore in lasciuiam effunditur populus, lætum incescit agmen per vias publicas: & vrbs (qua plurimum celebratur) elementis Christianæ religionis, ac diuinis cantibus personuit. Et fuit interea aliquis de nobis benemeritus. Clericus moriens rem familiarem omnē Collegio reliquit: exceptis mille aureis ac bibliotheca, quæ legauit Dōmū Professæ . alius vir nobilis quingentos aureos dedit ad libros emendos. florent enim, vt cum maxime, studia litterarum . mitto disciplinas ac disputationes seueriores, duobusque Philosophiæ doctoribus additum tertium. Rhetorū classis, quater

ter anno , eloquentiæ specimen dedit. ferijs  
Christi natalitijs tota hebdomada dictæ ab il-  
lis orationes , & carmina . iidem , in principe  
templo , auditi quadrages magno concursu.  
soli ex omnibus abstulere præmia , quæ pone-  
re Clerus certantibus solet. Verum is dies, qui  
Eucharistiæ celebritati octauis est, veteri cõ-  
suetudine ab vniuerso Gymnasio maxime fe-  
stus agitur. Communicant omnes ( mille  
iam sunt) & adornatur templum illustri appa-  
ratu. Iam de excursionibus hoc tantum. Sacer-  
dotes duo dies quindecim versati in oppido,  
cui nomen a Fõtibus. concio, & doctrina Chri-  
stiana fere quotidie. auditi quamplurimi: de  
peccatis totius vitæ bene multi. Ceterum, an-  
no priore, decessit frater post multos annos in  
Societate exactos. is fuerat olim in sæculo ni-  
mium quæsitæ in victu vestituque elegantia:  
at vltus est ipse sese, cum in valetudinario pa-  
rulentam ægroti sanie collectam lintheo, of-  
firmato oris pressu non dubitauit exugere: ite-  
que cum nitidam vestem cum semilacera cu-  
iusdam mendici ac sordida mutauit, nostro-  
rum iussu: vt hoc esset veluti constantiz expe-  
rimentum. Posteriore obiit duo, eodem mor-  
bo: alterius conspectior mors, quod certas ob  
causas nostri edixerant facesseret Collegio,  
ac res suas sibi haberet. quod vbi audiuit, ni-  
hil mutato vultu respondit: uel inuitis illis, se  
tamen vnum e Societate futurum: quoniam id



a Dei matre impetrasset . nec frustrata illum spes . qui si viueret , abeundum sibi sciebat , vixit , vt numquam abiret .

COLLEGIUM CORDVBENSE.

**D**VM SAEVIT Cordubæ morbus ac domos exhaurit priore anno , audiendis ægrotis , & adiuuandis morientibus nostrorum auctus labor , & conspecta magis industria est . quo minus fuit mirum , si dum bonum afferunt aliis , sibi malum accersunt . ægrotauerunt plerique , curatique certatim a valentibus sūma diligentia . ita eluxerunt officia caritatis , siue cum benigne facit indigentibus , siue cum sustinet aduersa . Erepti tamen sacerdotes duo , alter Grammaticam , Theologiam alter professus : visus vterque aliquid præfagisse , cum paucis ante diebus secessum a rebus & colloquijs omnibus impetrarint in domiciliū Tyronum vt expolirent animam , & quasi præpararent ad mortem : quo latiores exirent , consecuta est Iubilei indulgentia . Iam ( ut similia coniungantur ) decessit , anno posteriore , Consaluus Ferdinandus , re ipsa magis ac volūtate , quam appellatione ac nomine , de numero nostrorū . seipsum iā nobis , & quantulum habebat in bonis sponte obtulerat : septemdecim annos rei domesticæ operam dederat : castigationibus interim voluntarijs non solum exercens cor-

pus,

pus, sed pane atterens: scilicet in hoc vnum omnia vota coniungebat, vt noster esset: quod & ei facile contigerat, nisi supremus morbus mentem imminuisset. at nos, quod in nobis erat, ei funus, perinde vt si e nostris fuisset (quãquam & supremo tempore sublucente intervallo votũ fecit) qua decebat pietate fecimus. moritur & Didacus Mucnocius rara virtute adolescens: et alter Consaluus familia Balencia: cuius in Deo colendo, fruẽdaq; assidua eius familiaritate, paucos similes a se visos fuisse, multi affirmant. rerũ quippe diuinarum cogitatio, in quibus perpetuo defixus hærebat, sic absorbebat hominem, vt inclusus licet corpore, illic esse magis videretur, quo animum intenderat. opes vero atque inania honoris ita contempsit, vt maris eiectamenta diceret, quibus pretium faciat æstimãtium inscitia. Nempe hoc sæculum mare esse: et genus omne humanum rapida in occasum mortalitate euolui. Etenim vt parentes nostri præterierunt, sic & nos labimur, & posteri sequentur. Itaque, veluti ex alto undarum iactus aliis atque aliis superuenientibus in extremo littore franguntur, sic in terminum mortis succidua alliduntur ætates. Talis eius oratio erat: et ad hãc regulam vitæ directæ mors consentanea fuit. Ac ne ij quidem, quibus valetudo integra, defuerunt officio. Prætermitto de pacatis animis, odijs extinctis, ære alieno reddito, atque alijs



aliis id genus communibus. Adolefcens illa-  
 tam sibi ab altero iniuriam difsimulauit, mox  
 etiam vno e nostris interprete remisit. idem fe-  
 cit, anno posteriore, scriba baculo percuffus.  
 octingentorum aureorum summam debitor  
 creditori offerebat inſciant, & accipere recu-  
 ſanti, quod in expenſi tabulis nō haberet. hinc  
 pulchra & magni animi contentio: ea ſedata  
 ab vno e nostris, vt diuiduum fieret, & diſtri-  
 buerētur in pauperes quadringenti aurei, mu-  
 tuo conſenſu. Tam quid repetam de ægrotanti-  
 bus, cum ſit nemo, quin eo potiffimum tempo-  
 re noſtrorum opera vti velit? præclare enim  
 ſecum agi hac ratione quiſque exiſtimat, ſiue  
 conſaneſcat, ſiue moriatur. Vnus ex hoc gene-  
 re vocauit ſacerdotem: hic negat admiſſurum  
 eius verba ad aures, niſi ipſe extrudat mulier-  
 culas duas captiuas, quæ duobus ipſius libe-  
 ris pro concubinis erant: id enim iam diu per-  
 crebuerat in vrbe. eniuero ægrotus grauate  
 id principio tulit. deinde vt vidit rem ſuam a-  
 gi, manumittit mulieres, et conuenienti cum  
 dote amandat nuptui tradendas. tunc audi-  
 tur a ſacerdote introducto. Pulchrum, quod ſe-  
 quitur. Iacebat ægrotus attonitus, nullo iã vſu  
 linguæ: mærebat domus ſpe faciundæ cōfeſſio-  
 nis adēpta. it noſter, non ſolū mutū, ſed & ſur-  
 dū offendit: neque enim ſalus vel nutu reddi-  
 ta. admonet afferri cibū: mox innuēti vt ſume-  
 ret, paruit qui iacebat. quod vbi proceſſit, ſa-  
 cedere

cedere omnes e cubiculo iubet : ipse ac socius  
 ad Deum , vt commodet ei loquelam, genibus  
 flexis preces effundere . posthæc , vrgenti ho-  
 minem contenta voce vt responderet, cœpit  
 ille, quod non fecerat antea, verbis nutum ac  
 commodare ad expromēdos animi sensus: nec  
 multo post vox etiam reddita est, vt aperire  
 potuerit peccata, & testamētum condere, an-  
 tequã exiret e uita . Ac ne illud quidem tacen-  
 dum, persuasum vni, vxorem vt duceret, quam  
 pellicem habebat. Abundauit Gymnasium di-  
 scipulorum, numero, flore, pietate, diligentia.  
 Varijs religiosorum familijs nomina dedere  
 vno anno decem, Societati, quinque . At ex  
 Cōgregatione Dei genitricis cooptatus vnus:  
 in alia Cœnobio dimissi octo : nisi forte poste-  
 rior numerus a priore non erat fecernendus.  
 Schola doctrinæ Christianæ & cœtu & fructu  
 augetur in dies magis . conveniunt diebus te-  
 stis omnibus, horis pomeridianis : erudiuntur  
 de rebus necessarijs, ac pijs : incitantur ad vir-  
 tutem. hinc nosocomium visitur, & ægrotor-  
 um corpora curantur: in quo sæpe tantum est  
 studij certamen, vt abluendarum lancium in  
 diem posterum quasi auctio fiat : vsque eo , vt  
 inuēti sint duo, qui hoc officium ternis aureis  
 emercarentur. id etsi in vno nosocomio atque  
 altero (nempe plenioribus) reliqua tamen non  
 negliguntur a nostris : quo exemplo incitari  
 nobiles. eorum præcipua cura, quos dira lues  
 infe-



infestat. Sed & carcer de more aditus, & liberati aliquot dissoluto are. vnus præter ceteros sacerdos noster fert illis opem, qui admisere fraudem capitalem. Præclarum illud ac fructuosum nostrorum consilium. Festis diebus singulis mane, diuersi in plateas viasque vrbis celebriores abeunt, ac turbam inertem incuriosam Christiani muneris inuitant ad sacrum, quod fit certo in templo, ad tale auditorium opportuna concione interiecta. Aduentu quamquam & Quadragesima compitalitiæ conciones crebræ, & explicatio frequentior doctrinæ Christianæ. Vtile etiam & gratum vulgo, cum anno sæpius, quasi in pompa deducuntur pueri qui nobis dant operam, per urbem bini longo ordine modulate canentes, quæ scire opus Christiano: dein ad ædem nostram aucti numero reuertuntur. Excursum & ad oppida propinqua. Lucenæ ( oppidum est illustre ) omnes ferme de tota vitâ confessi. Baenæ paucis diebus media æstate pusilla quasi Quadragesima fuit. inmutatos vidisses oppidanorum omnium animos, & fere faciem oppidi alteram. viæ quidem ipsæ nihil aliud sonabant, nisi cantiones pias. visi sunt nostri agrum illum, cum discederent, non in germine reliquisse, sed in fruge. Hæc & similia non geruntur ad promerendam hominum beneuolentiam: sed tamen consequitur sua sponte. Anno priore legauit vnus aureos septingentos. Canon-

nonicus nō exiguam pecuniam anniuersariæ inter discipulos præmiorum distributioni ad acuendam industriam Ianuario mense. quin etiam Episcopus prægradem tabulam ad summam aram templi suis sumptibus inchoatam, moriens perfici imperauit, & ad nos afferri, monumentum amoris. Anno posteriore nouus Episcopus sua præsentia cohonestauit Gymnasium: quo die Rhetoricæ professor orationem habuit disertam in primis & elegantem: & dedere discipuli fabulam sanequam venustam: donati muneribus publice, qui ceteros doctrina superassent. Posteriore anno, non modica res ad facultatem domesticam accessit: auctoque Gymnasio creuit utilis labor, & materia laborandi.

### GRANATENSE COLLEGIVM.

**H**IC QVQVE, festis diebus matutinis, plebs otiosa ad rem diuinam compulsæ. Rudimenta fidei populo tradita: qui vt præuia puerorum modulatione ad audiendum, sic deinde admonitu nostrorum ad confitendum adductus est: vt multum sæpe nostris a sacerdotibus in illo opere poneretur. Inuisit & Archiepiscopus scholas, exceptusque oratione Græca & Latina. Is omnem diœcesim perlustrauit secundo anno, sociosque laboris, & consilij conscios, habere voluit duos e sacerdotibus nostris:



nostris: hi, habendis concionibus, excipien-  
dis confessionibus, corrigendis erroribus,  
quantum profecerint, vix dici potest. Episco-  
po item Guadixensium flagitante, Guadixiũ  
sacerdotes totidem misi: quantum promoue-  
rint, illud declarat, quod certatim pecuniam  
conferre cœperunt Collegio faciendo. Regio  
est prope Granatam asperrima & rerum om-  
nium quibus humanus indiget vsus maxime  
inops: efferauit quoque ingenia incolarum,  
eo sacerdotes duo profecti, dies quinque &  
quadraginta in septemdecim oppidis posue-  
re, laboriosos sibi, oppidanis frugiferos, expia-  
runt confessione animos vniuersi, quampluri-  
mi deterferunt labes totius vitæ. Factum hoc  
pariter a multis in vrbe, vbi & alia officia præ-  
stitimus. Adeuntur vincti, & absoluntur a  
peccatis. firmantur docenturque qui aguntur  
ad supplicium. Maurus vnus, sub ipsum tan-  
dem patibulum, Maumetem deseruit, & sa-  
lutari perfusus aqua, statim exinctus est, datũ  
hoc honori baptismi, vt ne eius corpus discer-  
peretur, vti erat constitutum, sed mandaretur  
intactum terræ opera nostrorum. Ex eadẽ  
disciplina alter ab initio iam Christianus, ce-  
terum pertinax, vt pro Ioanne Hametum se di-  
ci vellet, ac feroci vultu cum duceretur per  
vias admonita omnia contemneret, tamen cũ  
esset guttur laqueo elidendum, Christianum  
se mori publice testatus est, fassusque de pec-  
catis

catis omnibus quantum poterat meminisse, veniam ac preces postulans a circumstantibus, religiose expiravit. Iguis alius erat absumendus, non debita morte: neque id ignotum nostris. igitur cum de more ornatus educeretur de custodia, rem sustineri aliquatulum orant: agunt cum altero, qui falsum testimonium dixerat, vt quandoquidem ipse nihilominus presentem suspendij pœnam non effugerat, liberaret animam suam scelere, & innocentem crimine. ita factum est, vt cum hic se reuocaret qui ducebatur ad mortem, cõdemnatus alter iniuste, reuocaretur ad vitam. At publico vrbis valetudinario vnus e nostris sacerdotibus operam nauat: diebus festis multi eum sequuntur, nostri, externique viri nobiles: singulis mensibus cœna lauta instruitur: posito pallio, aperto capite, flexo poplite, sericati homines ministrant: quin & certant de purgandis putrescentibus vulneribus, abstergendisque vntensilibus admixta sorde, ad hoc insigne opus comparant se omnes per mensem. ipso die participant Christi corpore, & concioni sacerdotis sui interfunt, ternis præterea hebdomadæ diebus sacro Domini Aduentu, & Quadragesima quaternis, se flagris accipiunt. procurant iisdem commoda proximorum. de merito quattuor abductas pecunia sua collocant. illud egregium. Cum ex his vna perstaret animo obfirmato, nec admonitis, aut pro-

-obisso  
Vu misis



missis flesteretur, sodales sex (nā hic quoque cœtus Sodalitium vocatur) qui rem tractabant, ibi cum essent, vt exaudiri tantum, non videri a muliere possent, colloqui inter se cœperūt, velle pro multis illius sceleribus aliqua ex parte Deo satisfacere: ac simul flagella infonuere: non citra sanguinem. tum vero dedit femina victas manus, pluris esse intelligens ad persuadendum facta, quā verba. Ceterum, qui passuum trecenta millia cucurrerat delibata cæde vxoris, cum ea iucunde viuit iam mitior factus. Quidam verberatus ab alio totus erat in iniuria reponenda: pacatus tamen est, cum satagente vno e nostris, satisfecit qui laferat, & postulauit sibi ignosci. restitutum etiam æs alienum multis. denique iuuentus nobis formantibus crescit: excitati videlicet omnes multa industria ac diligentia noui præceptoris, parique doctrina. octo erudiebantur in domestico Seminario. posteriore anno decessit vnus: in eius locum suscepti quinque. tres anno superiore in nostram familiam adlecti: emortuus vnus. Ceterum excursiones aliquæ lōgiores fuerē. Maritima oppida huius diœceseos tam multa, vt trimestri spatio a sex sacerdotibus obiri omnia ægre potuerint. vt dicam aliquid causa exempli, triginta adita a duobus. quot retexuerint omnem vitam peccata dissoluendo, in tanta multitudine, exacto affirmare numero difficile est: ipsi quidem sacerdo-

sacerdotes non audent concipere summas. ex  
 hoc existimetis licet, quæcumque longo usu  
 integræ religioni obsistebant, aut vitæ, abolita  
 fuisse, vel in contrarium versa. Quidam mu-  
 lierem ancillam, cum qua sedecim iam annos  
 vixerat (pluribus ex ea liberis susceptis) malo  
 exemplo, adductus est tandem cōsilio nostro.  
 rum, vt secum matrimonio coniungeret. Mu-  
 lier altera oris iuxta improbi, & animi inue-  
 recundi, ætate ac studio in maledicendo exer-  
 cita, audita concione ita damnauit priorem  
 licetiam suam, vt cum postea audiret prorum-  
 pentem alteram in aliorum maledicta, ferre  
 non posset. Quod si tu (inquit) audisses Patres  
 in hoc vitium de superiore loco verba facien-  
 tes, non ita facile laxares habenas linguæ: ego  
 quidem (quoniam præterita reprehendi ma-  
 gis, quam corrigi possunt) dabo operam, vt  
 quod fugauit semel, nō redeat. ita rectum iter,  
 quod fero cognouerat, lassâ errando alijs mō-  
 strabat. Denique muliercula, quæ tres iam an-  
 nos a viro, cum præsentis pudicitia vitæque pe-  
 riculo, aberrabat, cum illo in gratiam redit.  
 tantus interea nostrorum labor, vt cesserit al-  
 ter morbo oppressus. ergo deuolutum pon-  
 dus in eum, qui restabat: sed defatigationem  
 fructus fallebat, aut vincebat. Itum etiam in  
 oram Alpuxarram, de qua scripsimus (credo)  
 annalibus proximis, eodem Collegio. itaque,  
 quæ pertinent ad cognitionem eorum, non



repetentur. sed neque ea, quæ ad Dei gloriam facta: sunt enim cum eo anno communia. Suscepta etiam expeditio in diocesim Almeriæ: tantusque iniectus ardor animis, vt veluti pro merendæ indulgentiæ, ad detegēdas noxas populi certatim accurrerent, & antelucanis horis se effunderent domo, occupandæ confessio nis: eam vel a primis annis repetierunt numero quingenti. reliqua vos cogitare, quã me dicere, melius puto. excipio hoc vnum. Vir primarius sic oderat sacerdotem, vt neque eius ferret aspectum: gnarum id ciuibus erat, ingratumque: is tamen audita concione ita se flexit, vt coram populo veniam a sacerdote postularit: hic vicissim mutatione illa subita ita permotus animo est, vt exortis lacrimis venientem toto pectore adstrinxerit. Ceterum cum explicuisset noster pro suggestu officia rerum non iniuste contrahendarum, eam incussit multis religionem, vt iniquas pactio nes plerique resciderint, restituerint alij alie num argentum. summa septem aureorum milia attingit. si populorum condicionem consideres & inopiam rerum, grandem pecuniam æstimabis.

### COLLEGIVM MONTELLANVM.

**B**IPERTITA esse huius munera Collegij, vt & instituatur externi iuuenes ad doctri nam,

Arinam, & Tyrones nostri frequentibus exercitijs ad prælia præparentur, admonuimus annis octogefimi octauis: sunt & his tertiani admixti, vt profint exemplo. quamquam illud quoque horum proprium, vt in quattuor templis, diebus quadraginta ieiunij anniuersarij exponant teneriori ætati elementa Christianæ religionis: idem in plateis faciunt compitisque magno fructu. Anno superiore, communis morbi vis, quæ peruasit vniuersam Bæthicam, e nostris fere nemini pepercit: nunc, quid putatis factum in externos? ea Nouitijs, immo domesticis omnibus, qui per valetudinem poterant, occasio exercendæ caritatis. nam Franciscanorum familiæ, cum ad vnum omnes laborarent, nullo subsidio, non postulanti, sed ne suspicanti quidem, octo de nostris præsto affuerunt, qui interdum noctuque ministrarunt ægrotis, donec conualescerent. magnum eo officio captum laborem docuit morbus, qui cum omnes afflixisset, vnum sustulit. quamquam etiam extinctus est alter e laboribus alibi susceptis. De conuenientibus ad nos quotidie vesperi primoribus viris, ac sacerdotibus pluribus piorum causa colloquiorum, scripsimus cõtinenter annis duobus. nunc addo: confluere certis hebdomadæ diebus secundum signum salutationis Angelicæ multos gratia verberationis. E discipulis aliquos pignerauit sibi Deus, e quibus, utroque anno binos



in Societatem nostram. Præcipue cognitum est  
 posteriore anno, quanta sit vis confessionis  
 atque Eucharistiæ contra daemones malos.  
 eorum vnus mulieris pudicitiam oppugnare  
 ausus diu varijs minis: sed cum muniret se il-  
 la Ecclesiasticis sacramentis, victus abscescit.  
 iisdem artibus puella est vsa aduersus eisdem  
 insultus. Peregre ibat sacerdos noster, adit ho-  
 minem mulier, quæ se daemone addixerat: opẽ  
 implorat: is confitentem audit: hæc restitutio  
 libertatis fuit. Altera, quia ad nos ventitabat  
 causa confessionis, nocturnis timoribus vexa-  
 batur: mulcatur etiam interdum, & per cu-  
 biculum raptabatur ab inimico, sed (vt sem-  
 per fit) invocatus in hoc certamine adiutor  
 Deus, auctor victoriæ fuit. Peregrinati etiam  
 Nouitij de more. hoc siluissim facile cum com-  
 munibus, nisi accepissem ab vno persuasum  
 homini damnato ad triremes, vt noxas aperi-  
 ret. quod ille, nec se fecisse meminerat vmq̃,  
 & tunc, vt faceret, magna vi adductus est. Ado-  
 lescens præterea quidam, totius vitæ malefi-  
 cia confessus, admiratus constantiam vnus e  
 nostris in iniuria perferenda. Ceterum profe-  
 ctus est ad oppida quædam Lusitaniæ finitima  
 sacerdos non mediocri fructu. Sodalitates Ie-  
 su nomini dicatas, ad euellendam iurisiuran-  
 di consuetudinem, multis locis constituit: ve-  
 teres, alias labantes restituit, alias in melio-  
 rem statum traduxit. Res domestica aucta an-

no posteriore annuis aureis sexcentenis, oli-  
ueto peramplo. In villa sacellum est Deiparæ  
consecratum: eo confluunt festis diebus ad sa-  
crum homines ruricolæ: erudiuntur de rebus  
necessarijs: peccata confitentes audiuntur.

### COLLEGIUM MARCENENSE.

**A**RCHOBRIGENSIS Ducis præstatif-  
sima cõiux multis sæpe argumentis suam  
erga nos benevolentiam ostēdit: nullum enim  
prætermittit optime de Collegio merendi lo-  
cum. Proxime cum coacta hic essent Patrum  
comitia, omnem sumptum prolixè suppedita-  
uit. Nec minus studiosus nostri, aut liberalis,  
Dux ipse: ad refarciendum templum locuple-  
tandumque sacro instrumento pecuniam con-  
tulit. benigni etiam fuere ciues Dominorum  
exemplo. at nos maximum existimamus quæ-  
stum memores gratosque cognosci. E munc-  
ribus nostris (quantum patitur ingenium loci,  
aut desiderat vtilitas incolarum) nihil præter-  
missum. Scholas terunt pueri (nimalis infantes  
dicere qui prima elementa condiscunt) circi-  
ter quadringenti. hoc facilius tenella ætas,  
necdum suffecta veneno vllò, combibit mo-  
res pios. cum per vias publicas modeste ince-  
dunt concinentes elementa fidei, visuntur, au-  
diunturque incunde: eos secuti aliquando Pa-  
ter Prouincialis, ac decem præterea antiquit-



fimi Patres magna oppidum omne latitia affecerunt. Puer e Ducis cohorte Societatem am- biebatur: nec impetrauit antea aditum, quam attulisset Domini assensum. Adita interim vtiliter loca propinqua. Alter e magistris eum puerorū agmen duxisset in vicinum oppidum specimē daturus doctrinæ Christiana, ita permouit oppidanos, vt filios Marcenam miserint a nostris erudiendos. mox eodem cum reuertisset, ludimagistrum abduxit secum ad nos, vt suū ad munus doctior postea rediret.

### COLLEGIUM BAEZZANVM.

**I**NTERMISSVM est docendæ Theologiae munus (eam duo profitebantur) & imminutus collegarū numerus, āno posteriore, quo extruendo Collegio area tandem inuenta est. substitutus interea vnus qui explicat casus cōscientiæ: id tum vtile ciuitati, tum etiam necessarium: ita frequentes consultores habemus. Magna vtilitas aduersum eos, qui in carcere attinentur: saepe inuisuntur, saltem tertio quoque mense: expurgantur confessione, refectique caelesti cibo apparatus epulis accipiuntur. eorum in primis negotia tractantur a nostris. Quidā, quod virginem violasset, damnatus erat ad scalmum (habebat enim vxorem domi) dum ducentis attributis aureis satisfactum violatæ esset: pessime agebatur cum  
homine

homine misera magis quam indigna patiente: egit sacerdos noster cum parente mulieris; & vtramque veniam obtinuit; nempe, & supplicij, & æris. Adolescens destinatus erat igni ob maleficium non suum: iamque præmunierat se Eucharistia suscepta. hic quoque (quandoquidem non peribat merita morte) ereptus incendio est. Decurio vir nobilis ne premeretur falso crimine homicidij inani testimonio mulierculæ, de nostrorum consilio detecta fallacia, & sua lux reddita innocentia est: alter homini tenui atque humili filij necem nostris deprecatoribus condonauit. Interim subuenit etiam mulieribus multis. nonnullæ Cœnobijs inclusæ. Vir magna claritudine generis eam dehonestabat, quod suo matrimonio non contentus vxorem alteri detraxisset, cum qua viuebat inspectante ac gemente ciuitate: quin & grauiora suspectabant, eandem scilicet concubinam ac filiam ipsius esse. non Episcopus, non Prætor vrbani malo remedium adhibere potuerat. sacerdos noster vi mulierem curauit auferri, & in Cœnobium intrusit: mox expiatam criminibus cum marito reconciliauit: adulter iræ atque amoris impotens comparauit sibi alteram, qua solaretur desiderium prioris: hanc etiam noster eripuit, atque extra urbem seposuit ignaro illo: qui tandem, placatus animo se respexit, vt etiam nobis ageret grates conseruatoribus suis: haud mul-



to post confessus apud eundem sacerdotem, ex hac vita migravit. De Academia publica, & iuuentute, quæ ad ægrotorum procurationem, & per flagra afflictationem corporis in nostra æde, nostris exemplis prouocatur monitisque, cognoscendi cupidos ad binas annuas proximas delegamus. Episcopus Societatis amantissimus est: nostro in templo concionem habuit eo die, quem festam agimus tutelari nostro: reconciliari duos coniuges discordantes nostra opera voluit: & confessiones audiri mulierum, quæ profligatam vitam cum Monasterio commutarunt. hæreticorum causarum Quæsitior cum hac venit, nobis vsus ad omnia est. Prætor etiam amicissimo utimur. Ceterum conciones, quarum in templo maximo dignatio summa est, ad nos deferuntur. Veteres similitates nō pauca compositæ: multi enim recenti memoria beneficiorum Christi antiquas offensiones oblitterarunt. Nobis autem elaborata est Crux prægrandis Crystallo atque argento collucens, collectitia stipe.

#### MALACENSE COLLEGIVM.

**P**UBLICVM Malacæ carcerem inuasit anno superiore fœda morbi lues, afflixit vinctos amplius sexaginta. varia erat ægrotantium forma, & multiplex imago mali. iactabantur æstu, ardebant doloribus, clamoribus alij implebant angustias loci, alij alto defixi silen

lento veluti obtorpuerant: miseranda rerum  
facies, hominūque: plerique nudato fere cor-  
pore in nuda iacebant humo semineces, fame,  
frigore, morbo cōfecti, præsentī auxilio atque  
adeo spe omni destituti, nisi nostri in tempore  
occurrissent, igitur stipem ostiatim corrogāt,  
stragula cōuehant culcitraq; cōparant cibos,  
fomēta, medicamina, quicquid denique neces-  
sarium recreandis corporibus, aut morbo de-  
pellendo esset: hæc inter habita animarum  
cura, & solatia adhibita ægrotantibus, mo-  
rientibusque, confessionibus accipiendis &  
opportunitate sermonum. At nostris, in præ-  
sens ille fuit laborum fructus, contagio morbi:  
quo cum essent multi tentati, cui primæ in eo  
munere deferebantur, sacerdos vnus absump-  
tus: Nec minus, anno sequenti, consultum  
est custodijs publicis, in sūma caritate corro-  
gato ære. Maurus uir claro genere, qui Regis  
iussu huc deductus erat ex Africæ insulis, ve-  
nenum ebiberat miscente inimico: porro cū  
pestitis hausta grassaretur ad mortem, nostris  
adhortantibus veram religionem amplexus,  
cum sacro baptismo corporis valetudinem re-  
cepit: nec difficilem postea se præbuit aduer-  
sus inimicum in vincla coniectum. Visitata  
etiam nosodochia, & adinti ægrotantes: ea in  
re nostrorum pietatem ciues æmulantur. fir-  
mati, de more, qui cum morte certarunt. fa-  
ctum his annis frequentius, quibus morbi  
plures,



plures, ac grauiores fuerunt. sedati Decuriones, quorum iracundia sanguinem sitiebat. E nostris auditoribus decem, in varios religiosorum cœtus descripti. Flagella Decembri mēte, & ieiunio, maximo, ter singulis hebdomadis usurpata. Itū ad oppida propinqua vrbi, primū nostrorum aduentum non adeo gratum fecerat oppidanis suspicio (quod erga alios fecerant religiosos) stipis contribuendæ. vbi animaduenterunt se quæri, non sua, usi sunt eorū opera in expiandis criminibus: & iniquis animis tulere discessum.

## X E R E N S E C O L L E G I V M.

**F**A D E M M A L I sauitia multorum oppressit corpora, & excitauit studia sociorum: vt non expectarent, dum ab ægrotis accerserentur, sed ipsi se sponte offerent. Aditus carcer, auditusq; recreatus est Angelico cibo. vir præcipiti senectute, qui tota uita sacerdoti numquam exposuerat peccata, vt id tandem faceret, magna mole adductus. doctrina Christiana pueris tradita. tricæ multæ expeditæ. A foribus domus viri nobilis auellerat quidam gentilicia insignia, quæ erant affixa, magno motu metuque ciuitatis: vxorem ueneno vir tollere decreuerat: hinc familiarum dissidia, cū ipsa rescisset: tres mulieres viris suis se furtim subdixerāt, & iræ timebantur: omnibus his malis nostri in tempore occurrerunt. eripuerunt ijdem vnum laqueo, placā:

placatis inimicis: alterum sagittis, in scel-  
 erum pœnam. represserunt etiam alias publi-  
 eas cædes. Excursum anno priore in oppidum  
 Ximenam, quo numquam alias aliquis nostro-  
 rum intulerat pedem. Magna hic diuinarum  
 rerum ignoratio, & (quæ plerumque cõsequi-  
 tur) corruptela morum. respirare cœpit no-  
 strorum aduentu Pietas, & attollere caput.  
 Nouum gratumque spectaculum præbuere  
 puerorum agmina, cum per uias ducerentur:  
 ijs socios se addebant viri ipsi intectis capiti-  
 bus, sublatis manibus in cælum, excipientes  
 prima elementa religionis, sacerdote dictan-  
 te. hæc auxit occasio numerum cõfitentium  
 adeo, vt hoc fere officium omne aliud tempus  
 auferret. Sed fallitur perspecta vtilitate sen-  
 sus laboris. Ceterum naturæ debitum reddi-  
 dit Pater Michael Perezus, si Societatis an-  
 nos spectes (decem fuere) præferendus recen-  
 tibus: si virtutum numeros, cum veteribus cõ-  
 ferendus: omnis eum Clericorum ac religio-  
 forum hominum cœtus amplo fanere extulit.

### COLLIGIVM GADITANVM.

**D**V M P V E R I coguntur, vt ediscant  
 capita diuinæ legis, latantur Gaditani  
 ciues Collegij Rectorem, vel præferentem ma-  
 nibus Crucifixi vexillum, vel rudiorem tur-  
 bam ære cipientem, cum alij interea audiētium

pieta-



pietatem cantu accendunt. Urgetur in dies  
 ædificatio domus: nec defunt, qui necessitati-  
 bus opẽ ferant. quodã die, cum exitum esset  
 ad quaritandam stipem, conflatu aurei octin-  
 genti. Episcopus Prætorque vrbanus, cum suis  
 vterque consiliariis, valde nos amant. quod &  
 facit Præfectus classis. Sacerdotes duo apud  
 triremes perpetuo fuere instituendæ nauticæ  
 turbæ. et quidẽ mulierculæ exactæ, prauæque  
 consuetudines pestes animorũ: dataque opera,  
 vt emeriti pœna soluerẽtur. Medinensiu Dux  
 ad fretum Gaditanum magnam habet thynno-  
 rum venationem: homines in ea captura occu-  
 pantur (præter mercatores qui eo confluunt)  
 amplius quingenti. eius rogatu misi sacerdo-  
 tes duo, a quibus captores piscium caperen-  
 tur. Video hic mentionem fieri Anglorũ, quos  
 Pater Personius conuertit ad Catholicam fi-  
 dem: vt memorauimus supra Prouincia Ca-  
 stellana, Anglicano Collegio. nisi quod cum il-  
 lic dicerentur nonaginta, hic (ut magis late-  
 ris) excreuit numerus fere ad ducentos. nem-  
 pe aucto fructu ex protracta commoratione  
 laborantis.

TRIGVERENSE COLLEGIVM.

**A**D PROMOVENDAM structuram  
 templi rogati multi cõtulerunt magnum  
 subsidium. sacellum maximum excitatum al-  
 tius

tius a terra. adeuntur frequenter oppida vicina. habentur conciones. constitit præcipue fructus in Cœnobio seminarum: tanta earum pertinacia vel inscitia, vt non Antistita parandum, non psallendum in choro diurnis nocturnisque horis sibi esse arbitrarentur: quo durior nostrorum prouincia fuit. In Andenalum agrum suscepta expeditio anno posteriore. obita oppida plus viginti. eruditus pro concione populus: auditique confitentes, circiter sexcenti. bis die exposita Christiana doctrina, vt omnibus locus esset, nec quisquam intermitteret opus diurnum incommodo rei familiaris.

VBEDANA, ASTYGITANA, CAZORLANA Sedes.

**A**D VBEDANI Collegij initia, Iansenem Episcopum scripsi proximis annalibus (dicendus fortasse erat Giennensis) promississe ad quinquennium septem millia: ea anno priore accepi assignata, posteriore accepta: hac lege, vt mille quadringenti ad uectigal annuum conferantur. hæc pecunia triticum suppeditabit. Ceterum Episcopus ipse de instituendo Collegio cogitare se haud fert obscure. Nostri suis officijs respondere conantur expectationi ac beneuolentiæ omnium. Cum primarij ciues duo, amplis familijs, dis-

sede-



siderent odio implacabili, eaque res spectaret ad plurimam eadem, nostrorum dexteritate sic redierunt ad pacem, vt perpurgati confessione iungerent dexteras populo inspectante. Eucharistia sacramentum in æde nostra locatum, magna pompa, summa gratulatione vrbis. tenera ætas instituitur rudimentis fidei. visitantur custodia publica, & nosocomia. conciones in omnibus templis a nostris frequentissima habentur. singulis mensibus publicis sermonibus incitantur auditores omnium disciplinarum, adducunturque ad caelestes epulas preparatione animorum.

IN ASTYGITANA Sede, ædes sacra & supellex commodius instructa. de illata Eucharistia proxime tradidimus. Calendis Ianuarijs anno priore Franciscanorū Cœnobiarcha ecclesiastes insignis, in ea concionatus multa de nobis dixit, quæ nostri existimarunt esse, siue argumentum amoris, siue industriæ incitamentum. Haberi scholæ tres incepta præuia oratione, tanta cum approbatione omnium, vt exempla passim peterentur. Astygitana porro iuuentus sic pietate excellit, vt colaudanda sit potius, quam magnopere excitanda. ciues etiam ipsi cultores plurimum religionis. ex ijs vnus, qui ad nos ventitant, cum a claro viro urgeretur, ut referret gratiam inimico, constantissime abnuitt: et instanti, si hoc ita abiret, apud homines paruo in pretio

tiore: satis mihi esse debet (respondit) si Deum non laedam. Ceterum cum expositi infantes pueri periclitarentur, nostrorum opera consensuque Episcopi institutum est Sodali- tium ad eos alendos. Sed nostro Collegio ita aucti census, ut fere sint satis foundationi. Ste- pæ (propinquum oppidum est) commorati mensem sacerdotes duo, cum fructu. Nec mi- nus utilis commoratio Palmæ.

CAZORLAE anno posteriore apertus ludus: domum satis commodam ciuitas dedit: additum uectigal: additus ager: sacramento- rum usus frequens adeo, ut mutati fere sint omnium mores. excurritur, festis diebus, con- suetudine perpetua, in proxima oppida duo. Atque, ut uerbo colligam, quæ dispertiri possunt in plurima, nostrorum benefacta & consilia reipublicæ Christianæ pro- cedunt.



PROVINCIA  
MEXICANA.



REGES S. exequar  
anno priore a socijs centum  
nonaginta quinque: postero  
re, a sedecim supra ducen-  
tos. Sex ( vt de duobus an-  
nis simul dicam ) sublato mor-  
bo. Obtinere se ad diuinum obsequium tri-  
ginta quattuor.

COLLEGIUM MEXICANVM.

SOCII DECEM supra centum, postea  
sexaginta quinque, multis videlicet in va-  
ria loca attributis. Instituta certe Professo-  
rum Domus, in qua ( vt his initijs ) socij septem.  
Cum iacerent fere ciues omnes pestilenti ta-  
be, viuudus nostrorum ardor se erexit: contem-  
pserunt, euenire sibi quod posset, vt alijs be-  
ne esset. ex eo factum, vt quibus ignoti erant,  
essent non solum noti, sed etiam cari. In hac  
tempestate, antiquissima summæque venerationis  
Christi effigies de cruce pendentis, præ-  
lata supplicatione sollempni per urbem, prose-  
quente omni Clero: relatæque in ædem no-  
quam, & proposita populo ad nouem dies, pro  
communi valetudine: mox paulatim intermit-  
tente peste, ciuitas reualuit. Conciones fru-  
giferæ

giferæ toto anno. cum concionator paucis commendasset opera misericordiæ (an quod cognita hominum voluntas pluribus hortandi causas exemerat) tantum repente vestis factæ infectæque ad nos collatum est, vt satis fuerit regendæ multorum nuditati. quod iterum sæpiusque eodem tenore factitatum. Sed & alius quidam extitit concionum fructus. orarunt Hispani, eo die, quo coniunctim omnes cælites in Ecclesia Christiana venerationem habent, vt concionator vnum aliquem ex ijs Sanctis, quorum reliquias habemus in templo, ad finem vsque vertentis anni patronum singulis assignaret. hoc idem Indis perentibus æmulandi cupidine, ne tanto bono fraudentur, non fuit negandum, præmissa concione de cultu ac veneratione Sanctorū. dissipata est huius diei fama, multosque e vicinis populis ad simile studium ac votū contraxit. Ab Hispanis hoc additum, postridie illius diei, quo scilicet die defunctorū animæ iuuantur precibus superstitum, collata grandis eleemosyna in sacerdotes vrbanos eo die sacra facientes. mos vterque inductus communi consilio, vt quotannis sine intermissione seruetur. Non desinunt nostri explicare doctrinam Christi Dominicis diebus vespertinis, circum hospitales domos, lanificia, compita, plateas, & custodias publicas: ad quas cum eunt identidem, impetrata venia liberarunt duos, propter illatam in-



iuriam, capite damnatos. Mulieres multæ vj-  
tam improbam deseruerunt ad Cœnobium  
transgressæ. Virginum aliquot pudicitia, cui  
paupertas obstabat, periculo erepta. Pax in-  
ter plures constituta, præcipue proceres inter  
duos, ita atrociter disidentes, vt cum magna  
auctoritate viri in ijs restituendis frustra labo-  
rassent, animam prius, quam odium depositu-  
ri viderentur: sed & hos placauit Deus ora-  
tione nostrorum. Pertinacis iræ mulier non  
solum non ignouit inimicæ petenti veniam  
& ad eius pedes abiectæ, sed toruo vultu ver-  
sa ad alias, sibi ventrique suo (ventrem enim  
ferebat) mortem imprecata est, si vñquam mi-  
tigaretur. visa prædicere, quod euenit. cum  
crudi doloribus puerperij esset in vicinia mor-  
tis, Parochusque præbiturus Eucharistiæ sa-  
cramentum, interrogaret (de more) num ijs  
parceret, a quibus læsa esset, sacerdos noster  
qui eo venerat, capta occasione, inuisam mo-  
ribundæ ante oculos ponit: et venia facile ip-  
so in articulo impetrata est. mox enim sumen-  
tem Dominicum corpus vox & vita defecit.  
Pro ægra altera (idem an alius sacerdos?) iun-  
dendis ad Deum precibus posuerat noctem:  
cum prima luce ab ea accersitur, narrabat hæc,  
in quiete admonitam se, id vt faceret, a quo-  
dam homine nostri ordinis, fuisse. Procedunt  
et studia litterarum. mitto seueriorum experi-  
menta cohonestatâ illustrissimi Præregis Epi-  
scopi que

scopique Tlascalensis, & aliorum Principum  
 presentia. ad aduentum Proregis ipsius fa-  
 bella data breuis atque elegans, communi  
 plausu: tributa tum præmia scholastica ma-  
 gni pretij, quadringentis aureis stetisse affir-  
 mant. affixa etiam poemata varia, in la-  
 ta membrana scripta, pictaque: eaque tum  
 lecta studiose ab iis, qui cõuenerant, tum Pro-  
 regi, quæ eminebant, oblata ab ijs qui in pan-  
 gendo feliciore ingenio præter ceteros dona-  
 ti essent. magna illius diei in præsens lætitia,  
 & in posterum memoria fuit. Inchoata Sodalitas  
 sub auxilio ac nomine Dei matris, post  
 diploma a Patre Generali transmissum, eo die,  
 quo beatam Virginem colimus in cælum rece-  
 pram. sollempnis celebritas fuit, auditæque La-  
 tinæ orationes, & Hispanici versus, in Mexica-  
 næ nobilitatis amplissimo cœtu. placuit biper-  
 titam esse, quia pares cum paribus congregan-  
 tur facilius, seruata ratione æqualitatis. Com-  
 plectitur altera Theologos Philosophosq; pro-  
 uectioris ætatis: reliquos altera permixtos:  
 sic inter similes acuitur magis æmulatio, & a-  
 gnoscitur ex propinquo sua species virtutis.  
 etli certis diebus ex vtraque conuentum age-  
 re de rebus communibus solent. religionem  
 omnium conijcias ex tribus, quos paucis me-  
 morabo. Adolescens domo nobilis, falso infi-  
 mulatus, coniectus erat in carcerem: quam ob-  
 rem flagrabat infamia, nec ad eam depellen-



dam quicquam virium habebat, nisi quod solabatur conscientia, & spes diuini auxilii a patrocinio Virginis. nec sefellit. postero die ipsius negotium honestissime explicatum est. Alter Cōgregationem affectabat, differebat Præfectus, cupiditate accendenda: cum vrgeret aliquando, toto Gymnasio audiente respondet Præfectus, non decere inter Parthenios adolentes conspici cincinnatum (nam hic forte cincinum gerebat) at iuuenis, si hoc vnum obstat, tollam impedimentum: simulque flexis genibus, in medio cincinum tondet, vt hoc veluti signo ostendat se Deiparæ consecratum esse. Tertius denique ex eodem numero iam sacris initiatus, sic alte & magnifice de dignitate sacerdotij cogitare cœpit, ac loqui, vt cum existimaret non quemlibet esse facile tantæ molis capacem, satis superque discutaret sibi, infra summum illud fastigium consistere vno gradu. sed auctoritas matris & consilium nostrorum effecere, vt pro regula acciperet aliorum voluntatem, ad quam dirigeret suam. Domus nostra iam satis commode aucta. templum bonis initijs ædificari cœptum. In æde beati Gregorij, de qua attigimus nonnulla ab his trinis annalibus, duo sacerdotes cum totidem fratribus versantur, aliorum soluti operum et curarum, in Indorū salutem dumtaxat intēti: ita autem sunt promeriti beneficijs amorem illorum, vt sacramen-

mentorum causa certatim confluant e multis  
 locis, nec vlla ratione se adduci patiantur, nō  
 verbis, non terroribus, sed ne vinculis aut  
 verberibus quidem, quo minus certatim ac-  
 cedant diebus festis ad animarū magistrōs.  
 At vnus ex eadem gēte insidias dæmonis hac  
 ratione effugit. Biennium fere, cū per inuios  
 montes & abrupta huc contenderet, artes a-  
 gnouerat, viceratque, maligni spiritus peruer-  
 sa suadentis: donec in eodem itinere intenta-  
 tum est periculum maius. offert se ei dæmon  
 specie adolescentis decoro vultu atque habi-  
 tu: vt se deorsum ducat e monte hortatur, ne-  
 que enim offensum iri: auri quinetiam & ar-  
 genti vim magnam, ac pretiosos lapides offen-  
 tat, consilij mercedem. non tulit clementissi-  
 mus Deus plus imponi oneris homini, quam  
 ferre posset: itaque alius quidam (haud du-  
 bium quin bonus Angelus) ætate florens ac  
 forma dat se in cōspectū illius, admonetque vt  
 constanter agat, neu corrumpi se falsis mune-  
 ribus, aut importunis consilijs sinat. Quod si  
 te iste induxerit, præceps ad Inferos detrude-  
 re. proin Mexicum proficiscere, & consule sa-  
 cerdotem (eum nominabat) saxo, vt te mihi  
 obtemperasse nō pœniteat. Constitit ille velu-  
 ti ab stupore defixus: cui vt successit lætitia,  
 ad nos narraturus facturisque quod viderat  
 audieratque, festinus accurrit: & nunc tantā  
 percipit animo voluptatem, vt prædicet cæle-



ste beneficium, & grates agere Deo nō cesset. Conueniunt etiam multi e regionibus longinquis, nec satis habent peccata deposuisse, nisi vicissim auferant secum de scripto salutare monitus, ac recte viuendi rationem. Auxit pietatem populorum locupletatum templum egregijs picturis, & excitatum Sanctuarium asseruandæ Eucharistiæ, insigni artificio: sed maxime sanctæ Crucis lignū, ex argenteo pluteolo tralucente crystallo Dominica in Passione post concionem ostensum. tunc enim tantum murmur singultuum, tantaque comploratio orta a conuerberantibus pectus, vt diu quies non esset. accursus deinde venerantiū & osculari cupientium vix ipso die finitus. itemque natali Domini, sacroque Paschate, cum conuocatos mendicos domum nostram contexerunt vestitu nouo, refeceruntque lautiore cibo, ministrātibus nostris patribus, & præcepta interim salutaria miscentibus, vt non minus animo quam ventre conuiuæ delectarentur. At sollempnis Eucharistiæ celebritas, propter consentientium & communicantiū multitudinem, suo die peragi non potuit: igitur, altero magis vacuo, prælatum cæleste ferculum splendida pompa. Ceterum tanta Indorum erga patres Collegij beneuolentia, vt concionatorem ægrotantem lacrimis votisque nec incruenta verberatione corporis retinuisse videantur in vita: quinet alio profici-

scentem recreandis viribus, viri mulieresque  
 cōplures profecuti sunt vel inuitū ad aliquod  
 spatium, eximio argumento caritatis. Beatæ  
 Virginis Sodalitas instituta apud Indos felices  
 progressus habet. sodales ipsi palmam  
 pietatis inter ceteros ferunt. ea enituit ( vt  
 reliqua sileantur ) cum feria quinta sancti-  
 oris hebdomadæ ad sepulcrum Dominicum  
 feni horas quaternas in precationibus persti-  
 terunt. Ceterum sunt mulieres complures  
 ita tenaces pudicitia, vt sacrosanctis se mu-  
 niant mysterijs aduersus prælia impuroꝝ :  
 quæ octodecim ipsos annos fortiter vna susti-  
 nuit clarissima victoria. Viduam vnus erat  
 aggressus occasione arrepta, sed ea Iesum no-  
 mine appellans, clamore sublato perterrefecit  
 intrantem: quinet fuste strenue percussit:  
 petit is veniam supplex, neque a victrice im-  
 petrat ante, quam det fidem apud nostros pec-  
 cata confessurum. et nunc eam viam instituit  
 vitæ, vt si perueniri huc debuit post errorem,  
 profuerit errasse. Accipite nunc miram cō-  
 stantiam virginis. Precibus eam ac munifi-  
 bus corrumpere cupiebat adolescens: cum  
 frustra essent, vim adhibet: nocte quadam  
 cum abesse sciret eius parentes, transmissis pa-  
 riete ianuisque effractis penetrauit se in cu-  
 biculum, vbi erat puella: quæ magno animo  
 millies se mori paratā prædicat potius, quā  
 vt pudorem amittat. impotens iuuenis gla-  
 dium



dium stringit: non mentem pudica, aut orationem mutat: at amore ille iraque incensus os cedit pugnis, vt effluat sanguis. Tum virgo, positis genibus, Dei matrem innocans pudicitiae praesidem, maiore nisu clamauit. sic importunus, fatigatione, an timore vicinorum accursus, re infecta discessit. Nec fraudanda est sua laude uirgo altera ex eodem genere: magno caeli desiderio tenebatur, & amore uirginitatis: sed cum eam sponsam sibi ambitiose cuperet adolescens, neque obsisti posset, quattuor dies petijt ad deliberandum: quod omne tempus in ieiunijs & oratione consumpsit: mox die quarto cu sumpisset Eucharistiam, incredibili voluptate sanctam animam reddens, ad caelestes nuptias migrauit. Hoc ubi auditum erit, renouatum videbitur (scio) Petronillae uetus exemplum.

#### T E P O T Z O T L A N E N S I S S E D E S.

**D**VDVM admonuimus hanc esse Nouitiorum officinam: ij, priore anno quidem fuere, & praeter magistrum, sacerdotes sex, qui Mexicanam linguam & Othomiten exercebant. hoc opus utilitatem habuit. concionantur uidelicet, excipiunt confessionses, multosque erudiunt ad priscam pietatem. Hic etiam de mulierum pudicitia aliqua reddentur. Virgo ab impudico homine se, contenta

voce, incusso stipite, coniectisque in eum laxis, fuga denique, relicta in ipsius manibus vestis lacina, defendit. alias cum ab eodem instincto furijs in eas angustias adducta esset, ut elabi non posset (Deus animos dabat, & periculi magnitudo) sic eum allocuta est. Quo te precipite agit amētia (miser) ut ea cupias, quæ diuina lege prohibentur? extrema qualibet patiar libentius, quam inuri maculam pudiciæ meæ. neque aliter Patres iubent. quin te hinc amolire, & Deum non perpetrati solum, sed etiam cogitati facinoris ultorē vereri disce. Penetrarunt virginis verba animum impudētis: itaque pudore suffusus cepit fugam. Maiore animo vsa virgo altera, quæ mulierem se esse oblita, non verbis, sed verberibus, & nodoso robore importunū abegit. Hæ omnes apud nos capiunt mysteria salutis. Nec solum adiuti qui erant in vrbe, sed factis quoque vicina per oppida excursionibus persuasum multis, ut amarent mentem bonam. Longior, pluribus et fructuosior commoratio Xocotitlani fuit: quo profectus est sacerdos. repperit nepe Parochos ignaros linguæ: oppidanos autem ita rudes imperitosque, ut in crassis tenebris nulla fere emicaret scintilla veritatis: hoc signo: dubitabant, Deus lapis esset, an lignum. miseretur, quisquis hæc audiet, si habet aliquid Christiani pectoris. Igitur visus noster, depulsa nocte, reddidisse lucem: et omnes, tamquã



mortalis non esset illi sensus, nec vox hominem sonaret, admirabantur verba facientem: paucis diebus addidicerunt Catechismum. at qui opibus ac dignitate præstabant, curarunt in alia oppida mittendum. Parochi præterea multi cum illo egerunt mitteret Christiana rudimenta idiomate ipsorum. iam enim nos diligere incipiunt, quorum animos nostri ignaros officij sinistra suspicionum iam pridè imbuerant. Nec minoris commodi fuit Quequetocã excursio facta. Hic vero quod abesset Parochus, sacerdos vnus tres menses versatus magnum momentum attulit ad salutem cunctorum. De his omnibus excursionibus in vniuersum hoc dici potest: tantam fuisse confidentium multitudinem, vt sacerdos sæpe ad noctem vsque ieiunus protraxerit audiendi laborem. Ceterum, confessi semel, vbi cognouerunt hoc vel illud nefas esse, cum alio tempore de iisdem interrogantur, aperte negant: quod scilicet dudum nõ licere intellexerint. ita vere se emendatos esse ostendunt. At sacrosanctæ Eucharistiæ tanta apud eos reuerentia est, vt tridui aut quadridui ieiunio ad eam se parent: qui semel communicarunt, mirum deinde, quam se integros seruent ab omni genere peccati. dicas a sacramentum percipientibus percipi etiam sacramenti virtutem. In quodam oppido veneficus erat affecta ætate: hunc in rebus dubijs consulebant Indi, & tamquam diui-

diuinum reuerabantur, atque adeo metuebant, quod propter cōsuetudinem, quæ ei cum diabolo erat, quolibet malo existimabant afficere posse hominem, quem vellet. hic tamen, Deo volente, adductus vt veniret ad templum, et pro foribus ædium statueret signū Crucis: qui & ceteris deinde, vt exēplum sequerentur, oratione persuasit. Ex hac Zepotzotlanensi Sede, anno posteriore, Nouitij in Collegium Angelo politanum, translati: is locus ad eorum commemorationem, & institutionem commodior visus.

### COLLEGIUM SANCTI ILLE- fonsi.

**I**NSTITVTVM Mexici Seminarium in-  
formandæ iuuentuti, cui a sancto Illefonso  
nomen, admonuimus quadriennio ante: cen-  
tum alumni tunc erant: nunc enim, aucto nu-  
mero, ceterum quinquaginta. Creuit nimirum  
omnium fama cum disciplina & scientia: vt  
non solum Mexicani ciues, Hispanique qui in  
his regionibus, & Prorex illustrissimus, sed e  
remotissimis etiam locis viri nobiles, suos li-  
beros apud nos edoceri atque educari vehe-  
menter exoptent. Duodecim hic e nostris plu-  
rimum versantur. De alumporum pietate sic  
habe: quattuordecim Societati, alios alijs re-  
ligiosorum familijs nomen dedisse. doctrinæ  
qui-



quidem a plerisque, & ingenij tantum specimē datum, vt si res examinetur ponderibus suis, cum hac Academia paucas conferas. Proregis filij tres tale edidere inter se litterarū certamen varijs exercitationibus in parentis ad Collegium aduentu, dicendo, & committendo carmina, vt paternas aures, oculosque incredibili affecerint voluptate. itaque in discessū, pro eorum institutione ac reliquorum omnium, immortales nobis gratiæ adæ. At cum sacrarum Quæitores causarum in Mexicano regno scholas inuisere benevolentia causa voluerunt, recitatus est dialogus venustus & grauis, oblataque carmina & anigmata singulari artificio: vt viri magna auctoritate & prudentia, præfagiēte animo, prædixerint nō modo sperare, sed plane confidere tam felici indole adolescentes magno olim præsidio atque ornamento omnibus futuros. Anno posteriore inchoata Sodalitas Annuntiata Virginis: & apparet multorum, tum in ea deposcenda ardor, tum in celebranda, eiusque exercendis muneribus, assiduitas ac diligentia. Collocatum est nunc primum venerabile Christi corpus in sacello magnifice ornato. is dies celebrabitur dato dramate, & insigni carminum apparatu, emblematumque magna elegantia & copia, quibus peristylia decorabantur.

COLLEGIVM ANGELOPOLI-  
tanum.

**N**ON MINOR industria lausq; eorum, qui Angelopoli instituuntur in Seminario sancti Hieronymi, vt quinto abhinc anno accipere potuistis: data ab ijs in scena, & quasi composita fabula, ab argumento erudiendæ inuentutis: vt ostenderent paruum licet numero cœtum futurum gloria ingentem. Nostri in hoc Collegio viginti. eorum etiam cura in lanarios se extendit: excoluntur multi in plateis assidue, suisque temporibus in foro nundinario, Christiana doctrina. nec in vrbe tantum se continuere: exierunt in oppida vt maxime opis indiga, plurimo fructu, sacerdotes duo. eorum aduentus fama vt attigit aures oppidanorum, omnis sese multitudo ad peccata confitendum effudit, vt diurnus labor in multam noctem fuerit extrahendus. et repetebatur postridie prima luce. non proclive æstimatu est, quo certamine animorum, qua procella lacrimarum adirent sacerdotem. reperiabantur enim non pauci ætate exacta, qui numquam antea fuerant confessi. nec deerat, quibus, an Deus esset, suspicio animum pulsabat. superstitiones porro inueterauerant multæ, quibus euellendis feliciter elaboratum est. magna consecuta in pluribus mutatio uitæ.

sum-



summam Christianæ legis ita auide hausit puerilis ætas, vt cum diebus festis fieret interrogatio, ad exquisita responsa timeret senectus aurium fidem. itum deinde in aliud oppidum, quod & magna voluptate perfusum nostrorum aduentu. ceterum tam festo culta suscipiunt Eucharistiam, vt augeat communis læticia venerationem. viridantibus folijs redimitur ædes, & flore consternitur. sacras epulas coronati ineunt, ac lucentes facibus: merito agnoscas celeberrimum illum omnibus ac sanctissimum agi diem. nullus autem maior metus, aut religio, quam ne ad cæleste cœuiuium contaminati accedant. itaque diligēs ad præparationem cura confertur. ad extremum tantus cunctos oppressit dolor in discessu nostrorum, vt confusis vocibus stentes singuli citam reuersionem orarent. Atque hæc anno priore. nam de rebus anni posterioris seorsum dicendum videtur. Ergo, in Collegio Angelopolitano, cum adiuncta proxime Nouitiorum domo, numerati quadraginta sex. in Seminario sancti Hieronymi, occupati fere in instituenda iuuentute, quinque. Tyronum patientiæ virtus in nosocomijs maxime spectata est: plena erāt ægrotorum corporum ex Hispanica classe: bis quotidie accedentes mane & vesperi, bimestrem operam posuere. Duo ex ægrotantium numero (quorum alter illustri familia erat) sic eos auersabantur, vt ne sustinerent

ftiaerent quidem aspectum: sed Nouitij hos:  
 potissimum adeuntes, & omni officiorum ge-  
 nere prosequentes, perfecerunt, vt mutata vo-  
 luntate vterque peccata deposuerit: ille etiã  
 vouerit ingressurum Societatem, si effugisset  
 morbum. Nec minor labor in eo demitigãdo,  
 qui nosodochio præerat: quamlibet nostros-  
 rum sedulitatem in ægrotis adinuandis, non  
 ingrato solum animo, sed etiã inuito accipie-  
 bat: donec ab vno condocesfactus, quo sine adi-  
 remus valetudinaria, propitia voluntate fuit.  
 is quatrinduo post morbo correptus, & erep-  
 tus est. itaque Xenodochij cura, dum valetu-  
 dinarius alter constituitur, translata ad nos  
 magna vtilitate multorum. Tertianorũ (octo  
 fuerunt hoc anno) maxime in Catechismo In-  
 dis Hispanisque tradẽdo probata industria est.  
 Bis sacerdos cum socio missus ad varia oppi-  
 da fructus vberrimos tulit. inuenit in vno op-  
 pidanos expertes omnis doctrinæ: sed breui  
 excoluit omnes, & informauit quantum satis  
 esset: lustrauit sacro fonte pueros non paucos:  
 ex his opportune nonnullos, qui statim vita  
 abiere: impulit aliquos, vt iniustas nuptias  
 cum legitimo matrimonio mutarent: aures  
 quamplurimis de tota vita confitentibus de-  
 dit: vnam a patrandi homicidij cogitatione  
 deterruit. et accidit aliquid, nõ sine causa me-  
 morandum. Effrenatæ mulier libidinis per-  
 licere pudicum iuuenem conabatur sermone.



incesto: et quamquam flagitium aspernabantur aures, non tamen desisteat: donec perpulit, ut effugeret turpitudinē sceleris, ad voluntariam mortem: igitur in restem appēsam de tigillo caput inserit, ut spiritum excludat: placuit Deo, ut funis (an quod vetus erat, ac putris) disfrumperetur: ipse semianimis cadit: cum accurrisset mulier illa, impos mentis credidit mortuum: et dolore subito (agnoscebat enim se causam & caput mali) alterum ingressa cubiculum, a trabe alta cum innexisset nodum collo, infelicem animam excussit. ut ad se remigravit iuuenis, voluit opem ferre singultanti: sed serum auxilium erat. ilicet ad nos rei seriem exponens accessit. Nempe non errat semper (ut vulgo dicitur) Mors: aliquando & eligit: visa, ut est carnifex peccati, utrumque expendisse, eum scilicet retentura, qui nocentior esset. Multa in his oppidis vtiliter facta. Vescabantur Indi carnibus diebus vetitis: viri ac mulieres iisdem in aedibus habitabant, coniugium prætexentes: quod satis esse existimarent ad legitimi ius matrimonij consanguineorum consensum: detectus vterque error, & rite correctus est. Ne in obscuras balneas permixti feminis mares, ut fiebat olim, ingrediantur, non parua occasione peccandi, seuere cautum. Ceterum, in maiore hebdomada publicæ diuerberationis cōsuetudine recepta, mos erat, ut vino se ingurgitantes obstupe-

stupefacerent doloris sensum. ita per eos dies, quorum magna sanctitas est, iacebant in compositis sopiti, mero vincti. obuiam itum est malo, & in odium, seu furor voluntarius, seu obliuio rerum, & vorago mentis, ebrietas, adducta. Atque hæc priore expeditione. Posterioris occasio fuit pestilentia: quæ grassante, tantus iniectus omnibus timor mortis, vt, cum incredibili cupiditate ægroti ualentesque se præmunirent sacrosanctis mysterijs, aduersus peccata, immittenda pietate animis, nihil videatur vitilus fuisse.

## VAXACENSE COLLEGIUM.

**S**VNT HIC e nostris octodecim, in Indorum utilitatibus bene occupati: præsertim pestilenti anno. itaque noctu diuque egrediebantur ad auxilia & solatia ægrotantium: uicatim obibant ciuitatem, ut quod pertineret ad animæ salutem corporisque, nihil prætermitterent: id cum experirentur nonnulli, qui antea a nobis alienato animo erant, accusabant stultitiam suam, & tanto magis nostros diligebant: etenim ea necessitate multi premebantur, vt nostri, adhibito Parocho, ostiatim emendicaret, quæ essent subleuandis laborantibus duplici malo inopiæ morbi que. et corrogata non exigua summa. accidit maxime unum atque alterum memoria dignum.



Aleator impurus & improbus, accitum a domestico sacerdotem, ut audiret confitentem, tanta cum indignatione accepit, ut in ipsum cogerelet maledicta, eaque probra in Deum, quæ in odium aures adducere possent: demum, repetitis crebro aleatorij verbis impiisque, miserrime animam expuit. Solata est sacerdotis merorem ex viri iactura mulier pauperula, quæ moribunda, statim ut eum vidit, signo Crucis ostenso, Hoc, inquit, Pater ago, caedæmonem expello. nec multo post delibuta maiore gaudio, quam quod mens capere posset: *Sinite* (ait circumstantibus) me iucundissimo Dei matris conspectu frui. en ipsam aspicio, cum insigni Patrum comitatu, huic similibus qui mihi adstat ad lectum. multaq; alia edidit clarissima signa immensa voluptatis. Iam ut relinquã agrotos: octavo quoque die habetur ad populum sermo in æde nostra: ad conciendos auditores Catechismi adhibentur pueri procedentes per vias urbis, cum lata modulatione carminum piorum. excitantur ciues ad frequentem Eucharistiæ perceptionem: sed admonentur interea, ut se ipsi probent, ac dignum aduenienti hospitium parent. existit interdum aliquid, unde fructum æstimes. Ina mulier scelerato homini roganti stuprum vehementer resistit, hoc dicto. Egon, quæ me reficio tam sæpe Christi corpore, commaculati natiar animum meum? numquam pudorem  
 viola-

violabo. eadem mens ac fere oratio alterius  
 in magna paupertate erga impurum, repulsa  
 grandi pecunia, præmio flagitij. Maiore fuit  
 in periculo alia, quæ noctis silentio solitaria  
 domi cū aliquid ageret, exaudiuit ianua stre-  
 pitum: quis esset roganti, responsum est mi-  
 nistros esse Prætorios. igitur ostium aperuit:  
 intrauit homo impudicus, a quo cum turpi-  
 ter sollicitaretur admonitu loci ac temporis:  
 mulier ne cunctatione auget periculum, sum-  
 pro virili animo ac robore, extrusit adulterum  
 reluctantem. Afferrentur & alia non dissimi-  
 lia exempla: sed nos breuitati studemus. Die-  
 bus quadraginta magni ieiunij viri mulieres-  
 que, locis sepositi, flagris se cædunt, dum de-  
 cætur interea quinquagesimus psalmus, in-  
 citandæ pœnitentiæ. Res domestica belle pro-  
 cedit. Piorum liberalitate coempta sunt præ-  
 dia, e quibus efficietur bis milleni aurei annui  
 census. Coacta etiam stips ad dissoluendum  
 æs alienum felici euentu. ea occasione lustra-  
 ta oppida suburbana, & pro functione nostri  
 muneris diligenter instructa. Sed interea quid-  
 dam accidit, quod memorare non videtur ab-  
 surdum. Cum adeuntur maritimi populi, inci-  
 dit sacerdos cum socio in copiosum virum &  
 opulentum, ceterum candidū ac probum, qui  
 numquam antea e Societate quemquam aspe-  
 xerat. is excepit illos, vt amicos & notos om-  
 ni significatione humanitatis. benignitatem



tam effusā mirantibus, & causam quærentibus dixit. Conspecta mihi nuper Dei mater comitantibus aliquot uiris eadem veste, qua vos utimini, præcepit, vos ut adiuuarem, quibus rebus possem. Neque aliter fecit. Ceterum, curatum in vrbe, ut inter socerum generumque, & inter alios ciues duos, odia detumescerent. Oppidum item vrbe non procul, quod Toparchæ, & Parochi diuersa studia in duas veluti partes distraxerant, æquis condicionibus conuenit, vno e nostris sacerdotibus interprete, & quasi tabulas fœderis dictante. Hic quoque Virgo ab Angelo salutata suum Sodalitium habere cœpit. Episcopus fecit exemplum, Decano sequente, mox alijs e sacro ordine, ceterisque nobilibus viris, ut iam centum censeantur. Conueniunt in sacellum singulis mensibus, diuinis epulis reficiunt animam, & patrocinia sanctorum rite sortiuntur. Aliquorum cura in vinculos, pauperesque nosodochij porrigitur. quinet designatur, qui sacrosanctam Eucharistiam, cum ad ægros defertur, comitentur tædis accensis, effectumque est, ut hanc pietatem sodalium & ceteri ciues æmulentur.

VADALAIARANVM, ET VAL-  
lisoleranum Collegia.

**I**N RECENS constituto Collegio (ut dudum indicauimus) socij nouem. Eorum ope

ra diffensiones multæ ac similitates finitæ, magna æque admiratione, & approbatione ciuitatis. ciues valde addicti nobis. ex Ethnicis nonnulli ad fidem conuersi. Christiani aliquot, in magna ignorantia rerum, de sacramento pœnitentiæ edocti. ad argentarias duo profecti sacerdotes: alter vt Indos, genus semiferum, instruat: alter vt Hispanos: tanto vterque fuit apud suos in amore, vt eorum admonitis obtæperarint omnes, immo et de suis facultatibus detraxerint sibi multa, ad eos detinendos: et iam nihil expetunt magis, quam eo etiam in loco aliquod Collegium. is certe perceptus animarum fructus, vt fere spem omnem explerit. Inuectus erat sacerdos pro concione in aleæ lusum, in prominentem capitulum, in aliarum praua consuetudinum: nō passi sunt plerique se frustra commoneri: audientes dicto fuerunt. Indus in adulterum, quem domi reppererat, eamque ob causam confictum vinculis, tanto odio ferebatur, vt non nisi eius interitu placari possēt: fuerunt preces multorum irritæ: sed deprecantibus nostris remisit illi pœnam, & facilitati vxoris veniam dedit. Qua, Christiana rudimenta ediscerentur a pluribus, ratio inuenta: explicata decalogi præcepta: de quattuor nouissimis conciones habitæ: hæ res omnes sic gratæ fuerunt populo vtilesque, vt nunc quasi reddita luce, tã diu se, quibus inuoluti essent tenebris, igno-



rasse confiteantur. Ceterum, vetus Indorum mos erat, vt ludicrum committeretur certamen, nescias, exacuendine roboris, an potius exercendæ crudelitatis, quo se mutuis plagis afficerent, affligerentque adeo, pæne ad mortem: nam & aliqui memorantur, qui perierunt sub ictu. tam fœdam immanitatem sacerdos eo tempore progressus in plateam, plena concione sic damnauit, vt Deo etiam adiuuante sustulerit: doluit primo tunc populus ereptò spectaculo: sed postea gauisus est: vt æger, cum in siti negatur accêsurâ magis potio, postmodum valetudine recepta.

IN VALLISOLETANO septem. Partes vnus e cognitione linguæ magnas utilitates his populis præbet. concionatur diebus festis: confessiones (et fere generales omnes) Quadragesima præsertim, frequenter audit: quo in opere sæpe nocturnus diurno continuatus labor est. inter sacerdotes duos atque alios inter primarios ciues rixæ sedatæ: ad Clerum de officijs Christianis habitæ scholæ cum fructu: et cõciones ad adolefcêtes, qui in contubernio maximæ ædis, ieiuno verno: trina ab his diuerberatio hebdomada suscepta. Emissione anniuersaria ad sodinas argenti (septem leucis distant) præter sollempnia illa, reconciliatio dominorum inter se dissidētium, ad perfectionem operis & ad operarum concordiam perutilis fuit.

## SEDES PASCVARENSIS.

**Q**VAE DECEM e nostris in hac Sede ad  
 proximorum salutem fecerunt, non perin-  
 de, vt fuerunt facientibus difficilia, si singilla-  
 tim narrarentur omnia, essent audientibus iu-  
 cunda. insitum nempe natura est hominibus,  
 vt res, magnæ licet, diuturna consuetudine vi-  
 lescent: nouas, quamquã paruas, quia sunt inu-  
 sitatæ, miremur. hinc factum credo, vt capia-  
 mur valde, quæ singulis acciderunt, comme-  
 moratione exemplorum. varietas enim illa, &  
 distincta personarum rerumue appositio de-  
 lectat. Vera hæc oratio est: sed seruabo illud  
 meum, vt e necessarijs nihil prætermittam: cõ-  
 munita, vti iubeor, indicem tantum & attingam  
 breuiter, uti intelligantur. seponam tamen ac  
 feligam quæ eminebunt. Igitur silebimus Pas-  
 cuari redintegratas amicitias, sedatas rixas,  
 administrata, præbitaue sacra mysteria, pro  
 suggestu populũ, & rudiores de plano tradenda  
 Christiana doctrina, instructos. aliqua de varijs  
 expeditionibus veluti aceruatim ponemus.  
 Tecolapam regionem (vbi populi amplius tri-  
 ginta) lustrauerunt sacerdotes duo. Itum est &  
 in oppida Colimæ. ab alijs duobus in loca aspe-  
 ra, & caloribus torrida. ea fortasse, de quibus  
 tradidimus año octogesimo octauo: et ad Ma-  
 tlacingas. nec minus totidem profecti in aliam  
 pro-



prouinciam, cuius nomen non est scriptum. ijdem, opinor, cum obirent subinde alias oras, terrasque, in proximis mari littoribus de Maquilla celeberrima olim prouincia, incolarum que multitudine ac rerum copia nobilissima, fama & auditione acceperūt: sunt quinetiam eius primos fines ingressi: adierunt primum ordine oppida quattuor, nomen vni Tlatlila: atque in his cum fructu iuxta ac labore versati: mox etiam alia. in omnibus sparsum semen diuini verbi, quod stitenter acceptum in solo mollito, fructum suum dabit in tempore suo. in his gentibus populisque confessiones exceptæ innumerabiles, eo vtiliores, quo superiori bus temporibus, minus integræ, aut frequentes. Concionum magna efficacia, et uis. Catechismi exponendi incomparabiles fructus. Eum facile ac celeriter ut ediscerēt, a Deo populis concessum: quorum tantus in nostris amor, tāta assiduitas precum diebus festis, cum quibus sæpe & noctes coniungebant in templo: ea cupiditas, vt soluerentur a noxis: ea examina accurrentium, vt qui ipsi nō viderunt informare cogitatione non possint. Hæc multa, vt præmonui, in vnum collegi, nunc pauca separentur. In regione, quam Tecolapam dicunt, ebrietas commune vitium est genti: id seminarium malorum: cui primum, ac potissimum remedium afferri vitum: hoc vno sublato, multa correctæ. In Colimæ oppido quodam

dam inter quattuor viros factiosos, ac veluti capita gentis, ita inter se discordes, veteraque odia retractantes, vt sine internecone familiarum placari nollent, mira lætitia totius regionis, pax restituta. itaque iam omnes hæc cura habet, hoc studium, vt conferant singuli pecuniam pro modo facultatum, domicilio nobis struendo. et persuadere conantur, ostensis Hispanorum Indorumque necessitatibus, quibus aliter subueniri nequit. Verum alicubi manebant adhuc vestigia impuræ superstitionis. Vbi ægrotabat aliquis, vt scirent de eventu valetudinis, vas plenum aqua impio ture vaporabant: huc postea cum defigerent obtutus, aspicerere arbitrabantur, quid ægro futurum esset. et quamquam conuenerat inter homines, vt ne enuntiarent nostris rem continuo damnaturis, proditum est tamé arcanum non obscuris indicijs, et eius vanitas excussa. In quodam Mexicanorum oppido, quo die Angelorum panis erat præbendus hominibus, adornatum est templum festiuo apparatu: et non solum campano ære, argumento lætitiæ, sed & musicis instrumentis ac vocibus personuit. At in prouincia Maquilla decumbebant multi pestilenti afflati sidere: itaque audiendi fuere omnes, & inungendi sacro oleo non pauci. gens inculta est & barbara, vt cæli asperioris, ita ingenij, ea solum scire videbantur, quæ cernuntur sensu, more pecudum: forsitan et or-



tas animas interituraſque exiſtimabant. ceterū, de Inferorū cruciatibus, aut gaudijs celi, ne ſuſpicio quidē. de fidei myſterijs, et ſi baptizati erāt, nihil acceperant. occupabat omnia ebrietas, deſidiaque, et quæ ex ijs vitia ſequuntur. libido vaga & inconceſſa. vix firmata ætate erant, cum in parentes filij intentabant manus. magnitudo illic ac varietas ſcelerum, & cum impunitate licentia. nullam voluptatem ſibi negabant peccandi. miſera gens ac miſeranda, ſiue proiectam cōſiderares in malum, vitio iam corruptæ naturæ, ſiue omnis propemodum ignarā boni, defectu doctrinæ. augebat miſerationem, quod noſtros ubi viderunt ignotos homines, exiſtimabant veniſſe importunos exactores ad oppida ſpolianda. itaque eorum congreſſum conſpectumque vitabant: comitatem uero in inuiſendis ægris, & affabilitatem ſermonis peſſime interpretabantur. et erant qui eam ob cauſam ſolum mutare meditarentur. Ad quam triftitiā deducti ſint noſtri his rebus cognitjs, ex veſtro ſenſu iudicare poteſtis. et erant ante oculos multorum ſepulcra, qui pactione cum diabolo facta e vinis exceſſerant. ſed collegerunt ſe ipſi, freti Deo. Ergo ex modeſtia parſimoniaque ipſorum, vt euanuerunt ſuſpicionum inania, lux veritatis eluxit: explicauerunt ſcilicet, qui eſſent, quibus e terris venirent, quid quærerent, quis laborum finis, ac periculo-

colorum tam longi itineris. Nihil medium plerumque in ingenijs eiusmodi: aut oderunt, aut amant: vtrumque effuse: qui antea auersabantur tamquam expilatores, vt cognouerunt quid vellent (nam & bonum nihil non expetit: & feræ ipsæ bestia applicant se ad nutritores suos) ab eorum latere vix vnumquam discedebant. Igitur exposita diligenter rudimenta fidei: disputatum de articulo mortis, de necessitate extremi iudicij, de horrore pœnarum ad Inferos, deque scelestorum supplicijs nisi resipiscant, numquam desinentibus, quaque alia æternis hominum animis ineuitabilia. cœperunt ex eo aspiciere diuinam lucem, detestarique vitam priorem: et exorsi nouam, iam se Christianos esse agnoscunt. dissipata ea fama statim vicina circum oppida conuolarunt multi, nostros sacerdotes, de quibus tam pulchra audierant, visere cupientes. Oppidum Tlatlila in prominentibus saxis mari alluitur. hic pluribus iactatis inualitudine sacrae Vnctionis ac Pœnitentiæ sacramentis subsidio fuerunt. in alijs duobus oppidis eodem incommodo laborantibus eadem facta. excepti fuere campani æris pulsu, sollempni gratulatione, non temperantibus oppidanis præ gaudio a lacrimis, & effudentibus se obuiam longis agminibus, ad aduentatium manus deosculandas. Quæ voces porro,

his,



his, & superioribus omnibus oppidis, fuerint mortalium, sacerdotibus nostris grates agentium, admirantium, prædicantiumque causam tam longæ ac difficilis viæ, Deum orantium, vt quandoquidem nihil poscerent terrenarum rerum, neque inueniretur apud homines, quod pro eorum erga se merito esset satis, ipse gratiam referret (quia hoc pertinuit ad extollendam Societatem) in præsentia prætermitti, tum ad breuitatem aptius, tum religiose etiam professione conuenientius reor. In posterioris anni, vt arbitror, missionibus, hæc repperi admiratione digna. Iuuenis profligatus ac perditus, cum nec parentum nec vxoris admonitu innouare se vellet ad honestatem vitæ, in nocturnis tenebris, post strepitum ac fragorem ingentem, videre visus draconem horribili specie, & statim perterritus exclamat ad coniugem. Fer opem, vxor, draco, diductis faucibus mihi interitum minatur. at mulier nihilo audacior, Cruce frontem muniti (inquit) & Mariam Dei matrem voca. hoc factò diffugit spectrum: et audita vox, abijceret sarcinam peccatorum, adiret Societatis Patres de tota uita consilium duros. Alteri, idem vt præstaret, consilium ex eo natum, quod tenebricoso loco vidisset ollas plenas pulvis impositas igni, deformi circum Aethiopicum turba materiam suggerente: e quibus unus,

unus, cum feruentissimam trulla tetigisset,  
 extulissetque fumantem, Hæc, inquit, potio e-  
 briosorum ingluuiem vlciscetur. At alia duo  
 visa erunt audiētibus iucundiora. Mulier exi-  
 mia pietate, cui a confessionibus erat noster,  
 cum secum assidue recognoscit Christi cru-  
 ciatus, eum videre meruit Cruci affixum, &  
 audire suauiter loquentem. Sed & Indus, re-  
 rum diuinarum vsui deditus, mira tenebatur  
 cupiditate nostros videndi: hoc maximum ip-  
 sius vōtum ac postulatum erat, vt venirent ad  
 oppidum. cum in ea cogitatione versatur,  
 noctu tres iuvenes secundum quietem videt  
 diuina specie, e quibus vnus aureum vas ele-  
 ganti elaboratum artificio ferebat, tum qua-  
 le hoc esset spectaculum, & quid portenderet,  
 cum scire cuperet tacitus, occupauit alter co-  
 mitum, qui nihil ferebant. Num illum nosti?  
 neganti, subiicit, Michael est. In eo vase est  
 medicina, qua Patres Societatis Iesu post ter-  
 tium diem venturi ad vos Indorum agritu-  
 dines sanabunt. visum comprobauit euentus.  
 sed redeo ad urbem, & similia adiungo. Indus  
 a pia viuendi semita in peccatorum foueam  
 delapsus, inde se expedire vi sua non poterat,  
 aut potius, in cæco errore mentis, ne curabat  
 quidem. hic quoque, visa hinc minaci Morte,  
 illinc honibili dæmone, nocturnæ quietis ima-  
 ginem ad mutationem vitæ conuertit. Alter-  
 rum, qui cum a pueritia paterna domo digres-  
 sus,



sus, sic vitam instituerat, vt nihil pensi, neque moderati haberet, quin etiã se dæmoni deuouerat chirographo e sanguine percussæ linguæ, efficaci oratione sacerdos a fædo victu ac mâcipatur retraxit. Ceterũ, mortuus ex Indorũ numero quidam, qui diu in hac vrbe principatum obtinuerat, præclarum omnino atque euidentis Indis Hispanisque Christianæ pietatis exemplum. Is nostrorum olim sermonibus instructus, euellendis vitijs publicis, inferendis virtutibus, semper dedit operam vt similes sibi redderet subiectos. quotidie sacrũ audiebat: ponebat bonam diei partem ante beatissimæ effigiem Virginis in precationibus ad Deum. doctrinæ Christianæ ita fitiens erat, vt nemo magis. nec minus opera etiam multis benigne fecit. mendico roganti elemosynam vt vestem emeret, suũ pallium dedit. tum ipse rei occultandæ cupidus, per diuerticula ac recessus clamculum domum reuertit. sed & quibusdam, a quibus erat grauitè læsus, cum magna premerentur inopia, prius ad liberalitatem eius quam ad veniam confugientibus, statim dedit quod petebant: ne differendo videretur negare. et iam spes obtinet, vt ipsius beneficio hæc sedes aliquot socios alat, omni quærendæ in posterum stipsis labore sublato. ei porro, anno ante quam obiret, ita se Deus infuderat, vt nullum verbum nisi diuinis de rebus, aut de periculo mortis audi

re uellet. Cum in ultimis esset, interroganti sacerdoti, Ecquid comoueretur animo, quod coniugem liberisque orbos relinqueret. Minime vero (inquit) quin potius lator. Deus enim viduam & pupillos suscipiet: cuius in fidem ac potestatem illos me, meaque omnia commendo. Atque his, et talibus colloquutionibus pijs feliciter quieuit. Subijcietur hic quiddam miraculo proximum, immo plane miraculum. Est in hac vrbe mulier paupercula, magna integritate vitæ, magnoque ardore animi multa & grauiapro Christo perferendi. quam sit Deo accepta, hac re quæ innotuit, maxime declarata est. Triennio ante uir eius decesserat, relicto tantulo maizio, quantum vix alimento sedecim dierum, non amplius, superesset: omnem spem illa proiecit in magnum omnium parentem, nihil de crastino sollicita: neque irrita fuit: adhuc maizium perdurat. rem ipsa, non iactantia, sed cum verecundia rettulit nostris, alioqui incredibilem, sed alias a Deo factitatam, cum similem honorem in suos famulos ostendit.

## SEDES VERAE CRVCIS.

QVONIAM hæc vrbs non procul abest ab eo portu, quo Hispanica classis quotannis appellit, in aduenientium commoda laborem ponendi ampla nostris occasio est: qui



etsi propter cæli inclementiam, magnamque vim calorum, tentati sæpe varijs morbis, tamen in proximorum utilitatem egregie laborarunt. Nauium gubernatores, fabricatores, remiges, uectores, seruitia, ciuesque ipsi in insula portuque uicino, adiuti concionibus, & auditi, cum se ipsi aperirent. Itum præterea ad Aluaradi flumē, & ad oppida quædam alia, vulgus Angulos appellant: ea sunt Hispanis hominibus, propter nimios æstus, minus frequentata: atque illic Mexicanis Indisque diligenter opera impensa est. Quamobrem etiam qui Almeriam colunt (regio est informis terris, cælo aspera, tristis cultu aspectuque: hoc asylum profligati homines habent. nec quisquam eo penetrat cum periculo uitæ, vbi nulla compendij causa) nostros aduocarunt: ab ijsque se tractari excolique patiuntur. Neque enim ullum est hominum genus ita ferum ac barbarum, modo se homines esse intelligant, quod aliqua non tangat cura animæ salutis.

## S E D E S M A N I L A N A .

**Q**UINTO ab hinc anno significatum est, nobis ædificari domum. ea nunc demum absoluta est, amplo ambitu, e lapide, pluribus tributa cubiculis, vbi non incommode nostri habitēt: ij nunc quidem sunt decē. quibus (etsi quattuor religiosorum ordines pia munera

exer-

exercent in non ita magna vrbe) superest po-  
 tius aliquid, quam vt desit, quod agant. Epif-  
 copus nostrorum opera assidue vtitur. et in-  
 dicauit Deus viris duobus, esse sibi curæ studiū  
 Societatis. Vterque enim admonitus somnio  
 est, ut salutē animæ quæretet a medicina, quæ  
 a nostris præscripta esset. eorum alter sic uehe-  
 menter incitatus est, ut donec cooptaretur in  
 cœtum nostrum, numquā fecerit orandi finē.  
 nunc verum fuisse visum rebus affirmat. tem-  
 pli etiam supellex magnopere creuit. mirum  
 hoc anno, quo varia propter naufragia, mul-  
 torum res familiaris naufragium fecit. die  
 quidem festo sancti Petri, tam grauis tempe-  
 stas exorta est, vt naues plurimæ, quas inter,  
 duæ enormi magnitudine, onustæ merce, mer-  
 gerētur. agnosceres diuinam vltionem. quam-  
 quam in maiore periculo Manila fuit, contra  
 Hispanos, ab Indis nobilibus, Iaponijs, Bur-  
 neisq; coniuratione facta: sed ea, Dei benefi-  
 cio, detecta est, & de cōiuratis pœna sumpta.  
 Ceterum, posteriore anno, ædificari incepit  
 templum magnifica specie, sumptu Ioannis  
 Pacheci Maldonati, Iustinæque eius coniugis:  
 cuius tāta in religiosas omnes familias, atque  
 in nostram præsertim beneuolentia, quoad ui-  
 xit, vt cum iam esset vicina mors, rogarit vi-  
 rum, num ad patres missum diarium esset: qua-  
 si hæc eam maxima cura haberet, nec cum ip-  
 sa moriente moreretur. composita in nostro



templo, & pro concione ab Episcopo laudata est. Iam magnus nobis ac multiplex aperitur campus, excursionibus faciendis. Bisaiarum prouincia Manila distat non tam lōgo spatio, Christianæ legis ignara: vicinarum omnium maxima est, salubri cælo, ac fertili solo: nouam Hispaniã superat multitudine incolarum. Iori rex, qui finitimus Malacæ, eam armis & operibus arte obsidebat (vt dira fames, quæ absumpsit plurimos, docuerit humanis carnibus vesci) tandem conuersa bellandi ratione fugatus & attritus est. cum enim ex India sex Lusitanorum naues illuc appulissent subsidio militem & comteatum ferentes, repentina excensione Malacam liberarunt, tantoque animorum ardore ac virium persecuti sunt hostilem exercitum iam conuersum in fugam, vt fere omnem interneccione delegerint. Iorum quidem vrbs gentis caput, capta & æquata solo est, omnesque arces atque oppida euerfa. Lusitanus, paucis desideratis, cruentus sanguine hostium, & onustus præda, insigni cum victoria triumphans reuertit. Nuntiatum nobis est Ternatēses fame ac bello vehementer affligi. Tidorenses, quibus amicis vtimur, Quartam insulam, ex his quæ aromatibus abundant, expugnarunt: proinde Hispanorum opem implorant, ad alias obtinendas. Ciauli rex, vera religione iam pridem suscepta, auxilium petit, significatque gentem cui ipse imperitat sic esse pro-

se propensam ad amplectendum Christum, vt nihil aliud desideretur, nisi qui instruant ad fidem. idem narrat miles, qui in illo terrarum tractu diu versatus cū illis sæpe egisse de religione affirmat. Quæ cum ita sint, vt fortis exercitus certus uictoriæ ad propinquam pugnam, sic et nostri, Deo vocante, ad hanc tantam segetem, quæ inalbescit veluti ad messem, dignos animos parant. sacerdotes iam duo didicere Indorum propriam linguam: quo magis utiles fuere. Igitur, Quadragesima præsertim, tantus numerus confitentium, vt cum suo ordine audiantur qui accessere primi, nõnulli vel triduum expectent. sic autem afficiuntur, cum excurritur per oppida, omnes concionibus, vt si esset permillum, sequerentur concionatorem, quocumque se conferret. nec sunt hebeti ingenio homines, quin acuto potius, vt eorum multi iam Hispanice loquantur. Sed natura humanæ gentis cara est vnicuique patria lingua.

CACATECANA ETCINALOEN-  
sis Misiones.

CACATECANA vrbs, in hac noua Hispania, post Mexicum, alias omnes & argenti venis, & incolarū multitudine superat. Huc duo e nostris principio missi: anno posteriore, additi tres: quorum dexteritate ac re-



ligione multa in melius correcta . occursum  
aliquorum inimicitiiis , ac temulentiae multo-  
rum . amantur a ciuibus , grandi iam collecta  
pecunia magno opere expetentibus vt stabile  
domicilium in vrbe collocetur .

CINALOENSIS prouincia , multis licet  
abhinc annis esset cognita , et cuperemus eo  
mittere aliquos ad laborem , operarum inopia  
factum est , vt in posteriorem vsque annum ali  
qua expeditionis species differretur . Igitur  
missi duo , exceptique tanta gratulatione , vt  
obuiam illis itum esse a plurimis viginti leuca-  
rum itinere plerique affirmant . Ceterum Pa-  
ter Martinus Perezius , in hunc modum fere  
scribit . Vt ad primam peruenimus Cinaloen-  
sem prouinciam , Hispanorum confessionibus  
data opera est . deinde vltterius progressi su-  
mus . Gens est ingenij bonitate excellens , ea-  
que mansuetudine , ac suauitate morum , ut a  
nostro comitatu vix vumquam discedant : quos  
etiam noctu dimittere difficile est . adeo labo-  
ris patientes , ut bis anno excolant agros . ra-  
ro uescuntur carnibus , etsi ceruis leporibus-  
que eorum saltus abundant , & in urbe ipsa ma-  
gna sit copia gallinarum . inter mulieres . etiã ,  
nullus inertiae locus . hæ uidelicet uel uiris se  
socias adiungunt in opere rustico , vel domi  
operatae lanificio , parem rationem faciunt cū  
maritorum labore externo . ceterum , sic quies  
inimica vtrique sexui , vt nihil inuitius faciãt ,  
quam

quam cum cessant diebus sacris. quamquam interdum penso absoluto, ut mulieres arundinibus paxillorum forma, sic viri ad cursum lusu quodam (ad palum vocant) se exercent. cuius hęc species est. Pluribus collusoribus bipertitis in factiones duas, semilibrale lignum pedibus ab vno propellitur maximo nisu, mox accurrunt alij certatim, et ne terram contingat, qui fuit velocissimus iterum pedibus trudit, dein excipitur ab alio impellendum eadē ratione, dum perueniatur ad metam: hinc reditur eadem ludendi forma & celeritate ad carceres, vnde erat discessum. tum qui fuere primi, victores pronuntiantur, & donantur arcu sagittisque, incredibili plausu. comparatur ex eo tanta velocitas pedum, & agilitas corporis, ut binas ternasue leucas sine defatigatione decurrant. Ad has exercitationes confluunt e diuersis populis iuuenes multi, militari omnes ætate ac studio, picturata veste, gemmantibus plumis, insigni ornatu luditurque, in tanta cupiditate uincendi, ea moderatione animorū, ut iurgia inter eos numquam extitisse audierim. Ceterū, cum aliquando, propter fraudē quæ dicebatur cōmissa, differrentur præmia, commotis animis, prope ad arma erat ventum, nisi a nobis placati fuissent. Magna mulierum pudicitia est: nec in tanta multitudine aliquam inuenias, quæ corpore exerceat quæsitum. singulis vxoribus lunt



contenti: exceptis optimatibus, qui sic pluribus nuptijs ambiuntur, vt totidem etiam sementes facere legibus iubeantur. sed quam primam duxere, ea proprie vxoris obtinet nomē, & locum. Iam vero, vt est auditum prohiberi plura matrimonia, abstinent non iniuri. Vnum esse non ignorant rerum effectorem, ac parentem Deum, cuius sedes, cælum: eum moderari res omnes, quæ prouidentia reguntur: in homines tamen nulla propria cura, propter animi libertatem. ita nulla apud eos olim religio, aut cultus pius: nullus ritus funerum: mortuos aut vrunt, aut in profundissimum sepulcrum sexcëtorum passuum altitudine cadauera deiciunt. domus e ligno fabricantur, culmina operiuntur virenti stipula, aut arundineo textu. tellus piscosis fluminibus irrigatur plurimis, summa celeritate se euoluentibus in Oceanum. regio aprica, felici temperie anni, afflatu noxio carēs: nullæ in ea arbores fructiferæ. indigenæ ea valetudine corporis, vt nullum adhuc agrum inuenerimus. cæci & membricapti adeo rari, vt numerari possint. miræ gentis paupertas. Igitur in his locis, ad cōuocatos homines, quorum docile & tractabile ingenium est, eorum lingua expositus Catechismus. baptizati mille circiter ac sexcenti: ceteri instruuntur: ducenti fere ac viginti nuptias pie celebrarunt. templa tredecim, in humilibus casis ( sed compensat. piorum excelitas animo-

animorum) extracta. Ultra has gētes, sunt Te-  
 pauanz, Siuiri, Quiuiri, alijque populi numero  
 sissimi, Mexicani noui imperij: vnde, Deo adiu-  
 uante, si summittantur qui opem ferant, ex-  
 pellenda vetus dæmonum superstitio est. Hæc  
 vt dixi, ex litteris Patris Martini Perezij. At  
 socius alter, Pater Gundifalvus Atapia, in vici-  
 nis regionibus animos ad suscipiendum ba-  
 ptismū aptissimos repperit. erant quidē Chri-  
 stiani aliquot, sed in summa ignorantia re-  
 rum scitu necessariorum. itaque hi reformati:  
 instituti ac tincti aquis salutaribus centū vigin-  
 ti vnus: plures futuri, nisi Cinaloēsiū procu-  
 ratio potior fuisset. Ceterum, haud diu ante in  
 iugo montis præcelsi idolum erat, cui homi-  
 nes prisca, ad vbertatem messis, maizium, ad  
 victoriam reportandam, sagittas offerebant:  
 et quamquam demoliti olim fuerant Hispani  
 turpem effigiem, cum illac transissent, mane-  
 bat tamen memoria, & aliqua superstitio. igitur  
 sacerdos noster, cum catechumenorū gre-  
 ge prælata cruce Christiana rudimenta con-  
 cinentium, ad montem conscendit, euerſaque  
 arbore, sub qua fuerat imago execranda, vt  
 nullum esset vestigium, Crux victrix summa om-  
 nium veneratione imposita est. sed cum his  
 duobus patribus laborantibus, cresceret opus  
 animusque, vt in abundanti messe, deficienti-  
 bus viribus, sacerdotes totidem additi in ope-  
 re subsidium, et, si verum quærimus, etiam in  
 certamen laboris.

PRO.



P R O V I N C I A  
P E R V A N A.



RIBVTA EST in Collegia sex, tres Sedes, quattuor Misfiones. In his omnibus locis socij centum octoginta septem. Scribuntur res anni prioris.

COLLEGIVM LIMENSE.

VT PAVCA prius de studiis litterarum: Theologiæ schola frequens. Philosophiæ curriculum inceptum. vtriusque specimen datum magna doctorum approbatione, Episcopi præcipue Cuschensis, qui non solum interfuit, sed quæ eius est benignitas, atque erga nos benevolentia, disputavit: vtramque etiam ostendit assidue, cum huic Collegio, & Cuschensi, quæ fuerunt opus ex sua re familiari dedit. Cœpit vnus e magistris, principio, octauo quoque die, modo vnum, modo alterum carcerem inuisere, & vinculis afferre cibum, quem discipuli suggerebant. videbatur ea res multo cito finem habitura: sed Deo adiuuante, adhuc perseuerat magno bono custodiarum: et discipulorum parentes tale officium probant. quin et locupletes viri duo, pacti sunt annua

inte-

integrum alternis vicibus esui necessaria mis-  
 furos. inuenti etiam, qui submitterent inter-  
 ea aliquid, vt esset sæpe, vnde vtrique carceri  
 suppeditaretur. Initium conuiuij semper a ser-  
 mone pio: mox fere triginta confidentibus,  
 magister ac discipuli ad mensam ministrabāt.  
 admiranda res magis hoc anno, quo est fame  
 laboratum: tanta enim rerum omnium inopia  
 erat, vt aliqui per urbem oberrarent, more ca-  
 num, circumrodentes ossa, quæ proiecta inue-  
 nissent. auditæ interea cōfessiones vincitorum.  
 vocantur enim nostri, qui supremam opem ca-  
 pitalibus ferant. et accidit interdum, vt opera  
 constet. elutus salutari aqua in carcere Aethi-  
 ops iam iamque ad supplicium producendus.  
 alter, dum ageretur, venenato spiritu voces  
 euomebat, quæ animos polluerent audien-  
 tium: sed dum per scalas trahitur, vt fiat su-  
 blimis, Deo adspirante, & admonente nostro  
 qui aderat, mutauit mentem, plenaquedolo-  
 ris confessione peccatorum fecit veræ pœni-  
 tentiæ fidem. Sermones in foro maximo, sin-  
 gulis hebdomadis, sexta feria, primo vespere  
 frequentissimi fuerē. Primam e scholis con-  
 ueniunt pueri in ædem nostram, vbi docen-  
 tur summa capita Christianæ legis: inde cum  
 æqualibus in forum procedunt. Diebus Do-  
 minicis, ante exortum solis, Aethiopibus ac  
 seruitijs, virilis ac muliebris sexus, habetur  
 concio, nostro in templo: quo etiam alij con-  
 fluere



fluere solent. at ubi in vesperam inclinatur dies, aliqui certa in loca se conferunt, quæ celebrantur a magna Aethiopum turba, vino epulisque operantium lætitiæ: adhibent in tempore cohortationes pias pro captu gentis, & explicant initia religionis: ita coacti principio cœtus ad saltationem cantumque, cum sacris precationibus, quas Rosarijs exigunt poplitis in terra positis, mutantur. Hæc inter, Indi quoque excitantur sermonibus sacris. Sancti Martini Collegium (hoc novum esse oportet, neque enim antea, quod sciam, quicquam de eo proditum est) ubi duo versantur e nostris, quotidie discipulorum numero augetur. Sodalitas conceptæ Virgini sacra, sollemnem diem, quo aggregatam se ad Romanam intellexit, per celebri cultu egit. caput vnum ex vndecim millibus, quæ virginitatis laudem martyrij palma cumularunt, collocatum in fascello. octo dies continenter festi fuere. octavo data præmia illis, penes quos summam esse ingenij atque eruditionis iudicium erat. omnia conclusit dialogus pius. Diebus festis inuisitur portus: duabus hinc leucis distat: matutina habentur conciones in templo: sub vesperam in foro Aethiopes, & remigum greges in triremibus edocentur. Alias quoque in terras de more excurritur. Sed communia referre non est operæ pretium. Inuenti quibusdam in oppidis multi, qui plures iam annos sacerdotem

dote caruerant. reperta anicula ex Indorum gente, centesimum annum egressa, quæ admonitu & auctoritate sacerdotis nostri, opportune expiatam criminibus animam postero die reddidit Deo. idem alteri accidit natu grandiori: quæ ut nutu peccata patefecit (iam enim defecta erat auribus ac lingua) mortem cum confessione coniunxit.

### COLLEGIUM CUSCHENSE.

**CUSCHVM** Lima distat leucis centum triginta. sita vrbs est loco optimo. In quæ olim regis sedes, & caput regni. magna Indorum frequentia, ea nostris leges laborum: sunt enim viginti quattuor. Post pestilentie tempestate, & quæ in ijs regionibus aduersa, mira & temporum & rerum serenitas consecuta est. effloruerunt litterarum studia, & adulescentium cætus, ut addito fuerit opus altero Humanitatis magistro. Dedimus etiam nos ad docendum communem Indorum linguam rogatu Episcopi, eam promouentis adeo, ut neget a se initiatum iri, quem non constiterit accedere ad eam classem. eius autem erga nos, ut in Limensi attigimus, larga liberalitas est, magna que propensio voluntatis. permisit nostris in vniuersa diœcesi sacramentorum administrationem. multa etiam dedit ad sustentationem Collegij, & ad templi ornatum. inter  
cetera



cetera, conestitum altare lamina argentea, signis aspera a fiabre factis, in hoc tractu terrarum, sine vllō exemplo. Et quamquam in Hispanis opera posita, pacificatiq̄ue inter illos sacerdotes duo, tertium q̄iam annum discordes cum multorum offensa, maior tamen in salute Indorum labor impensus, qui multitudine superant. Generales cōfessiones, præcipue ab ijs, quibus numquam seruatae leges rite confitendi, exitere multæ, maximam partem a Comarcana prouincia profectis. Ethnici quidam Indi, quibus Eunuchorum nomen, triginta leucis Cuscho procul, certos homines ad nos legarunt decem, orantes aliquos mitti, a quibus erudiantur ad fidem. ea dum legatio tenet, legatorum vnus ægrotauit, breuique instructus ac baptizatus, postero die cælum sibi, Dei concessu, feliciter emeratus, obdormijt. Ex hoc enim Collegio variaz expeditiones fiunt, binorum mensium ternorūue, pro ut requirit natura hominum, aut necessitas locorum. De vna tantum aliquid ponam, vt coniectura de reliquis fiat. Aimarū gens vertices montium et abrupta infedit, delecto loco, vbi ab hostibus tuti essent. ingenio non hebeti, sed ad res quaslibet perdiscendas apto: ceterum, spiritualis opis maxime indiga: ea potissimum de causa, quod abusa est peste, superiore anno immissa ad pietatē excitandam: et, quod vti remedium dabatur,

peruer-

perue  
cum i  
spani  
prox  
menf  
est pl  
tura,  
Hispa  
esse.  
quen  
non e  
que.  
crile  
quo  
vatu  
tuar  
peri  
ren  
erat  
con  
nisi  
ba  
ta  
ter  
ipl  
ctū  
&  
er  
lur  
(v

peruerfitas hominum exitium fecit. nempe, cum in indigenas tantum ſæuaret morbus, Hiſpanis intactis qui inter eos verfabantur, vt proximis annis adnotauimus Collegio Limentſi: perſuaſit illis dæmon ( credula enim eſt plerumque calamitas: & gens ipſa leuis natura, nec alte iactis in religione fundamentis) Hiſpanorum, Indorumque Deum non eundem eſſe. quippe Indi affliguntur irato Deo ſuo, quem deſerere auſi: Hiſpani incolumes, ab eo non diſcedentes, quem coluere parentes auſque. ſumma illuc pertinebat, vt Indi ad ſacrilegos veterum cultus reuerterentur, antiquo numini propitiando. adiunabat errorem vatium improbitas, qui falſiloquis dictis infatuare populos nitebantur, et reuocare ad ſuperſtitiones impias deſertas, vt eos emungerent argento. impudentius eorum mendaciū erat, qui Peſtem vidiffe aiebant atroci vultu comminantem omnibus exitium ſupremum, niſi auro et muneribus placaretur. mentiebantur alij a ſe viſum Ingam (de quo nos multa quinquennio ante, in Sede Iuliſi) furentem contumelia, ſimulque admonentem, ex ipſius voluntate tantum malum populis inuentum, vt reſipiſcant. iactabantur vulgo hæc, & alia monſtra, poſtquam mentiendi pretium erat: quibus Indi cum fidem haberent, non ſolum ad priſtina ſacrificia donaque redire (vatum hic erat quæſtus) ſed adducti etiam,

nihil



nihil vt haberent domi, quod Hispaniense esset, non accedere ad rem diuinam, nisi specie officij: in templo non venerari Crucem: cum sacrosancta attolleretur hostia, non nisi laua pectus percutere. neque his finibus vesania sterit. Cruces, imagines, candelas sacras, Rosaria, galeros quinetiam, & calceos, aliamque vestem, quibus ipsi utebantur ad Hispanorum similitudinem, domo eijcere, quo quasi lustraretur, & purgator esset. Difficile est tenere incitatum vulgus, vt in præcepti, vbi semel la bi cœpit. quod hominum fuit, nemine excepto, oppidum vnum vacuum fecit, dum se ad varia maectandum animantia, in montem effundunt. vbi desæuijt tempestas impietatis, reperti arietes (eius figuræ quam proximis annalibus descripsimus Sede Iulienfi extrema) omnino quadringenti, sepositi ab illis, velutique eximij & sacri habiti, vt maectarentur in monte, quem antiqui diuinis honoribus venerabantur: hi postea arietes in vsus pios conuersi sunt. Igitur, dum feruet scelus execrandum, conspicantur forte anum, quæ ad sua negotia ibat, a laniena non procul. exclamat repente sacrificulus, Ite in vetulam turbatricem sacri. sine huius cade nulla litatio est. dicto citius, mulier lapidibus obruitur, et cum homicidio sacrificium perpetratur. Ceterum, sexto septimoue post die, infontis cadauer illatum in oppidum est, recentibus

bus adhuc vulneribus, sine vlla graueolentia, vt Hispani testantur. Alibi etiam, ex antiquo ritu, huiusmodi impietates susceptæ . ferunt quodam in oppido hariolum stetitisse vestitu patrio, qui se, ipsam esse Pestem a simularet, effundentem voces, quasi ex quodam numine, supra humanas: dexteram porrigebat populo osculandam, cum aurum interea argentumque promiscue offerrent procumbentes, ac religiose adeuntes. hoc dum facit in confusa turba Indus rudis ac simplex, Gratia tibi IESV Christe (lingua fortasse præcurrerentem) quia dicere exorsus, tamquam profanus a sacro coetu exturbatus est: et consonante clamore, variaque contumelia, facescere iussus. adnotatum est, quibus in locis superstitione magis imperauit animis mortaliū, inibi, peste dominante, plura corpora absumpta. Hic erat Aimarum status in nostrorum aduentu: ij sacerdotes duo fuerunt: qui & secum Indos quattuor cæcos adduxerant egregie institutos, auxilio gentis. Diei ratio sic erat distributa. primo mane fiebat sacrum: zris tinnitu circum oppidum conuocabatur populus in templum: dein adhibebatur concio opportuna. tum viri ab vno, mulieres ab altero audiebantur. cæci interea interpretabantur Christianam doctrinam. a prandio idem opus producebatur ad noctem. postrema clausula diurni laboris altera concio erat.



Ter singulis hebdomadis inibatur diuerberatio corporum, index pœnitentiæ. E populi corruptoribus immanitatem sceleris detestati duo, et ad eam se amentiam adductos prædatorum cupidine confessi publice sunt. ea res magnum momentum habuit ad imperitiores animos in religione continendos. idem exemplum securi alij eiusdem sceleris auctores. expeditio hæc vtilissima fuit: quod si maioris operæ est recipere prouinciam, quam primo parare, etiam difficillima. non enim in ea positi menses: dono data Rosaria, icuncula, globulique piacularæ, pro captu accipientium. et quoniam confessiones fere omnes generales fuere, intravitque homines pudor, & gloria nominis Christiani, alia nunc ora, aliaque pectora conuentibus nostris, magna spes est, ope diuina, retenturos perseverantiam veræ religionis.

### COLLEGIUM POTOSINVM.

**V**LTRA Cuschense Collegium Potosinum est, leucis centum septuaginta. de Potosio non repetimus quæ proxime missa. fructus huius Collegij maximus concionibus debetur: efficax enim concionator, & acceptus. is auctor restituendi grandis aris alieni pluribus fuit: reddita quinum senumque aureorum millia. Verum hæc & alia, vt minoræ & communia, prætermittantur. multis sceleribus

ribus occursum. conuenit sacerdotem no-  
 strum mulier, cui cum diabolo vetus erat cō-  
 suetudo: quinet eius admonitu multos a se  
 interfectos Indos, asseuerabat: et, ne simplicis  
 mali causa esset, captata ebrietate illorum, vt  
 de corpore simul animaque ageretur, causa  
 mortis herba, erat temporibus applicita, quā  
 demon monstrasset, ea vi, vt interitum breui  
 afferret, aduersus hostem auxilijs eam & con-  
 silijs praximijit sacerdos: quā cum exequitur,  
 secundum flumen obuium diabolum habuit,  
 specie canis, hęc horrifice latrantem, Siccine  
 me deseris? et tot annorum consuetudinē  
 pro nihilo habes? At mulier tætrum visum, nō  
 sustinens, vt erat admonita, Cruce frontem  
 obarmat, et IESVM Mariamque ingeminās,  
 efformatamque implexo vtroque indice Cru-  
 cem super humeros extollēs, terga vertit: mox  
 & canis ipse conuertit viam, neque oculos mu-  
 lieris, modo hęc, modo illac flectentis iter,  
 omnino liberat: donec tandem cum ingenti  
 latratu abscessit. Sexta quaque feria mane,  
 diebus Dominicis, et vesperi, concionibus In-  
 di instruuntur: adulti aliquot susceperunt bap-  
 tismum: ex horum numero mulier fuit nonagin-  
 ta annorum, quā, vt has oras Hispani pene-  
 trarunt, et si magno natu, in solis agris deser-  
 tisque delitescere optauit, donec, Deo mise-  
 rante, resipuit: hęc & filiam secum adduxit  
 maiorem annis quadraginta, Ceterum, de fru-



Cibibus Potofini Collegij, multa ad Patrem Pro-  
 vincialem scripsit Pater Robertus Arnonius,  
 e quibus pauca feligentur. ac primum. Quoad  
 grassata est pestis, a se vno audita hominū fe-  
 re quinque millia: de omni vita circiter quin-  
 gentos. concubinas ablegarunt alij, vxores  
 alij habere maluerunt. ita in rem bonumque  
 multorum pestilentia fuit: labor non conte-  
 mnendus, aut paruus. cū luce persæpe egredie-  
 bamur domo, nec regrediebamur nisi ad mul-  
 tam noctem: ieiuni quidem, vti discesseramus,  
 sed nihilo magis defatigati: tanto minus fa-  
 tiati laborando. fructus enim apparens subin-  
 de extinguebat laboris sensum, et in volupta-  
 tem mutabat. At sacerdotes nostri, non con-  
 tenti adhuc rebus effectis, dum alia faciunt,  
 ad faciendum mox alia properabant. itaque  
 sacerdos idem cū socio ad quinquaginta leu-  
 eas, aut sexaginta, profectionem a moderato-  
 re Collegij impetrauit. equū ducebant, phar-  
 macis rebusque dulcibus conditisque ad ægro-  
 tantium usum onustum: ita facto erat opus: ne-  
 que enim vsquam maior, aut latior necessitas:  
 in vijs montibusque misera strages cadaue-  
 rum, dum ad remedium videlicet properant  
 vitæ, morte interceptorum. in oppidis ma-  
 gna ægrotorum vis, æque miseranda: quibus  
 adiuuandis in necessitudine extrema Paro-  
 chi non satis essent. quod si aliquorum suble-  
 uabantur animi, derelinquebantur corpora,

ut fame perirent. igitur sacerdotis nostri hoc  
 consilium fuit. quando non licebat dare ope-  
 ram omnibus, ijs dabat, qui in grauiore peri-  
 culo erāt. vrgebant tamen etiam valentes: et  
 quasi distributis temporibus diurnæ horæ æ-  
 grotorum essent propriæ, nocturnas sibi de-  
 poscebant. quod si re postulante, vt sæpe, in  
 aliud oppidum se conferret, multorum agmi-  
 na sequebantur, vt nulla quies daretur. arde-  
 bant enim omnes cupiditate incredibili facien-  
 dæ confefsionis. eam accenderat visum viri  
 ægrotantis. Affirmabat visam sibi noctu mu-  
 lierem eximia pulchritudine, in candenti ve-  
 ste: prædixisse de aduentu sacerdotis auxilio  
 multis ac solatio futuri: cum hoc, ad com-  
 municandos sermones, non fore opus inter-  
 prete, cum eorum linguam calleret: proinde  
 eluerent apud illum conscientia labes, eiusq;  
 consilio vterentur: ipsum quidem, hoc si fece-  
 rit, non post multo conualiturum. ægroti so-  
 mnium visumue cum vicina circum oppida  
 fama vulgasset, expectatum faciebat sacerdo-  
 tis aduentum: quem vbi aduenisse nuntiatum  
 est, mira omnium lætitia, & clamor: promissum  
 consolatorem, ac magistrum adesse, qui omni-  
 bus opem ferret. igitur, cum populus pro con-  
 cione edocetur, ita probata est concionantis  
 lingua, vt dicerent, externum hominem ita in-  
 telligenter & expedite loqui, non carere ad-  
 miratione. visus deinde ille æger, & alloquio



firmatus: quinetiam, vt sibi dudum persuaserat, breui valetudinem recepit. Accidit aliud quiddam mulieri a nostris sacris alienæ, non minori annis quadraginta, e quibus iam sextum graui morbo laborabat. offerunt se iacenti uiri duo, admonêtes tam diuturnæ ægrotationis causam esse, quod adhuc non esset Christiana. Culpam abste remoue: necessitatem Deo subtrahes vltionis. At illa. Immo vero ego Christiana sum ab ipsis natalibus, matre nimirum Christiana orta. Non satis est, aiunt illi, nisi baptizeris. tunc enim affirmabant restitutum valetudinē iri: alioqui viuam e lecto non surrecturam. marito narrauit mulier matricque, quæ audierat: eiusque rei illo in oppido celebris ac recens rumor erat, cum noster accessit. igitur, cum comperisset non dum renatam aquis salutaribus, instruxit, abluitque, et statim (vt intelligas vim miraculi) sana surrexit. Hæc res, celeriter perlata in remotiores etiam terras, exciuit multos, vt expeterent eius aduentum (ita enim ipsi loquebantur) gratia curationis. Incidit is, cum multa percurset oppida, in ægrum iam nulla spe valetudinis: hortatur, vt gerat animæ curam. at æger, vt ne verba secum faciat orat: quærenti causam, significatum est, summum eum veneficū esse. tanto maior incensus nostro ardor salutis ipsius. itaque aperte admonet confessionis. Trigesimus annus est, inquit ille, cum simulat

te sum

te sum apud alterum confessus: nunc id tempus est, vt ea simulatio sit omnino abiicienda. exploratum quippe habeo, Christianam religionem vanam esse. ex hac occasione, multis vltro citroque factatis, placuit diuinæ bonitati, illius menti veritatis lumen præferre. ergo confessus de omnibus criminibus vel a pueritia admissis, magno cum doloris sensu ac profusa vi lacrimarum, paucis post diebus ad feliciorē, vt confidimus, vitam emigravit.

### COLLEGIVM AREQUIPENSE.

**L**IMAM INTER et Arequipam centū sexaginta leucæ interijciuntur. mari adiacet Arequipa in Magallanicum fretum obuerſa. cæli salubritas ac fertilitas terræ nulla maior in hoc tractu. quamquam terræ motibus obnoxia est. ager late exporrigitur: amplus campus excursionibus nostrorum: etsi fatiſ domi habent quod agant, propter frequentes exterorum accursus. dant igitur assidue aures confitentibus: quattuor enim cæcorum opera (eorum scilicet de quibus supra dictum est) vtuntur ad informandos homines ad fidē: ipsi quidem stant semper pro limine nostri templi, hoc vnum agentes. Ad conciones, quæ Dominicis omnibus post primum sacrum, ac vesperi habentur, mira Indorum multitudo: ita creuit Quadragesima, vt quo audirentur ab



omnibus, extra ædem loco patientiore fuerint habendæ. Ex hoc Collegio extiterunt expeditiones duæ. ad Aimares, de qua multa protulimus in Cuschensi Collegio, celebratior fuit.

COLLEGIVM PACENSE.

**A**LTERO nomine et Chuchiacense dicitur. Porro Cuschum inter, ac Potosium interiacet Chuchiacum, incolarum multitudine supra Peruanas vrbes abundans, sed indigenis rerum sciëntia necessariarum ad salutem: cuius cupiditatem, etsi iniicere hominibus nostri conantur, Deus tamen, hoc exemplo quod iam notum est omnibus, excitauit. non erit opinor absurdum paucis afferre, narratu vtile alijs, non solum auditu iucundum. Vir quidam abiecto, vt genere, ita etiam animo, ita se in dæmonis familiaritatem intruserat, vt res magni operis fuerit & laboris in eo reuocando. dixit diabolum a se conspectum magna oris dignitate, ac proceritate corporis: circa eum cohortem regiam forma ac vestitu excellentem: ceterum, omnes ea serenitate frõtis, & hilaritate in aspectu, vt ceu tenebras Sol, fugarint intuenti pectoris nubem: miranti edixisse consultius esse talem eorum dominum venerari, quam Christum. neque aliter sibi persuasum esse. cum sacerdos instaret contra, & admoneret de diaboli illecebris, varijsque artibus nocendi: proinde ne se induci pateretur: Christum Iesum, vnum ac verum domi-

num

num agnosceret. respondebat ille, vt mēte captus. Numquā tam dices commode, mi pater, vt ex tua oratione meā animam in Christi fidē committam. Dein cū vrgeret noster tanto vehementius, vt efficax est Dei sermo, probabat quæ dicerentur: sed paulo post. Non reticebo quod res est, vbi te audio videor assentiri: sed cum ad me redeo, assensio illa scilicet elabitur. reuoluor ad diabolum: quem ipsum corā video intentantem manus, vt me quietum esse non sinat. anceps hæc pugna ac difficilis variavit diu: sed vicit tandem, is qui debuit: veritati mendacium cessit: et cui mens vagabatur, respuit. Non ab re fuerit, vt præmonui, hæc breuis narratio.

#### CHITENSE COLLEGIVM.

**C**HITVM, regni caput, haud multo minor vrbs quam Lima, vnde abest leucis trecentis, Aequatoris lineæ ad perpendicularū subiacet: inter frigora caloresque temperata regio est: sed ita, vt frigora præualeant. terra enim edita, & montibus cincta perpetua niue damnatis. Iam quinque anni sunt, cum hic institutum Collegium est, & præcedit in dies magis. Nunc quidem habet socios duodecim: sed & alij quinque ad hæc profectioem se accingunt. Indi nostrorum amatissimi. sedata nempe tempestas, de qua proxime scripsimus: et ædificatum est templum: in quo sacellum sibi construxere Indi, suis materiam humeris conuectan-



uectantes, cum admiratione et gaudio ciuitatis. Quæ supersunt, vt cognoscas subtiliter hunc Collegij statum, ex annuis proximis, et ex ijs, quas scripsimus primas, peti possunt. nobis quidem ea repetere non necessarium videtur.

## S E D E S I V L I E N S I S .

**P**ROXIME TRADIDIMVS Iulien-  
se oppidum, in quattuor tributum parœ-  
cias, excoli a nostris. Nunc addendum est.  
Bini sacerdotes singulas curant, quotidie ma-  
ne e communi domicilio ( templum maxi-  
mum est ) in suam quisque proficiscitur, sa-  
cra præbiturus. diebus festis cohortatio ac-  
cedit. at declinui iam Sole, Patres, suos agunt  
greges ad ædem principem, ordine instru-  
cto: et ad cunctos concio habetur. Ceteris  
diebus, exacta qui sunt ætate, virili muliebri-  
ue sexu, cum puellis nubilibus templū adeunt,  
auditori primum sacrum: quo exacto, semi-  
hora ponitur in Catechismo. nam pueri dili-  
gentius quotidie in schola docentur. adiuuant  
& nostri elemosyna, vsu iam recepto, multos:  
quos capi hac veluti esca non inutile fuit. quā-  
quam et a datis dramatis populari lingua, cū  
dies celebriores agitentur, extitit fructus.  
non pauci enim vitam hac ratione emenda-  
runt: vnus inter hos, qui Christianum se gere-  
bat, cum expiante aqua non fuisset tinctus. Suc

ta-  
ter  
et  
nt.  
um  
en-  
ce-  
st.  
na-  
xi-  
fa-  
ac-  
nt  
ru-  
ris  
ri-  
nt,  
ni-  
li-  
nt  
os:  
ā-  
cū  
a-  
re-  
uc

tae excursionēs, Iulienſium ægrotationibus pro-  
hibitæ. ſed duo tamen, bidui, baptizarunt  
aliquos, a quinſ denis annis in vicenos: dila-  
tionis cauſam in paupertatem conferentes,  
cum quod darent Curionibus, nihil haberent.  
iam libèter veniebant ad noſtros, a quibus po-  
tius aliquid auferrent. Conuenit porro ad con-  
cionem & ad pœnitentiæ ſacramentum adue-  
narum magna multitudo. ex horum numero  
vnus annos natus quadraginta, numquam ſan-  
ctè confessus: his publice referebat (multa enim  
Deus permittit, quæ cum ſunt adiumento vni,  
ſunt alijs documento) hanc ſuæ emendationis  
cauſam fuiſſe. Die quadam agebam ſolus, cum  
repente ab omni ſenſu alienatus animus eſt:  
videbantur Angeli duo vrbes duas oſtendere:  
vnus incolæ ærumnoſiſſimi erant, alterius be-  
atiſſimi. proinde auerſari illam incepti, hanc  
aude expetere, ut me collegi, exiſtimau mi-  
hi viſum obiectum, vt ſtatuerem vtrius ciuem  
me eſſe mallem. nemo autem ſe miſerum eſſe  
exoptat. comprobauit factò ſententiã: nec  
vanã fuiſſe ſpeciem mutatione vitæ apparuit.

SEDES PANAMAANA, ET  
Sancti Iacobi.

CONIUNGENDA ſunt in Panãmazna  
Sede, quæ adnotau biennio ante: ego repe-  
tere ſuperuacuum puto. Ciues, hoc anno, ſum-  
mis



mis precibus efflagitarunt, qui Grammaticen doceret, ad informandam & continendam in officio iuuentutem, alioqui lasciuientem vrbano luxu. extruxerunt nobis domum a commodam e cedro (nam his locis domus lignear omnes) et sexcenorum aureorum vectigal annuum assignarunt. cōflata præterea cāpana bis cētum quinquaginta pondo, regia impēsa.

NEQVE HOC faciam, vt reponā, quæ de Sede sancti Iacobi alias dicta. Limam iuxta est, mœnibus non procul. duo hic e nostris versantur. rem vnam hoc anno Indis vtilem excogitarunt. Multi in vrbe, aut in suburbanis, vagam vitam persequebantur, et, quia certo carebant animarum moderatore, improbam. sæpe tentatum fuerat, vt in hoc coacti castellum, veluti in ordinem redigerentur: sed sine effectu. nunc tandem confecta res est. Prorex cum consilio virum castello præfecit magnæ auctoritatis, cui hoc curæ esset. obiectus etiam his inijs, vt assolet operibus pijs, nodus aliquis, & mora. sed hæc quoque, nostrorum animi magnitudo, patientiaue, fregit, aut superauit.

### EXPEDITIONES.

**D**VAE sequuntur quasi stationes, in Tucumano, ad Sancti Iacobi, & ad Sanctæ Crucis in monte: vnde expeditiones sollemnes: dif-  
ficiles

faciles illæ quidem, sed iucundæ, laborem fru-  
 ctu superante. Nunc utrobique e nostris qui-  
 ni: aucto nimirum numero in Tucumano: vbi  
 hætenus tres fuisse tantum ex annalibus supe-  
 rioribus liquet. Et ut vniverse dicam aliquid,  
 In Tucumano, Patris Alphonfi Barzanæ (de  
 quo alias memorauimus) vicinam circum re-  
 gionem: in expeditionibus ab Sancta Cruce,  
 Patris Iacobi Samanegi, qui ad Itatinos: Pa-  
 trisque Dionysij Velaschij, qui ad Cianas (po-  
 pulorum nomina sunt) descendit industria. et-  
 si Pater Iacobus Martinius, Pater Andreas Or-  
 tizius, ac demum frater Ioannes Sancius, licet  
 seruarint domi, ne ipsi quidem otiosi fuere.  
 Triplex porro studium, munusque stationum  
 pariter, & expeditionum harum. primum, vt  
 præparatæ gentes, vitali aqua animetur: tum  
 vt propagentur connubiis Christiano ritu: po-  
 stremo, vt erigantur fortasse labantes, et lap-  
 si resurgât. ita renascitur Christo soboles, suc-  
 crescitque cõstanti valetudine. tria ad hoc in-  
 telligas reperta remedia ab auctore salutis,  
 baptismum, matrimonium, pœnitentiam. quã-  
 quam & duorum præterea vsus plurimus est:  
 Eucharistiæ, supremæque inunctionis, hac tẽ-  
 pestate, nimirum pestilentia grassante. Nunc  
 quidem, numerum tãtum ab iis redditum qui  
 sunt in opere, duorum primorum munerum e-  
 xactè ponemus, et quasi sub vno aspectu, ne se-  
 parata confundant audientem, aut scribentis  
 ordi-



ordinem interrumpant: alia enim, & quadam ex his fortasse, quæ clarioris indigent explanationis, suis locis commodius narrabuntur. A Barzana igitur baptizatos comperio, in Tucumana regione, sedecim supra centum, inter quos aliquot ætate extrema: in vrbe, Diaquitas, qui pacati sunt, plus quadraginta, et ex ijs aliquot Curacas: prioris anni promissum efflagitabant, vt dudum me scribere memini: a Samanego, Itatinos quadringentos viginti nouem: a Velaschio Cianas mille quadringentos quinquaginta quattuor: firma omnes ætate, ac ualentes: præter ægrotos viginti vnum, pueros quadringentos octoginta tres, quamquam in singulis puerorum numerus fere prætermisus. nec minus a Martino, domo, vti diximus, non egresso, exceptis infantibus, baptizati nonagenti septuaginta. Iam, solemnibus coniunxit nuptijs Samanegus septuagenos quater nos: sexcenos & septuagenos septenos Velaschius: Martinus quingenos: de Barzana nihil legi. At Velaschius exequitur provinciam quæ sibi obtigit, paulo subtilius: et haud scio an res dumtaxat vnus anni. ita enim scribit. Hac Missione (nempe ad Cianas) baptizati adultibus mille septingenti octoginta duo: pueri septingenti viginti vnus: copulati matrimonio milleni quadringeni viceni terni. Ergo hæc communiter. Nunc quoniam Itatinorum, Diaquitarum, Ciarum facta mentio est, sicui id

erit  
mas  
tion  
raca  
ribu  
mis  
opp  
falli  
nou  
Dia  
num  
gna  
voc  
bul  
tium  
gus  
dec  
pli  
ita  
uin  
Ino  
qu  
ali  
bu  
bu  
ti  
m  
ci  
ne

erit curæ, de Itatinis consulat annuas proximas nostras : easdem de Diaquitis, expeditione Tucumana fere extrema. Ceterum Curacas in litteris quas scripsi primas, & superioribus proximis, sæpe nominauimus : et in primis quidem, excursionem ex Potosino, primores oppidorum. Nam de Cianibus, quorum (ni me fallit memoria) nunc primum auditum est nomen annuis nostris, separatim adiungetur. Diaquitiæ igitur Barzanam expectant: ea gens numerosissima est: eundem & populi, qui magna terrarum spatia implentes, Tacamaui vocantur. In Cordilleriam (ex Hispano vocabulo, vt olim admonui, oppida sunt sita in montium iugis, sancta Cruce non procul) Samanegus imminet: ea nunc significant quatuordecim esse, et pagis vicisue imperitare amplius octoginta. scribit idem Samanegus ab Itatinis admonitum, venisse eorum in prouinciam, leucarum circiter triginta itinere, Indos cum parētibus, liberis, seruisque, plus quadringentos; petentes baptismum. Sunt et alie gentes, Luli: de quibus in Steco, annalibus primis: Varani (Varaos suspicor annalibus proximis dictos) Gorgotoqui, qui iam ignoti esse non possunt. Hæc fere informata Tucumana, & ab Sancta Cruce, expeditio est. vt paucitatem cognoscatis operarum a magnitudine operis. Nunc singula persequamur.



## EXPEDITIO TVCVMANA.

**T**VCVMANAE naturam situmque regionis, mores & ingenium gentis, rettulimus annuis binis, quibus eadem materia. Nostrorum cura in Hispanos diuiditur, & in Indos, quorum magnam partem Christum accipere, pars maior hoc agit. Vrbs Sancti Iacobi, nostrorum sedes, ac plurimorum, qui anguntur æstu conscientia, confitentium portus. Excursum ex ea, hoc anno, non ita sæpe, an quod pestilens? an parcendum fuit Patri Barzana iuxta ætate ac laboribus corpore affecto? quamquam virtutem animi, studiumque quã plurimos adiungendi Christo, non perdit. excurrit enim in montana aliquot castella & suburbanos vicos, augens numerum Christianorum, et nexus peccatorum soluens. is, cum erraret aliquãdo quodam in môte ignarus viæ, agrestem casam reperit, vbi pueri nonnulli: cum his, cum miscet sermonem, vnius parentem nondum accessisse ad Christum, & sustulisse liberos ex vxore fratris demortui cognoscit: mox ad eum cum adisset, erudit, Christianum fecit, & pellicem sex partus enixam (vt minimum eligeretur de malis) vxorem ducere permisit. non defuere viro mulieresque, qui fluvium transmisere narando cupidine confessionis. interdum impositus ipse  
 in

in sedem, aut pheretrum potius tollentibus alij pedes, alijs manus caputque, quasi efferretur quadrupes, aut mortuus. sic multa loca circumijit egregius venator animarum. impediunt cursum alias infirmitas corporis, alias concionandi necessitas diebus quadraginta ieiunij, in vrbe sancti Michaelis, quæ & ipsa pertinet ad Tucumanam ditionem.

### EXPEDITIO AB SANCTA

Crace.

**QVI HIC SVNT** e nostris, ita distributas habent partes, vt Varanis vnus, Gorgotoquis, ac Cianibus, vtrimque inuigilet bini: quod reliquum est vacui temporis vrbi impeditur. Confessionis labor suapte natura magnus, his terris intenditur, difficultate numerandi: vltra quinque (de Margita genere dicas) non computant. ceterum, quod excurret, cum intelligi volunt, vbio, efferunt, siue vnum præterea excurrat, siue sexcenta: vnicam illam vocem ad omnem superantem numerum accommodant. excogitata tamen aliqua ratio est, necessitate exigente, huic incommodo subleuando. Die quolibet festo matutino vespertinoq; per vias publicas ducuntur Indi non sine specie ac pompa. ijsdem temporibus ternarum spatium horarum, quadraginta diebus ante Pascha, edocentur pro templi vestibulo.



a fratre nostro Ioanne Sancio initiamenta Christiana. absolutum est templum, quod aedificari dudum admonui, speciosum & capax, nomen habet ab Archangelo Michaelē, qui ei patrocinium debet. dedicatum postridie Calendae Februarias, quo mater puritatis, cum grandi munere, ad templum quasi purganda accessit. hac in re, atque in alijs, multum nos sibi obligauit Prætor vrbanus: de eximia cuius liberalitate, ac pietate posuimus proximis litteris, ad finem huius Prouinciæ. is nunc Cucutum proficiscitur præfectus eius regimini: duobus vicinis, vt ipsius expleant absentis vicem, nostros diligentissime commendauit. Septuaginta acceperunt baptismum, ante Pascha sabbato proximo: e quibus Cordilleriani quattuor: mulier scilicet potens, cum filio, mater socrusque virorum nobilium, & alij præterea duo: qui omnes e suburbano rure huc ventitant quotidie tertium iam mensem, vt nouellæ quasi plantæ pijs sermonibus irrigentur: decreuit quinetiam matrona excellentis animi in patriam nõ reuerti, nisi cum eam audierit ex communi voto, accessisse ad Christianam fidem. Pater Andreas Ortizius (idem cognomen habebat alius, quem quinquennio ante in his locis ictum fulmine tradidimus, cui Christophoro nomē) scribit, quos cumque ipse, Pater Martinus, & Ioannes Sancius instituebant, fouebantque, Christo geni-

tos

eos esse: nunc restare nimirum, vt nutriantur,  
 & crescant. Idem Ortizius Christiane philoso-  
 phatur, diuino prorsus consilio nostrorum ad-  
 uentum in has oras, non multis ante annis  
 præmississe pestilentiaë, quo agnita veritate, plu-  
 res ad cælum morte transmitterentur. exper-  
 tum se ait in urbe, quãdo aduocabatur ad mo-  
 ribundos, qua omnes pietate decesserint. vox  
 enim vna, ac suprema plerisque, IESVS, erat.  
 orabant alij dominos, vt coniungerent pre-  
 ces: easque fundentes cum illis, anima deficie-  
 bat. mirum dictu est, quanta spe omnes, &  
 qua fiducia pleni diuinæ misericordiæ, quam  
 libenter obibant. Audite piam simplicitatem  
 virginis intra ætatis annum sextum decimũ.  
 hæc cum ter eodem in morbo scrupulose ani-  
 mam confessione excussisset, præpropere vo-  
 cata ad se dominæ dixit. Audiui, viam quæ  
 ducit ad cælum arduam esse & angustã, pro-  
 cliuem quæ ad Inferos, ac patentem. ego hic  
 ante me cõspicor mulieres duas augustissima  
 forma, etsi altera maiore dignitate oris, et vt  
 secum eam, me inuitant. respondi, capiendum  
 esse mihi consilium, nec ituram, nisi semita ar-  
 cta. Hærens hic domina, & quid suaderet in-  
 certa, Ortizium acciri iubet: is & rem il-  
 lis, vti videbatur, difficilem explicauit, & vir-  
 ginem consilio iuuit. Eadem cum fureret pe-  
 stis, Cianibus suis, pater Velaschius, (quoniã  
 sunt per oppida diuersa) vix satis potuisse om-



nibus fieri, sibi certe, nullum fere momentum temporis a labore vacuū fuisse, testatur: atque interea cibum, radices herbarum, poculum, lauacrum ipsum ægrotorum: sed vtriusque cōdimentum famem ac sitim. Nunc video locū, vt impleam promissum, et de Cianibus absol- uam. Cianum gens, Sanctæ Crucis prouinciæ contermina est, aut forte intra prouinciæ fi- nes: diuersas inter se linguas, & multiplices habet: sed ita, vt omnes ab omnibus intelligen- tur: tanta est vis consuetudinis. hoc habet plus, quam ceteræ finitimæ gentes, quod in- tegram rationem tenent numerandi. annus di- uiditur in menses duodecim; quibus singulis præsentent propriæ stellæ: has certis sacrificijs colunt, maxime eas, quæ in messe dominantur: has inuocare sibi videntur, et clamoribus in- conditis rogant, vt faueant. notant Lunæ lu- minum varietatem, et ipsius quattuor splēdo- ris formas: siue cum totum oppositum sidus Sol aduersus accendit, vt pernox luceat, pleno orbe: siue cum æqua portione diuisa est, vt decrescat, & matutina Solis lucem adiuet diei parte: siue cum repente deficiens, ut se curuauit in cornua, absconsa est in tenebris noctis: siue denique cum iisdē reparatis emer- git, & colligendo ignes rursus se innouat ad lucem, vt vespertinis dimidiata appareat. uo- lucrum cantus superstitiose obseruant: bubo- nis gemitus sic abominatus ac tristis, vt quo  
in op-

in oppido exauditur, continuo egressi domo  
 fenestras, tela habentes manibus, conuicium ei fa-  
 ciant, omnes mixto clamore, orantque vna  
 innocuum discessum. iuuenes interim ac mu-  
 lieres in penetralibus sedent, ne si lucem aspe-  
 xerint, importuna avis interitum canat. Tri-  
 genti sacrificia maxime sollempnia, diabolo  
 propitiando, cum scilicet metu venerantur,  
 ut nonnullis sepe haud neget aspectum. ea pau-  
 cis memorabo. Si quando annus exaruit, ac  
 desiderio tempestiuorum ex celo imbrium, im-  
 moriuntur herbae sitiētibus terris, ad elicien-  
 dam aquam sacrificulus omnem senectutem  
 concit, miraque volubilitate verborum virile  
 sexum increpat, secedant in montem sacrum  
 illi genti patrum augurijs & prisca formidine.  
 tum imperat ieiunium, hoc est, salis, piperis,  
 cibique ad ignes cocti abstinentiam: ea illis ve-  
 rusta ratio ieiunandi: dein sequantur omnes  
 iubet: at ipse cælum clamore incendens, pre-  
 cibus fatigat astra, ut pluuiam demittant: ab  
 hac caerimonia repetentibus oppidum medi-  
 catam virgūcula potionem præbet: cuius vim  
 non sustinentes, ut imbecillo sunt capite, alien-  
 natis sensibus labuntur in somnum, confusis  
 imaginibus, quas excitati enuntiant alijs, et  
 inter se conferunt per vaniloquentiam. neque  
 hic stultitiæ finis. ex melle, maizio, aqua, alijs-  
 que rebus, quasi mullum conficiunt, iactantq:  
 in sublime clamore ingenti, veluti aspersuri



cælum ac sidera, quæ subinde inuocantur. Postridie senem e primoribus ætate simul ac meritis venerandum in lecto collocant pulcherrime strato: dein subiiciunt lentum ignem: obseruat sacrificulus, & erumpentem sudorem bibula excipiens spongia in vas cogit, & cum cruore anserino & expressa aqua ex certa radice miscet. iterum irrorantur nubila eius aspersu: vt vicissim rumpantur ipsa, et largum imbrem effundant. accusant interea Solem flebili voce, auctorem videlicet siccitatis, & inopiæ frugum. quod si in illos dies incidit pluuia, grates referuntur sideribus, & oblatam mercedem auarus sacerdos (si vera velit dicere) non sui laboris miratur. Est et aliud sacrificium, anniuersarium monumentum de dracone victoriæ maiorum, de qua leuia fabularum & ridicula narrantur. tonsum puerum, qui ceteros antecellat venustate & pulchritudine corporis, includunt cubiculo, ieiunandi necessitate, donec cæsaries adolescat. dein harioli eum ac senes celebri pompa in ædes educunt patru, aut alterius propinqua cognatione coniuncti. hic anicularum agmina muliebri eulatione puerum lamentantur: atque omnis populi nobilitas cogituratum minutatim tondentes singuli eius capillum, coctum offerunt anserem, ad Viperalia: hoc etenim festi nomen. postridie vates omnem historiæ ordinem edisserens prolixa narratione, populi memoriam

riam ad superiorum temporum cogitationē  
 excitat, & sollemnes vt dies rite celebrent, ma-  
 gna voce adhortatur. Secundum hæc, inueni-  
 bus, aprorum aliarumque ferarum agrestium  
 venationem indicit: alios locum instruere et  
 ornare monet: senioribus mandat, parent mu-  
 fica instrumenta: quæ simul atque inflantur  
 (nec longum tempus in medio) alij sese ad fu-  
 randum effundūt: moris enim est, vt vbi festi-  
 ua insonuerint organa, cuiuis clepere liceat,  
 quodcumque in via offenderit, concesso furto.  
 nec minus vicini inuitantur populi, vt venien-  
 tes vario armorum genere festum diem con-  
 celebrent. conueniunt cristati omnes, versicoloribus  
 auium plumis, psittacorum interlu-  
 centibus, pulcherrimo distinctu: et ad musicū  
 concentum, quasi lustretur exercitus, sese in  
 armis ostendunt. sedet in sublimi solio puer,  
 vultu ad grauitatem cōposito, coronatus: ia-  
 culum manu vna, viuam altera viperam præ-  
 fert: et, vt agnoscas diaboli lusus, sine noxa:  
 mortuas multas circumdedit corpori: prope  
 ipsum, hinc iacet magnus venationis nume-  
 rus, assarumque anserum collatitiarum acer-  
 uis: hinc vini vis ingens in prægrandibus va-  
 fis. vt incesit miles conspicienda pompa, &  
 aduētum celebrem fecit, ingressus ad puerum  
 vinum sitienter exhaurit, eoque hilariter inū-  
 datus viperam veneratur pleno pectore. dein  
 vino rursus epulisque se ingurgiat. tres ipsi



dies ad hanc formam consumuntur. denique interfecta vipera imponitur ludicro finis. tum vero mulieres, quas illis diebus exire dono religio erat, egredientes tandem festo carmine victoriam canūt. Fama est hos ludos agitātibus conspici sæpe diabolum, ad celebrandas epulas, & renouandam quotannis festi celebri- tatem, ne vniquam intereat, exhortātem. Tertium sacrificiū (Feralia quis dixerit, aut Mortualia, ad antiquum ritum) pro mortuis fieri solet. confluunt noctu omnes augures, & quod est senum in oppido, pro se quisque, vinum, arcum, sagittas, affert. sed uini potissima cura, purgantur interea mortuorum sepulcra. dein augures stantes inchoant nāniam lugubrem, quam sedentes ceteri sequuntur: post paulo accurrunt ad vinum: quod iterum faciunt sapiusque, vt lugendi vires potando reficiant: diabolum simul implorāt, montes, lacusque: et contenta voce vita functos nominibus cient, inuitantes ad potum. post quæ, tumulos introspiciunt, num resurgant oculis experimētum capturi. postremo, vt se tandem intelligunt mortuis verba facere, redintegrato luctu domum reuertuntur. Hæ, atque aliæ sūt Ciamum superstitiones: in quibus euellendis Patris Velaschij præcipuus labor: et iam, vt meminimus, conuertit aliquos: quos tantum nouæ vitæ gaudium incesit, vt vix mutati status fidem capiant. alicubi templa ædificarunt & domicilia,

lia vsui nostrarum: fabrefactæ crucez præla-  
 tæ, & conſtitutæ multis locis: cum per crebre-  
 ſcic Patrem aliquo ire, extruuntur ſubiti ar-  
 cus, & vniuerſa pubes obuiam ſe effundit: pars  
 etiam, compoſito agmine, doctrinam Chriſtia-  
 nam canentes: & momento temporis, eius de  
 aduētū fama in propinqua oppida perfertur:  
 nec mora, accurrunt viri primarij, teſtes læti-  
 tiz, ac nuntij rerum, quæ in ſuis oppidis ge-  
 runtur: certioreſcunt de numero ægrorū  
 ac puerorum infantium, quibus opus baptiſ-  
 mo: aliaque admonent, vt filij redeuntem pa-  
 trem, cum aliquamdiu abfuit. magis id mirum  
 in ea gente, quæ nulli cum pareat, ad hoc agē-  
 dum, non imperio dominorum, aut cupidine  
 cuiſiam gratificandi, ſed Dei aſpirante numi-  
 ne, ſua ſponte impellitur. ceterum apud eos tā  
 tum pondus noſtrorum auctoritatis, vt in re-  
 bus, quibus agitur animæ ſalus, voluntatem  
 ipſorū ſe pro ratione ſequi gloriantur. certe  
 in cultu corporis iam ſoluerunt morem maio-  
 rum, cum veſtiti incedant. diuinæ prouiden-  
 tiæ ſignum in aliquibus apparuit, qui ab ipſa  
 ſtatim ablutione, aut a peccatorum confeſſio-  
 ne ſalutari, animam dedere. Hæc de Cianibus.  
 Ititanorum Patri Samanego commiſſa procu-  
 ratio eſt. Eum porro hæc ſere maxima coque-  
 bat cura, vt in nouos iam Chriſtianos ſacra-  
 menti pœnitentiæ vſum inferret. prouinciā  
 videbatur ſibi cepiſſe duram: intelligebatque,  
 ne



ne imbecilliores animi obruerentur, paulatim præceptum instillandum, non vno effundendum impetu, more torrentis præcipitantis. augebat difficultatem, quod eo sunt ingenio homines, vt sua quisque vitia quam occultissime tegat, aliena traducat: sibi nocere velit neminem, aliorum damnum nihili æstimet. in magna præterea inopia fere omnes. quamobrem vulgo improbi & famosi habentur. Itaque, ne offenderentur statim audito nomine confessionis, cautio quædam ac diligentia adhibenda erat. igitur, cum frequens inter eos esset, infantibus baptizandis, & adiuuandis ægrotis, pollicitus est pro concione, vt veniam a Deo consequerentur peccatorum, rationem expositurum. interiectis deinde aliquot diebus, de penitentiâ agere instituit: res tulit, vt sceleratissimi omnium et inconstantissimi disputationi interessent: Dei nimirum prouisu, vt hoc quoque, sicut et bonum opus omne, ipsius esse muneris documento esset. vix enim dicendi fecerat finem, cum tantus omnium ardor sese aperiendi, vt accurrentes cuncti certatim fere opprimerent audientem: non sine causa rati, peccata confitentibus facilem apud Deum veniam et gratiam fore: vbi matura desit penitentiâ, remissionem criminum nullâ esse. et vulgatum est in his terris horribile prodigiû, affirmandæ sanctitati confessionis, quale alias in hoc genere numquam: quod multi adhuc

non

non auditum, sed cognitum ferunt: vt quo recentior res est, sit etiã certior, et esse possit omnibus exemplo. Ea autem gesta in hunc modum: Vir primarius puellam domi habebat annorum sedecim, quæ bello olim capta, Christianam religionem induerat, & Catharinæ nomen: hæc, quo magis ætate procedebat, libertioris erat ingenij, quam virginem deceret, vt etiã dominiæ propter nimiam licentiã suspecta esset. cū obiurgaretur, negligebat, aut excusabat imperium naturæ, clam interea venerat in consuetudinẽ adolescentium prodiga corporis sui, & confessiones tamen impie frequentabat, mira arte flagitium occultans: siue vt falleret splendidius, siue vt peccaret impunius. Calendis Sextilibus, cum cœpisset ægrotare, sacerdotem accersit, suo more confessionem peragit, idest sacrilegio violat: quod non semel tantum, sed nouies, quoad ægrotauit, similiter fecit: et semper discedentem suspendebat naso. tum conuersa ad conseruas, scilicet hoc mihi deerat, vt mea exponerem peccata. Quare tibi alias mollioris temperaturæ, mi pater: Catharinæ non impones: est illi acetum in pectore. addebat alia, quæ aures castæ non ferrent. Admonita tandem domina, verbis castigauit intemperantiã linguæ: dein placatione vultu ac sermone monet quãtissimam faciendam confessio: nec quicquam in ea esse reticendum: acerbissimis Inferorum pœnis



nis silentium lui. Hæc inter, grauiore dolore  
 exstimulatur iacens, & interclusa veluti ani-  
 ma per lectum voluitur. vt remeauit spiritus,  
 sacerdos reuocatur. interim domina: Dic so-  
 des Catharina, ecquod scelus cõfiteri pudet?  
 Non tacuit agrotæ: quinetiam addidit, Adstat  
 mihi ad læuam atra uir effigie, & confiteri ve-  
 rat: neque enim res tanti facienda est, quam si  
 reseiscat Pater, in eius offensionem cadam:  
 quamquam mulier ad dexteram (agnosco, ex  
 similitudine imaginis, Mariam Magdalenen  
 esse) vt fatear hortatur: atque ei obtempera-  
 to. Post aliquanto ingresso sacerdoti aperit  
 domina, quæ Catharina teneret occulta, ipsa  
 met audiente. mox ad eam versa, Non ita se  
 habent Catharina? respondit lingua Varana,  
 cuius Pater sciens non erat. Hæc ego tibi ea  
 mente non credidi, vt Patri proderentur. Ac-  
 censa hinc magis omnium studia ad miseram  
 dedocendam, admonendamque, vt profutura  
 pœnitentiam, quam ineluctabilem perniciem  
 mallet. sed tanto voluntas illius obstinatio-  
 r, & in pernegando affirmatio-  
 r erat. nam etsi  
 redire ad se videbatur interdum (haud dubie  
 suasu boni Angeli) tamen continuo reuolue-  
 batur in priorem amentiam: vt ne IESV qui-  
 dem nomen edere vellet. cum Crucifixi ei spe-  
 cies aliquando ostensa esset, Hic Christum re-  
 spice propter salutem hominum sublatum in  
 Crucem. Noui istud, inquit: sed quid tum po-  
 stea?

*Acta* Vt ad eum te referas, & peccatorum ve-  
 niam confessione petas. Satis iam dictum, vos  
 nihil agitis. et iam ego alias res ago. Hæc im-  
 pia effudit. Nec minus digressæ dominæ ad io-  
 ca illa & ridicula sua, quæ æternos ei pepere-  
 re gemitus, redit. Aliquot præterea dies in  
 hac infania perseverauit, donec nocte quadã  
 excitauit dominam & conseruas horribili  
 voce. Do, inquit, pœnas grauissimas temera-  
 tæ toties confessionis. post hæc verba corpus  
 frigore dirigit, vt putaretur extincta. ergo  
 cum de sepelienda agitarent, post horam se-  
 ptimam redijt vox visusque, & ad eam domi-  
 na, Num superesset aliquid, quod confiteri vel-  
 let? affirmanti adducitur toties iam irrisus,  
 vt audiat postremum, sacerdos. iam labi vide-  
 batur spiritus, cum monent mulieres, Christi  
 effigiem, candelamque consecratam mani-  
 bus accipiat, et IESVM appellet. Quis iste est  
 IESVS? excipit misera: ego eum non noui. de-  
 in assidens in extremo lectulo quasi cum alio  
 loquebatur, quem nemo videbat: sed agrotæ  
 altera quadam Inda in eodem valetudinario,  
 veluti viso in horrorem perducta, rogare do-  
 minam institit, vt illinc auferretur, quod ni-  
 gerrimas quasdam & terribiles formas terre  
 non posset. Vt eiecit animam (nox erat) fixdũ  
 cadauer remansit tam tætri odoris, vt seponẽ-  
 dum fuerit sub dio, ne inficeret domum. eo-  
 dem tempore, mansuctus aliqui equus ac  
 pla-



placidus sic furere cœpit, vt calcibus arietaret in murum, & hac illacque percurfaret, vinculis abruptis, auditi etiam canum latratus, et inquieti difcurfus, adolefcens dominæ frater extra lectum brachio extractus, vna ex ancillis calcæ in humerum percuffa, cuius plures ad dies mâferût veftigia. additur aliud pâne incredibile. Cum componenda efferet, feffum fe recepit, vt omnes mulieres territæ diffugerint. demum infelici cadauere in terram abditò, in famulam ingredi cupientem cubiculum vbi illa interierat, vas deiectum eft de tabulato fuperiore, quin et maior oppidanorum pars conffpexit vim magnam laterû regularumque magno fragore difpergi per ædes: id magis mirandum, quod in ea domo, ac ducenis circum paffibus, nec lateres funt, nec tegulæ vllæ, cum oppidum fere totum fit contectum scandulis e palma. Neque hoc factis. Domina coram, decemque alijs, aut duodecim mulieribus, femel, iterum, ac tertio raptata eft pede altero (nec apparebat raptator) famula, quæ ad heram conferuæ impietates retulerat, fecuta funt et alia monffra. Nonis Octobribus, cum in cellam veftiariam iret ancilla, vt promeret veffem, videt Catharinam extollentem feffe, vafi prenfando. at ipfa cum clamore repente fe proripit: ceterum vas in parietem coniectum, diffractum eft quafu ingenti. cum domina ffrepitu excita intraret in  
 cel-

cellarum in  
 Chrif  
 cata e  
 cunct  
 tes co  
 ta for  
 effer,  
 contr  
 puer  
 thari  
 effer  
 dem  
 rorib  
 quot  
 poft  
 cella  
 ruit  
 exar  
 voc  
 tant  
 veli  
 que  
 uid  
 tuz  
 qua  
 lier  
 eru  
 ris  
 ua

cellam, dimidiatus later magno impetu in murum impactus. Postridie, impressa in pagina Christi effigies de Cruce pēdentis, apte applicata est glutine in pariete vestiarij, statimque cunctis inspectantibus euulsa, ac tres in partes conscissa est: vt omnes loco cesserint subita formidine. eodem die, cum in horto cœna esset, magna pars lateris decidit in lancem, et conturbauit mensam: simulque quadrimulus puer, Mater, mater, exclamat, strangulor a Catharina: sed cum sacra lippisanotheca inserta esset in collum, cessauit quassatio & metus. tandem domina, vt liberaret se tam assiduis terroribus, diuertit ad consobrinam, relictis aliquot ancillis, quæ custodirent domum. tertio post die, harum vna, cum ingreditur penariã cellam, audit uocem Catharinæ vocantis: horruit mulier auditu, et ostium repēte adduxit: exaudiuerunt & vocem ter nominatim illam vocantis, quæ remanserant in aula: proin hortantur, se Deo commendans quærat, numquid velit. igitur accendit candelam sacram, tecumque adducens duas, quæ videbātur minus pauidæ, init cellam: tum ingrediēti vmbra mortuz. Tu sola huc ades, & candelam projice quæ mihi noxia est. Aspicit Catharinam mulier, vt postea rettulit, e cuius singulis artubus erumpebant ignium globi, cum fœdicate odoris intolerādi: caput & pedes ardebant viuacibus flammis: corpus nudum erat: dodran-

tali



tali fere fascia cingebatur ad talos vsque deducta. Pœnam æstimares impuræ libidinis. hoc aspectu contremuit. At misera, pabulum ignis. Accede propius: quid metuis? iã te quoties vocavi? respondit ancilla non dum timore posito, IESV bone, quis non horreat te cõspecta? Hæc inter, puerum cernit ex alto delabi candida veste: qui accedens ad trepidam ac trementem toto corpore, Non metus: bono animo esto. conspuita hoc monstrum: tum audi quid dicat, mox alijs narratura. ceterũ, simul hinc exieris, animam cõfessione expurga. Fecit mulier, quod iusserat puer. Angelum existimabat esse. Tum Catharina, quasi i&a contumeliæ verberare, excanduit. dixit tamen, Sic habe, me ad Inferos damnatam esse vtricibus flãmibus, quod cũ minutis de rebus apud sacerdotem confiterer, vt de multiloquio, de facilitate ad iram, & de leuiculis alijs huiusmodi rebus, de grauioribus tacerem vulneribus animi, vt de impura consuetudine adolescentium. verecundia quippe abstulerat mentem: vt quod turpe non arbitrabar factu, existimarem dictu turpe esse, hæc non sponte tibi, sed iussa aperio, vt alijs cautiore siant meo exemplo. Ea cum diceret, quia iam suprema tempestas erat, audita est salutatio Angelica, quæ claudit diem: et concedente in angulum Catharina, puer discedere alteram iussit, a qua hæc uisa et audita narratur. Placuit enim

Deo

Deo  
 quan  
 rum  
 pœn  
 etiã  
 sed fã  
 licet  
 dring  
 raiu  
 sto,  
 tis ca  
 rent  
 sum  
 nam  
 ador  
 qua  
 ci er  
 tur p  
 alia  
 fuisse  
 quæ  
 reliq  
 que  
 calli  
 fit op  
 fit ci  
 sceto

Deo horribili hoc exemplo testari veram esse, quam ex Ecclesiasticis fontibus, ad Itatinorum agros primus Samanegus inducebat de pœnitentiæ sacramento doctrinam. More etiã suo inuigilat inimicus serendis zizanijs : sed satis non oberit, quamdiu agricola, fessos licet oculos, non furabitur labori. Inter quadringentos vndetriginta, quos supra memorauimus a Patre Samanego adiunctos Christo, mulier aiebat didicisse se cum alijs multis carmen, docente aliquo, cuius cum audirent vocem, non viderent formam. carminis summa hæc erat. Misit pater in terras vnigenam Christum, eumque audiri ab omnibus & adorari voluit : misit & Mariam Virginem, e qua Christus ipse nasceretur. Exodium cantici erat. Hæc canit Spiritus Sanctus. Iubebantur porro, qui docebantur cantionem, etiam alia multa : quæ cur æstimentur a diabolo fuisse, illud causæ est, quod interijciebantur quædam impie dicta. quale illud est : vt viri relictis legitimis nuptijs, ad alias quascumque adhærescerent. Notæ sunt artes draconis callidi. fidem in paruis sibi præstruit, vt cum sit operæ pretium, magna mercede fallat. Et fit cicuta venenum potentius, cum vino miscetur.



770  
P R O V I N C I A  
L V S I T A N I A .



**R**ECENSUIT Lusitania decem locis supra quingenos socios, priore a<sup>n</sup>no viginti vnum: posteriore, quadraginta quinque. Olisipone in Professorum Domo primū quinquaginta, dein quadraginta septem. in Collēgio sexagenos. Conimbricæ centum octoginta tres, postea, aucto numero, duos supra ducentos. Eboræ centum triginta, mox centum & quadraginta. Bracaræ tricenos binos. in Brigantino Collegio fere vicenos singulos, quinos denos in Portuensi. in Funchalensi circiter denos ternos, in Angrensi primo anno duodecim, sedecim in secundo. in Angolana Sede priore anno quinque: posterioris anni litteras interceperunt, aut distulerūt maris incerta. Ut annum vtrumque coniungam, quindecim iacturam compensarunt octogintatres.

DOMVS PROFESSA

Olisiponenfis.

**C**ALENDIS Ianuarijs prioris anni patrefactum est, remoto inuolucro magni operis, laqueare templi, auro illudum ac picturis  
emi-

eminentibus, qualia non multa in tota Hispania visuntur. dies omnino, siue ornatu ædis, siue confluentium nobilitate ac multitudine, fuit celeberrimus. dederat quidam nobilis cætum aureos ad instruendum. auxit religionem Iubileum Pōtificium, cuius eo die initiū factum. Septies anno Iubileum in æde nostrā celebratur: ea occasione participant sacris fere termilleni. habent etiam insignem venerationem sacræ reliquiæ non veteri solum memoria, sed præsentis etiam auxilij potestate, illustres. Mulieres duæ, vt sanctæ Brigitæ capiti, alia in primis nobilis, vbi beatæ Symphorosæ ossibus, e nostris item quattuor, cum lipsanis Thaumaturgi Gregorij, pia impresserunt oscula, prope desperatam a medicis receperunt corporis salutem. Superiore tamen anno tribus sacerdotibus orbata est domus, quos columina Prouinciæ appellare posses. Decessit primum Pater Franciscus Henricus rerum multarum vsu ac prudentia excellens, graui nobis inflicto vulnere: vix dum coierat, cum redintegratum est obitu Patris Georgij Serrani: is erat natura factus, & exercitus consuetudine ad imperandum. neque enim in alto quantalibet potestatis honori suo velificabatur, aut commodo, sed incolumitati ac saluti parentium: vt a perturbationibus vacuus, sic a priuatarum rerum cupidine, quæ publicis semper obest. moderator quondam



dam fuerat Lusitaniæ Prouinciæ, nunc etiam Præpositū agebat Domi: foris præerat curiæ, vbi grauiores causæ a fidei Quæsitoribus disceptantur: vt non domestica tantum iactura, sed & publica, ita etiã doloris acerbitas fuit, serenissimus quidem Albertus Cardinalis generalis Inquisitor, magnum testimonium ipsius benefactorum, ac sui desiderij dedit. cumulum mærori addidit Pater Vascus Petreus, mira vir simplicitate, & innocentia: duodecimum iam annum fouebat studia Nouitiorum, eos dirigebat ad normam nostræ Societatis: cum ipsi se interea in rectoris velut vnici exempli mores formarent. Igitur hi tres mortui sunt, viri cum paucis comparandi: certe rarum in suo quilibet genere virtutis exemplū. At quibus adhuc producitur vita, cōcionibus habendis, audiendis confessionibus, inimicitijs componendis, odijs sedandis, tradendis rudimētis doctrinæ Christianæ, pauperibus subleuandis, inuisendis nosodochijs ergastulisque, strenue laborarunt. vno anno præter ordinarias conciones in æde nostra, habitæ in alijs extraordinariæ, circiter septingentæ. qui fructus, ex amplitudine vrbs, ac rerum copia e qua sæpe luxuries, diuinare promptum. Nunc sparsim ex his aliqua ponentur. Vir nobilis, falsis adductus suspicionibus vxori innocenti interitum parat: hoc illa subodorata, sacrosanctis se mysterijs præmunit, sub

fidio

fidio vitæ , sine solatio mortis. nec frustra .  
 sequenti nocte iacentem inuadit truculentus ,  
 ac plus centies adigit ferrum in muliebri cor-  
 pus : id propterea , quod cassos mirabatur i-  
 ctus , ac si cereus mucro esset : exaturata ra-  
 bie, vt mortuam credidit numero plagarum ,  
 se contulit in Cœnobium , vbi tutus lateret .  
 vocantur ad mulierem statim Triumviri (cre-  
 do capitales) diligentiusque contemplari cor-  
 pus, quod lacerum arbitrabatur, vt nulla pars  
 sana aut integra esset, illæsum saluumque re-  
 periunt: nisi quod exiguum vulnus in manu hæ-  
 ferat. id vbi perlatum est ad parricidam, intel-  
 ligens vxoris innocentiam , & suam furorem  
 condemnans, eadem nocte ad nos venit, & sa-  
 cerdotem exorauit vt sibi bona fide emenda-  
 turo culpam coniugem placaret. Mutua inter  
 primarios connubij fœdera nobilium auctori-  
 tate firmata, quæ pars altera volebat rescinde-  
 re, armis altera deposcebat : in eadem igitur  
 imminente dissensione voluntatum, stabat v-  
 traque familia certa non cedere: et bona pars  
 ciuitatis distracta : magna procella timeba-  
 tur, nisi interuentu vnus e nostris iræ posuif-  
 sent . Iuuenes item duo, qui iam extra urbem  
 se agebant ex mutua prouocatione , vt armis  
 de vita decernerent, placati eodem successu .  
 Actum cum viro non ignobili , vt in gratiam  
 cum coniuge rediret . Persuasum cuidam, vt  
 retractaret crimen, quod alteri imposuerat,



fegetem non mediocris mali. Magnæ vir au-  
 storitatis cum concionem auditurus templū  
 ingreditur, in frequenti confessu accipit ab  
 altero cum crepitu insignem alapam: is, inter  
 iniuriæ pudorem, & stimulos vindictæ, animo  
 eminens, ne admitteret aliquid in religionem  
 loci, acceptam plagam Christiana caritate  
 concoxit: et super hæc, nostros, a quibus inter  
 murmura indignantium in sacrarium fuerat  
 abductus, rogavit persuadeant filio, quem fe-  
 rocem animi esse intelligebat, et promptum  
 ad reponendam contumeliam, vt deposito vl-  
 ciscendi consilio percussori impunitatem con-  
 cedat. Vnus extremum iam spiritum exhalās  
 ei libere ignouit, a quo mortiferum vulnus  
 acceperat. Trium concubinæ in matres fami-  
 lias legitimo iure transferunt. Virum quem-  
 dam ita diuersum egerant pellicis lenocinia,  
 vt ab vxore abhorreret, quæ erat illi causa in-  
 tolerabilis ærumnæ: is vi concionis aliquan-  
 do permotus, sic immutatus animo est, vt re-  
 diens domum, petierit cum lacrimis veniam  
 a coniuge, et pollicitus sit deterfurum animā  
 generali confessione. quod ut fecit, factus est  
 rerum nostrarum amantissimus, quibus an-  
 tea parum, aut nihil studebat. Vnus, qui ma-  
 iorem vitæ partem alexæ dederat, eius inte-  
 rim damna resarciens vxoris dote, pertæsus  
 tandem uitæ atque inopiæ, gladio ius dicere  
 cōstituerat stultitiæ suæ: sed ab vxore cum eta  
 curio-

curiosus scrutante adductus ad nostros cum  
 esset reus cogitati facinoris, perductus est ad  
 emendationem morum, ac pœnitentiæ. Adul  
 terina clavis, quæ nobilibus rapinis aditum  
 sæpe aperuerat, furunculo erepta. Supra quin  
 decim aureorum millia quæ mala fide retine  
 bantur, hortatu nostrorum veris dominis re  
 stituta. Quidam ad moriendum vicinus, in  
 curiosus præparandæ animæ condendique te  
 stamenti, excitatus a nostris, & utroque offi  
 cio Christiane sanctus, fugitivi serui ad domi  
 nos reuersi. fides contractarum rerum ex x  
 quo & bono constabilita. Mulieres multæ  
 ab infami quæstu reuocatæ, locatæque in tu  
 to vt procul periculo essent. Iam quia non  
 minus laudatum est providere ne mala acci  
 dant, quam vbi acciderint, vt minimum no  
 ceant, cauere: actum cum Misericordiæ soda  
 libus, vt quoniam quæ e freto emersere libidi  
 num, paratum perfugium habent, certum con  
 situatur præfidiū inopi pudicitæ, ne merga  
 tur. itaque vt Conuersarum illud, ita hoc Præ  
 seruatarum Cœnobium vocatur. inter has pa  
 trimæ etiam aliquot & matrimæ puellæ educā  
 tur: præ sunt matronæ aliquot lectissimæ, a qui  
 bus præter exactâ morum disciplinam ac pie  
 tatis, & linum deducere in fila tenuissima, &  
 vestes conficere, & acu pingere, ordinare do  
 mum ac disponere, aliaque quæ scire matrem  
 familias decet, accurate docentur. nonnullæ



ex iis in matrimonium collocata collata dote : optata aliquot a viris locupletibus, satis dotatas esse arbitratis his moribus eductas. Nobili adolescentula, cui ad matrimonium dos minime suppetebat, nostrorum suafu pecuniosus subsidio venit, quingentis aureis supra duo milia gratuito datis. Ut captius redimeretur corrogati aurei centum quinquaginta. Collegio catechumenorum quos nostri Christianae fidei praecipis erudiunt, superiore anno viri octo, puellaque vna, baptizati sunt: his, femina non obscuris orta parentibus in Aethiopia, addita est. Vnius satis spectata fides, quem callide Angli ad nauem allicientes in Mauritiam ad cognatos reduxerant: consilium fugae vir prudens dissimulando texit: mox ubi maturum visum, clam parentibus, cognatis, Mazaganum se recepit, inde Olisiponem ad baptismum. Anno posteriore captiuum Turcam effeta iam aetas viribus (nonaginta annorum erat) libertate donarat. tenax tamen perfidiae ostiatim stipem emendicando sui finem temporis expectabat. sed perucax ille, et obstinatus ad multorum monita, diuino afflante spiritu ad nos repente agitur, ac praeter spem sacrum postulat baptismum: tum veluti exisset dies induciarum cum morte, vix attigit limen catechumenorum domus, cum morbo extremo corripitur: itaque (vt illis temporis angustijs) breuiter instructus, & ablatus Catho-

lice

lice,  
duos  
reli  
mi h  
a qu  
dem  
cita  
vest  
na sp  
Mau  
nos  
aliqu  
tud  
tuos  
ex  
cter  
ad C  
hab  
gen  
des  
tan  
cio  
hic  
ges  
ter  
ne  
all  
co  
in  
fu

lice, supremum diem expleuit . Præter Mauros duos, qui huc se attulerunt Christianæ studio religionis , alius inter vincula triremium, animi libertatem diuino beneficio cōsecutus est, a quodam (vt narrabat) admonitus, quem eadem prima luce, qua se Christus ab Inferis excitauit, secundum quietem viderat candenti veste, decore eximio, & maiore quam humana specie, venerabilem . Qui pretio vel fuga e Maurorum seruitute liberantur , in reditu ad nos mittuntur a Syndicis, vt audiantur, & nū aliqua infederit, diurnam propter consuetudinē, perfidix macula interrogentur. Quattuor damnati capitis, adiuti : effectumque , vt ex ijs duo abiecta Maumetana hæresi amplecterentur Christianam fidē. Puerilis institutio ad Christianam doctrinam felices progressus habet : quinet facta iam communis in omni genere hominum cum reliquis ætatibus, ut rudes informantur. quam late hoc pateat, in hac tanta magnitudine urbis, ac diuersitate officiorum gentiumque, conijcere nō difficile est. hic Aethiopes docentur : hic baiulorum greges præcinente choro tibiarum : miscētur interea Galli Germanique mercatores, & Latine recitātur necessaria cognitu præcepta: nec allestantibus præmijs concertatio abest. eodē cœtu ac symphonia, penetratum aliquando in regiam, ac latante Cardinale proceres ipsi sui muneris commonefacti. adiutum a Cardinale



nale, opus grandi pondere aris infecti ad pi-  
 culares icunculas concessio. in rem eamde no-  
 biles quidam uiri centū quinquaginta aureos  
 contulere. Porro cum scripsimus annuas pri-  
 mas, huic muneri diximus praefici sacerdotem  
 grandem natu, prospero euentu. is designauit  
 per vrbanas singulas tribus ( triginta censetur )  
 symphonicos aliquot pueros, qui sacrū  
 Eucharistiæ ferculum ad ægrotos, cum piis cā-  
 tibus, prosequantur. uisitados etiam ægros in  
 ualetudinarijs, uinctosque in carcere, ac pia  
 modulatione permulsos, ibidem tradidimus,  
 nec repetere opus. Nunc, ne quod tempus in  
 hebdomade vacuum detur, primus dies a Do-  
 minico est assignatus militi in arce ad piam  
 Christi militiam erudiendorū itaque uerborum  
 licentia, & praua iurisiurandi consuetudo ex-  
 clusa est: menstrua tutelarium Sāctorum sorti-  
 tio introducta. Ex Anglorum reliquijs, qui ad  
 remum adacti nauibus longis custodiuntur, se-  
 xaginta hæresim reliquere: ex his vnus præter  
 ceteros nobilitata pertinacia, quo utilior con-  
 uersio esset. iam enim lapsos erigere conatur,  
 et uerbis castigat errantes. quidam ex eo nu-  
 mero recta consilia hæctenus aspernatus ani-  
 mam agebat: iamq; hominem in nulla spe uitæ  
 loquendi vsus defecerat: ad aures inclamat sa-  
 cerdos, nisi ad Christum redeat, actum etiam  
 esse de animæ salute: proin Iesum nominet vel  
 in hoc articulo extremo. ualuit cohortatio, &  
 fan-

sanct  
 lit. i  
 expl  
 Cete  
 gion  
 cipi  
 xiliu  
 lingu  
 ad sa  
 nem  
 rior  
 mo e  
 to n  
 com  
 prof  
 cim  
 Ang  
 erur  
 fz re  
 cijin  
 cent  
 duce  
 na e  
 valu  
 le q  
 tra  
 tu D  
 tris  
 eum  
 cieri

sanctissimum nomen tenebras ex animo expul-  
 lit. itaque omnibus expurgatus maculis, cum  
 explorata spe immortalitatis excessit e vita.  
 Ceterum non pauci ex Hibernia insula reli-  
 gionis constantia profugi in Lusitaniam se re-  
 cipiunt: quibus sacerdos noster Hibernus au-  
 xilium præbet: is multas nationum Borealiū  
 linguas percallet, magno eorum bono, quos  
 ad salutarem cōfessionem rectamque religio-  
 nem adducere studio habet. ex his, anno poste-  
 riore, quadraginta perfidiosam opinionē ani-  
 mo eiecere: sed, vt sit finis (quamquam in tan-  
 to numero haud sum nescius res aliquas inter  
 componendum excidisse) e nostris, qui huc  
 profecti nauigandi tempus expectabāt, vnde-  
 cim in Indiam, in Brasiliam quattuor, quinque  
 Angolam soluere: Multorum liberalitate fa-  
 crum instrumentum auxit. Sanctæ Symphoro-  
 sæ reliquæ a muliere accepti memore benefi-  
 cij in argenteum brachium conditæ, translucen-  
 te fenestella: ad alia Sanctorum ossa, præter  
 ducentos aureos, data vsque ad pectus huma-  
 na effigies ex argento: comparata materia ad  
 valuas templi fabricandas collectis aureis mil-  
 le quingentis. Priore anno excurrere octo ex-  
 tra urbem in loca diuersa: e quibus duo, roga-  
 tu Dominæ Catharinæ Brigantini Ducis ma-  
 tris, Villauicosæ Aduentus tempore magna  
 eum oppidanorum aulicorumque vtilitate So-  
 cietatis munera obiere. Alibi in vno tantum  
 oppido,



oppido, centum generales confessiones audire: toridem paces compositæ: inde (ne similia congerantur) facile est iudicium ceterorum.

COLLEGIUM OLISIPONENSE.

**E**ORVM, quæ hoc de Collegio scribentur, maiorem partem vindicabit sibi annus prior: quædam erunt et cum altero communia. Addita schola Mathematices, magna omnium admurmuratione, & discipulorum fructu. est enim illa disciplina tum in primis nobilis, tum utilis ad multa, disciplinarum fere omnium fundamentum ac decus. Politiorum litterarum studiosi mille sexcenti. Sodalitij Partheniani uiget laus, et numerus crescit. octoginta in uarias religiosorum familias abiire. Quemdam allicere non potuit ad uiolationem pudoris demonis occulta calliditas, diuitiarum specie ostensa. condiscipulum idem in lubrico ætatis ad uitia declinantem, opportuna eorum, quæ acceperant a magistris, admonitione reuocauit. Ad emendos libros in præmiorum diuisionem dati a uiro opulento aurei centum. celebritatem ornauit altercatio a primario scholarum magistro de trium orbis terræ partium principatu. America, ne ferretur sententia, intercessit, se iniuste excludi pluribus cōqueſta. adeo probata declamatio est, ut Archiduce serenissimo optime de nobis merito

reuo-

reuo-  
ta est  
die du  
farcin  
genti  
logus  
appar  
die su  
sodal  
tit &  
redit  
lia an  
nouer  
ampl  
Iuuen  
ctum  
tibus  
nuit  
pæ.  
pam  
em v  
que d  
ens v  
que  
tit. C  
facci  
mini  
fi co  
sign  
lo op

reuocante, fuerit in scenam reducenda: lauda-  
 ta est a singularis iudicij viro, qui et postri-  
 die ducentos aureos in Collegium misit, vnde  
 sarciretur impensa. altero quoque anno dili-  
 gentiores muneribus excitati, & recitatus dia-  
 logus de laudibus Virginis. Maiore poetico  
 apparatu Sanctorum nomina sortito ducta, quo  
 die simulacrum Dei matris expositum sumptu  
 sodalium, illatum est in aram nostri templei. exti-  
 tit & aliquis fructus animarum. Diebus festis  
 reditum ad munus explicandi populo Euange-  
 lia annis superioribus intermissum. Mulieres  
 nouem annorum similitatem posuisse mutuo  
 amplexu approbarunt concione inspectante.  
 Iuuenis, qui per annum integrum patris aspe-  
 ctum vitarat animo alienato, nostris suaden-  
 tibus prouolutus ad eius genua, veniam obti-  
 nuit, lacrimas effundens in confessionem cul-  
 pae. Alteri atrocis animi cum incuteret ala-  
 pam pater, ita mota iracundia est, ut in rabi-  
 em versus, ferrum a latere diriperet, elatum-  
 que detulisset in pectus, ni illac forte transi-  
 ens vnus e nostris obstitisset insaniam. hic quo-  
 que demitigato spiritu veniam a parente pe-  
 tit. Quidam cum in templo nostro interesset  
 sacris, alterum admonuit genuflecteret, ac me-  
 minisset praesentem Deum: at hic exarsit, qua-  
 si contumelia accepta. ergo admonentem de-  
 signat ad caedem, et foras egressus eum cum te-  
 lo opperitur: quod ubi olfecit Collegij Rector,  
 cuo-



euocatum hominem non difficile placat: et  
 recenti adhuc ira reconciliat vtrumque. Alter  
 graui lacescitus iniuria curauerat aduersariū  
 cōiici in vincla: ea porro inerat crimini atro,  
 citas, vt si ageretur legibus, aut capite esset  
 aut exilio luendum: sed is, antequam statue-  
 rēt iudices, rem integram detulit ad nostros,  
 quorum hortatu omisit accusationem, et remi-  
 sit iniuriam. hoc beneficium ita grato animo  
 accepit reus, vt statim mulierē duceret vxo-  
 rem, cui lege magis bonæ conscientia, quam  
 iure ciuili erat obstrictus. Inter duos, e quorū  
 semestri litigio hostile odiū emerferat, cum  
 interea periurijs res ageretur ac falsis testi-  
 bus, Deo bene iuuante, nostrorum opera pax  
 constituta est. super ceteros eluxit iuuenis glo-  
 ria ad mortem affecti; qui interfectori ipsi  
 delicti gratiam fecit. Captiuus seruilē con-  
 dicionem non ferens nauigium effugio quaere-  
 bat: postmodum meliore vsus consilio quod  
 dedere nostri, vtilem seruitutem præoptauit  
 miseræ libertati. In proximo oppido, die ipso,  
 qui sacer est Christo resurgenti, carcerem no-  
 stri non solum refecerunt Angelico cibo, sed  
 epulo etiam, quod cum suis comportassent hu-  
 meris, primarios viros ad simile officium  
 exemplo incitarunt.

## COLLEGIUM CONIMBRICENSE.

RES PRIORIS anni tere missionibus  
 R concludentur : eas accepimus sex fuisse ,  
 per diceceses tres: Lamacensem, Vifensem, Mi  
 randensem : quamquam itum etiam in alias  
 terras: et (vt multa generatim) inter non pau-  
 cos conglutinata concordia: abolitus vsus pas-  
 sim ac temere iurandi: data opera, vt quæ in-  
 oleuerant superstitiones cum pietatis institu-  
 tis commutarentur : pueris ac rudioribus ex-  
 positus Catechismus : vis magna æris alieni  
 ad dominos reuertit: vincti in custodijs, ægro-  
 tique in nosocomijs, multorû liberalitate ad-  
 iuti. ad confessionem, sacramque communio-  
 nem plurimi mortalium adducti. vnus vno in  
 oppido ducentis commodauit aurem de om-  
 ni vita confitentibus . tantus ad concionato-  
 rem concursus, eorum, qui rusticanam vitam  
 ac pastoriciam agebant, vt cum summo mane  
 occuparetur templum, ne diurnum opus diu-  
 tius desereretur, statim haberetur concio ad-  
 mirabili fructu. id agebatur in omnibus oppi-  
 dis. inuidisse dæmonem hoc erit augmento.  
 Erat in oppido sacerdos : exciuit concionum  
 fama agricolas e vicinis locis: festinantibus  
 multis iam manu coacta, fit obuiam eques,  
 cum Aethiope famulo coloris nigerrimi : quo  
 pergant rogat tam citato gressu, et quid fa-  
 cturi:



Eturi: vbi vtrumque cognoscit, ad proximum  
 nempe oppidum, vt audiant, audianturque,  
 O brutum pecus, o simplices homines, inquit,  
 ac nimium credulos, ita et vos præbetis aures  
 istis fraudulētis, ac de industria vrbes fugitan-  
 tibus, vt rusticanorū animos incautos fallant?  
 quin repetite vestros lares, ac finite crocitare  
 coruos in scopulis prædam inhiantes. quod si  
 ipsi, qui hac illac volitant cōcionabundi, verē-  
 tur, ne cōceptus sermo, ni eijcitur ore, ceu in-  
 clusus ignis, pectora incendat, conflagrēt per  
 vos licet, totique abeant in flammam: aut cō-  
 cionentur ad diabolū. Habitus, comes, ser-  
 mo ignoti equitis indicio esse poterant perso-  
 næ loquentis. Sed gens non astuta, nec cal-  
 lida, etsi hærere primo stupefacta, ac pende-  
 re animi, modo inter se, modo in equitem fa-  
 mulumque tacito oculorum coniectu, tamen  
 vt admisit verba occulte penetrantia, nihil  
 ultra cogitauit: habuit dictis fidem ad fallen-  
 dum instructis. incipientem vnum referre pe-  
 dem ceteri factio agmine sequuntur. paulo  
 post, cum respiciunt cuncti, eques oculis sæ-  
 pe frustra quæsitus non comparuit. Verum  
 ipsa sibi malitia malam rem accersijt iumen-  
 to suo. Vagata eius rei fama excitauit pro-  
 pinquos, quinet remotiores populos, vt con-  
 uenirent vndique frequentes multitudines  
 ad concionem audiendam. At noster non  
 multis ad confertissimam turbam utebatur  
 ver-

verbi  
 sam a  
 tu, vt  
 uteba  
 lendu  
 dam,  
 rio, a  
 ter, st  
 pter  
 in fa  
 pecca  
 do, v  
 anim  
 stror  
 sum  
 rum  
 lissim  
 traie  
 sexce  
 gis c  
 publi  
 ges a  
 illis p  
 nibus  
 leuit  
 nicur  
 re di  
 thus  
 & vir  
 tate

verbis, sed efficacibus: non strepitu Dei cau-  
 sam agebat, vt delectaret, sed, vt par erat, spiri-  
 tu, vt prodesset: quāquam clamoribus interim  
 utebatur, cū auditor quasi dubitās erat impel-  
 lendus. eius ui aliquando ita impulsus est qui-  
 dam, vt subito metu prolaberetur in audito-  
 rio, animo deficiente. ab eadem concione al-  
 ter, statim adito homini, cui irascebatur pro-  
 pter eadem propinqui, condonauit offensam.  
 in fabularum illecebras ac ludicra mimorū  
 peccare docentia, ita se uere inuectus est dicē-  
 do, vt illico ex decreto Senatus, corruptores  
 animorum, toto igne furoris concitato in no-  
 strorum probrā, ex vrbe pellerentur. Persua-  
 sum sex, vt grauis simam memoriam iniuria-  
 rum obliuione delerent, matrona in his nobi-  
 lissima, cui vulneratum est brachium per  
 traiecti filij latus. Vni alteriue redditi aurei  
 sexcenti. Pueri summa capita Christianæ le-  
 gis cum pijs canticis edocti. id priuatim et  
 publice gratum. quod vt perpetuum foret, le-  
 ges ab vno e nostris conscriptæ, præmiolaque  
 illis proposita, qui a lasciuis cauerent cantio-  
 nibus: qui dextere ac prudenter admonerent  
 leuiter iurantes: qui prosequerentur Domi-  
 nicum corpus, cum ad ægros defertur: qui in  
 re diuina ministrarent sacerdoti, vbi Acolu-  
 thus abesset. neque hoc puerorum solum, sed  
 & virorum, & matronarum, ad pietatem inci-  
 tamentum fuit. nam præterquam quod vidis-



ses patricios viros accinctos gladijs inter sacra ministrantes: mulier militem audacter iurantem sapienter increpuit: quod cum is non ferret, repente pugionem distringit: neque illa pertimuit, sed pia eadem perseverantia effugerat ira animum repressit. eodem consilio, meliore euentu, puerulus indole ac genere præstanti, cum audisset quemdam in cœtu virorum verba quædam minus religiose proferentem, insinuans se in medium, ac flectens genua, duplicesque manus attollens, modeste hominem orare cœpit, vt vel amore virtutis, vel pœnæ formidine, a tam periculosa consuetudine desistat: mouet ferocem animum iuueni commonitio: eo magis quia a puero, quia vera. quia, tot coram testibus. ergo & iniuriã qua se affectum putabat, in os eius incussa palma furenter vlciscitur. at puer, viris virtutis lumine præferendus, nihil motus tam insigni contumelia. Quin et præbeo (inquit) maxillã alteram: cædas licet vtramque tuo arbitratu: nõquã enim efficies, vt me in simili occasione talia dicere pigeat, aut nõc pœniteat dixisse. suspexit altitudinem animi in puero corona frequens: & linguæ impotens iraque, percussor, a se verberatum quem minime decebat, sera æstimatione perspexit. Hac propter & talia Collegium expetitur a ciuitate: et ea super re litteræ ad Patrem Generalem missæ. At Mirandensis Episcopi pietas non est silentio

cio præ  
pli. In  
loqui  
tribu  
quod  
Præsu  
adorn  
colluc  
famili  
singul  
pus ex  
icite  
tur, g  
maxi  
rius N  
dam p  
lebat.  
lia, vt  
a pecc  
pto ca  
mus e  
offici  
ne fla  
hil ia  
ceptu  
furor  
quan  
erat.  
nisi c  
sed b

tio prætereunda : erit hoc vnum causa exem-  
 pli. Incidit, cum rebus de nostris nobiscum  
 loquitur, sermo de menstrua schedularum di-  
 stributione inuocandis patrocinijs Sanctõrũ ;  
 quod pium inuentum sic probauit optimus  
 Præsul, vt imitari etiam voluerit. postero die,  
 adornatur aula pulcherrimo peristromate,  
 collucet ara facibus & argento, conuocatur  
 familia, cælitum nomina forte educuntur, vt  
 singulis suus obtingat. quin et se vnum Episco-  
 pus ex eo numero iussit esse. hinc quoque cõ-  
 ijcite, & res, quæ prima specie parux videntur,  
 geri nutu diuino. exijt sacrorum Antistiti  
 maximum decus Pontificiæ dignitatis Gregõ  
 rius Magnus, quem ipse semper præcipua qua-  
 dam propensione animi colere ac venerari so-  
 lebat. illud porro mandauit omnibus e fami-  
 lia, vt sui quisque patroni diem festum abluto  
 a peccatis animo celebraret, riteque percep-  
 to cælesti cibo. In altera quadam vrbe do-  
 mus erat vitiorum seminarium, ac scelerum  
 officina. coibant veluti in asylum, qui in om-  
 ne flagitium et facinus nomen dedissent : ni-  
 hil iam cupiditati, nihil libidini videbatur ex-  
 ceptum illis, quos adulteriorum ac stuprorum  
 furor in eum gurgitem impulisset. nec quic-  
 quam erat impuratum alicubi, quod ibi non  
 erat. Circæum diceres stabulum, si quod fuit :  
 nisi quod homines non immigrarât in bestias,  
 sed bestiæ potius in humana specie visebâtur.



tale antrum, at que Inferorum vestibulum, vi-  
 deor mihi alias, in eadem Prouincia Olisipo-  
 ne descripsisse . Sed hoc quoque, vacuefactum  
 clausumque est, Dei auxilio, consilio nostro-  
 rum . Splendida quidam familia, vt miseram  
 vitam finiret, præceperat mortem veneno,  
 quo paulatim grassante, morbum assimulat  
 decumbens in lecto; ne si detecta res esset, in-  
 fame cadauer sepultura careret . sed interim  
 tempestiuo admonitu vnus e nostris ad sanio-  
 ra conuersus, sumptis remedijs, & corporis  
 incolunitatem recepit, & animæ salutē . Ad-  
 scripti in Societatem priore anno (huius enim  
 tantum res hæcenus memoratæ) in hoc Co-  
 nimbricensi Collegio vnus et viginti. obiit Frá-  
 ciscus Gondisaluius in domesticis officijs vs-  
 que ad senectutem supremam impigre exerci-  
 tus. Nunc posteriorem perstringemus. Atque  
 vt coniungamus similia, E duobus, qui morte  
 quieuerunt, alter fuit Hieronymus Roderi-  
 cus: qui etsi totos triginta annos in Societate  
 magnum dederat uirtutum exemplum, vbi ta-  
 men regis Henrici nomine, in sacrosancta Pa-  
 læstinæ loca peregrinationem obiuit, et im-  
 pressit oscula Christi Domini vestigijs, ita al-  
 te defixa habuit in pectore mysteria nostræ sa-  
 lutis, vt ea tātū cogitatione, quamdiu postea  
 vixit, animum pasceret, et consolaretur in su-  
 premo tēpore cū naturæ concessit. Cōcionū  
 in templo nostro forisque frequenter habita-  
 rum

rum  
 facul  
 tate  
 dijs,  
 pleni  
 Nostr  
 quod  
 liere  
 ac M  
 sunt  
 dia, c  
 lia e  
 fiten  
 unus  
 litos  
 pau  
 bus  
 nobi  
 ter,  
 no, c  
 dica  
 fra  
 imp  
 verb  
 distr  
 succ  
 min  
 zera  
 tur  
 lit a

rum spectatus fructus in plurimis a vanitate  
 sæculi abducendis. Duo viri graues, qui clari-  
 tatem sanguinis fœdauerant mutuis discor-  
 dijs, in nostro Collegio reconciliatis animis  
 plenissimum lætitiæ spectaculum præbuere.  
 Nostrorum cõsilijs quidam effudit amatoriũ,  
 quod comparauerat ad conciliandam sibi mu-  
 lierem nobilem, magna impensa. A nostris itẽ  
 ac Misericordiæ sodalibus publico carceri  
 sunt humeris allata cibariorũ vestisque substi-  
 dia, cum iam vinctos in obscena etiam anima-  
 lia extrema fames adegisset. Audiendis con-  
 fitentibus ita strenue opera impenditur, vt  
 unus quingenos numeret apud se peragere so-  
 litos mentruam confessionem. apud eundẽ  
 paucis diebus, quadraginta duo de crimini-  
 bus totius vitæ confessi. Ceterum iuuentus  
 nobis monstrantibus ita ad pietatem eniti-  
 tor, vt vnã tantum ex classe, hoc posteriore an-  
 no, triginta sint ingressi varias familias Deo  
 dicatas. id etiam constabit ex paucis, quæ in-  
 fra ponentur. Cum præceptor in schola de  
 impiorum cruciatibus, deque gaudijs piorũ  
 verba facit, paucisque admonet sapientis esse  
 disrumpere inanium curarum vincula, quorũ  
 succedẽtib; sibi nexibus ita implicantur ho-  
 mines, ut inde noua incipiat occupatio, vbi al-  
 tera desinit, et hac veluti catena, nisi præcidi-  
 tur, ad Inferos trahat: ita adolescentem impu-  
 lit ad contemptum mundi, vt eum deserere



clam pædagogo ac domesticis cogitarit: quod etiam fecit: ad Capuccinos se contulit, admo- nens per epistolam præceptorem suum, opta- turum se fuisse religionem nostram, si æque ve- inter Capuccinos, viuens latere potuisset. Se- ptimum decimū ætatis annū nondum alter e- gressus sic macerare corpus institit, vn non so- lum incōcessam omnē ei voluptatem negaret, sed etiam interdiceret concessa. Quadragesi- mā simplici tantum pane & aqua exegit: zo- na horrida e setis equinis contexta nuda late- ra astrinxit: nec prius desijt huiusmodi sup- plicia carnis, quā impar laboribus acuta cor- repta febrī decidit in lectum. Alius molliter educatus tribus quattuorve continenter no- ctibus per quietem Christum viderat clarō splendore præmicantem, pariterque admonē- tem breuem esse hāc vmbra sæculi: expeten- dam proinde cælestem lucem, quæ immorta- lem gloriam parit. Graue est imperium deli- catæ consuetudinis, dissimulabat adolescens, aut calorem vocationis nocturnæ extinguere moliebatur diurno flumine voluptatum: do- nec vltima nocte, quæ illam speciem ferebat, naturæ reluctantis impetu, experrectus vidit magnam se vim sanguinis eiecisse. tum vero vbi ad consilium intellexit adhiberi tormen- tum, manus dedit. In vicino pago, ex primo- ribus duo cum Curione inimicitias excerba- bant, vt eius etiam famulum non semel pulsa-

rint:

tint:  
tur: e  
scre  
nes d  
centis  
ac pra  
nec v  
fabula  
egreg  
& in p

E

T

mor  
pri ho  
tenti  
lorum  
derit  
more  
litor  
prior  
blanc  
exem  
ximis  
la res  
mo e  
re an  
duo

rint: magno periculo res carere non videbatur: et iam expectabantur, qui causam cognoscerent: opportunus nostrorum aduentus omnes dissidij fibras euellit. Finis sit Conimbriensis Collegij, Ioannis Apostoli martyrium, ac præclara eiusdem visa (obsessa tenebris donec veniat dies quæ reuelet omnia) quasi in fabula & scena populo data: primarij magistri egregius labor: & tunc spectatus cum plausu, & in posterum numquam sine laude dicendus.

### EBORENSE COLLEGIUM.

**T**RES ET TYRONVM numero, cum in sollempni peregrinatione incidissent in morbum, ab honesto quodam sacerdote acciperent hospitio, quoad conualuerunt tamdiu retenti: is ita captus est moribus ac pietate illorum, vt quasi beneficium acceperit, non dederit, magnopere latetur. Discipulorum, de more, qui ad nos ventitant, non solum excolitur ingenium, sed etiam animus. Narrantur, priore anno, de seruata pudicitia aduersus blanditias muliebres duorum adolescentium exempla: ea credo, quæ posuimus annis proximis: quod si non eadem, ita gemina, vt nulla res alteri æque similis sit: sed vt dixi existimo eadem esse, nec reponenda. Ex ijs, qui priore anno in nostrum admissi ordinem (viginti duo fuere) vnus facile ex prima nobilitate,



varie tentatus a matre est. etenim vbi inaudiuit aliquid de consilio filij, ad se euocat: agebat ipsa in oppido ditionis suæ: adolescens cū isset, scenæ interim seruiens, mentem suam prudenter occultat, dum tandem peregrinos aliquot nostros, qui illac iter faciebant, sursum digressus assequitur, eosque exorat, vt se itineris & Societatis comitem esse patiantur. Sic nostri aucti socio domum reuertuntur. Catechismi explicatio magna vtilitate populum afficit, & voluptate. capiuntur aures modulatione cātus, oculi specie vexillorum, quæ præferuntur, triplici, vt agmine, sic etiam choro. id maxime cognitum anno posteriore in die beati Blasij festo. cum enim ex vicinis pagis vrbeque ipsa confluxisset omnis ætas ac sexus in locum late patentem, vbi certamina omnis generis artium, viriumque, ac pernicitatis visuntur: vt sacerdos noster eo duxit Catechisticam pompam, omni ludicro intermisso, circū sacerdotem affusi, eum densis humeris atque auidis animis audiere concionantem. A pueris elementarijs in ediscenda doctrina Christiana nihil pane desideres. quam facile tenera eorū ætas imbuatur salutaribus præceptis discite festiua narratiuncula. Aethiopis filius cum honestum videret virum prolapsus licentia linguæ in impium maledictum, ad pedes eius accidit, oratque suppliciter, ne talibus in se verbis concitet numen diuinum. Quintus  
(inquit)

(inquit) in meum potius tergum iracundiam  
 verte (offerebat interim flagellum, quod com-  
 modum efferebat e schola) nimirum hoc senti-  
 re mihi, quam istud audire præstat. Non sem-  
 per ab se exit iracundia. Qui erat iratus, ani-  
 mum collegit, neque ægre tulit admonitum  
 pueri tam vilis sanguinis: admiratus potius al-  
 titudinem mentis. Tu me potius (excipit) son-  
 tem cædito (& simul manum porrigebat) id  
 erit mihi ad pœnã, siue ad documētum aptius:  
 non simulatam fuisse orationem pœnitentis in  
 cædenda eius vola non affectata pueri simpli-  
 citas approbavit. Concionum confessionum-  
 que incredibilis & numerus & fructus. Vir fa-  
 cilis ad irascendum vxorem, vt adulteram,  
 expetebat ad cædem: subduxit se illa mariti  
 iracundiæ, & in remota vrbe totos nouem an-  
 nos honeste tolerauit: dum tandem vnus e no-  
 stris placauit animum vtriusque. Adolescens  
 dissolutus virginem latentē in Cœnobio, iam-  
 que adspirantem ad virginitatis votum, ama-  
 torijs litteris ad legitimas nuptias sollicita-  
 bat, vt muliebre ingenium esset inter sacrum  
 & saxum: noster huius rei factus certior, alias  
 ab eodem litteras extorquet, quibus virgini-  
 tatis gloria celebraretur, et reuocarentur  
 promissa, sic quæ peccauerat manus, & vulnus  
 inflixerat, mutato argumento scribendi, pœ-  
 nam luit, ac medicinam fecit. Adhibiti sunt  
 nostri ad reuocandos in fidem, quorum contu-



max perfidia Iudaici ritus flammis erat expiã  
 da. vnus resipuit. nouem non ante destituti,  
 quam animam efflarent. Qui attinētur in car-  
 cere, lauto conuiuio refocillati, ab scholis in-  
 ferioribus initio dato. inuiderunt mox Rhe-  
 torici. Theologorum tãdem natio officiosior  
 fuit. per vrbem fercula humeris gestabantur,  
 sequebantur discipulorum cœtus suos quis-  
 præceptores, conspicua pompa, quã magis no-  
 tam & illustrem faciebat symphoniacorũ con-  
 centus. Erant in hac vrbe ornatissimã aliquot  
 femina & opulētã: cupiebant iãdiu Cœnobiũ  
 quo se conferrēt quãstuarĩã mulieres a lustro  
 ganeisque, in pristinum restituere: hoc tã præ-  
 clarum votum, quo minus perduceretur ad e-  
 xitum, multa obstabant. Superiore tandem  
 anno sacerdos noster qui Archiepiscopo a con-  
 fessionibus erat, cum eo egit, vt tam religiosi  
 operis auctor esset: cui matronã nobiles ido-  
 neos redditus constituere ex facultatibus suis.  
 Nunc transeo ad labores optime collocatos  
 in oppidis propinquis. Octo priore anno pro-  
 fecti in loca Turdetanã prouinciã, & Transga-  
 ganã regionis: posteriore accersiti in oppida  
 triginta. et, vt paucis plurima complectar, v-  
 troque anno, hisce populis, pro captu eorum,  
 nostri, Dynastas consilio, Parochos opere, ser-  
 mone populares, rudes Catechismo, exhorta-  
 tione marentes, destitutos solatio, captiuos  
 precio, iciunos cibo, nudos operimento, mori-  
 bundos

bundos auxilio firmarunt. Sed, vt aliqua exigam particulatim: In oppidū nobile ad Oceanum, Cetobricam (Setuual hodie appellant) duo cum venissent, grauissima inter primarios odia extinxere. Xenodochiarum persuasere, vt quæ ad diuinum cultum attinent, in meliorem formam nonnulla restituerentur. in petrarant a ciue locuplete ducentos aureos quinquaginta, ad reficienda restaurandaque, quæ aut vsu consumpta erant, aut incuria neglecta. coercuere licentiam militum, ne in viduarum vicinia aut virginum essent, sed excubantes in stationibus suo munere fungerentur. denique, naue (quæ in Hispaniam tendebat) fracta ad scopulos mercibus onusta, cum multi Peruana gaza manus onerassent, admonuerunt pro concione nihil ex ijs salua conscientia retineri posse: breuique perfecerunt, vs omnia dominis redderentur. Par alterum sacerdotum in suæ ditionis oppida serenissimus Albertus Cardinalis obtinuit. Ac primū Cratum profecti, exceptique effusa obuiâ multitudine, magna omnium gratulatione. nec de nihilo fuit. Concio ex angustijs templi in apertum campum fuit transferenda. Primarij cuiusdam ciuis ita haferunt concionatoris verba in animo infixæ, vt siue domi esset, siue in publico, quicquid ageret, diceret, vigilantem, dormientem, lacrimæ vbertim irent: attulit cura morbū eum medici (vt causam cognouere) nouo vocabulo



bulo Christianitatis vocabant. proin vetue-  
 runt coram illo concionis fieri mentionem :  
 quod ea recordatio cum obrueret animam,  
 redundaret in corpus, et extra oculos se euol-  
 ueret, maiore vi diffluentibus vadis. Dicc-  
 cesis etiam Algarbiorum obita. non sunt om-  
 nia memoranda: sed vnus concionis (quæ de  
 sacramento pœnitentiæ erat) tanta efficaci-  
 tas fuit, vt reperti sint statim centum viginti,  
 qui omnes vitæ maculas eluerint. Ab Eluensi  
 agro eo numerosior fructus, quo antecesserat  
 diuturnior quies. Vix urbem ingressi, cum in  
 primo aditu nosocomij quo diuerterant, in  
 pauperem incidunt qui in primoribus labris  
 animam habebat: nemo assidebat morienti:  
 nemo opem ferebat. non hoc tulerunt nostri:  
 hominem circumstant, supremisque officijs  
 pietatis fugientem spiritum prosequuntur. ta-  
 le principium in ea vrbe laborum. Vidua ma-  
 ter filium violentia ingenij frenum abnuetem  
 curauerat a moderatoribus vrbis in vincla cõ-  
 pelli: sed nihilominus refractarius erat ani-  
 mus iuuenilis: a nostris tamen (Deo volente)  
 primo ad patefaciendas culpas omnium an-  
 norum, deinde ad bis hebdomada corpus cæ-  
 dendum flagris adductus. Iuuit fructum (quod  
 mirere) aliqua ex parte diabolus. Energume-  
 nus erat, nunc furij et diritate aspectus per-  
 te: refaciens populum, nunc sale & facetijs al-  
 lectans: cum hunc aliquando circumstrepe-  
 rent

rent plurimi crebris interrogatiunculis, animi causa: ibi tum indignatus diabolus exclamat, adesse multos, qui in confessione peccata contexerint. omnia risu exsonuerunt, sed non ita ab omnibus claro: qui enim se notari intelligebant, ne si molesti essent amplius, digito monstrarentur, furtim labebantur, atque ad nostros accurrebant deiecto vultu, quod Deus ad eos castigandos diaboli conuicio vsus esset. Occursum nocturnis tumultibus ac rixis, quæ in vrbe personabant. Sub noctem ex primis ordinibus in ædem cõueniebant non pauci ad sacrorum lectionem librorum, et ad verberationem corporis bis hebdomada repetendam. Diebus singulis singulas noster obibat curias exponendis initijs Christianæ legis. inreligiose de Deo ac cælitibus loquendi vetus consuetudo correctæ. Serenissimus Brigantiæ Dux Theodosius, cuius in Societatem illustrior in dies est humanitas, dum nostri sacro ieiunij tempore apud eum commorantur, super cetera signa pietatis, bis septimo quoque die, et Edwardus frater eius pari pietate adolescens, in facello flagris in se ipsos animaduertebant. at Aluitensis Dynasta ad Christi exemplum duodecim pauperibus pedes lauit, eis ministravit in mensa apparatus exquisitis cibis, vestè denique singulis nouam dedit. In Algarbio regno, præter cetera, quæ cum alijs sunt communia, Sodalitates plurimæ, ex eorum præsertim numero



numero excitatae sunt, quae mortuorum animis suffragantur expiatis peccata venialia purgantibus flammis. Inter eos, qui missi ad lucra animarum, Pater Ludouicus Aluarus eundi facultatem summis precibus extorsit: magna vir Christianae eloquentiae fama, quae vsus frequenter ad extrahendos homines e vitiorum gurgite, aut in virtute roborandos: vergente quamquam aetate, laboribus pro religione obeundis cedere nescius, ut diceret, Dei famulum debere in opere mori. euentus voto respondit. Cum enim Transtaganam percurfaret concionando oram, baculo innixus, suis sibi humeris librorum sarcinulam et cibaria portans, septimo calendas Decembres, anno superiore, Auisij lenta et tenaci opprimitur febre, in hospitali publica domo, vnde nullo pacto deduci potuit, multis cupientibus. donec tandem in pauperum contubernio, inter pauperes, pauperem vitam professus (quod optabat) occubuit. hinc triginta millium spatium corpus Eboram lectica perlatum, perductumque splendida cum ambitione populi, & egregia pompa, sex Misericordiae sodalibus succollantibus e primoribus vrbis: omnes religioforum ordines & Clericorum, non minus debitis lacrimis, quam laudibus, prosequerantur tam memorabilem mortem; mortuus enim est, suffragantibus meritis vitae, magna cum praerogatiua sanctitatis. Eius cal-

ceos  
dico  
per  
diffi  
minu  
illos  
rebu  
exist

B R

V

t  
Soci  
Pate  
gunt  
eis a  
tant  
mate  
tutel  
nem  
dioc  
schol  
dio t  
idem  
na n  
Pent  
lucer  
pom  
cis p

ceos iam detritos vir nobilis Auisiensis mendico donatos, oblati nouis, additoque insuper modio frumenti redemit. sed & Eboræ difficilis labor in continenda plebe, ne vestem minutatim concerperent. tantus hominum in illos amor, quorum pectora, dum intererant rebus humanis, sancto Spiritu referta templa existimant fuisse.

## BRACARENSE COLLEGIUM.

**V**T CONIUNGANTVR similia, Pater Antonius Vaszus post quadragesimū Societatis annum, post vigesimum quintum Pater Martinus Georgius religiose vita funguntur. Magnus eorum doctrinæ ac pietatis ardor, qui nostrum Gymnasium frequentant: posteriore anno præmia data cum dramate de rebus beati Iacobi Apostoli, in cuius tutela Hispania est, et scholarum existimationem auxere, & iuuenum progressus non mediocriter incitarunt. Ceterum ex vna tantū schola viginti, religiosæ vitæ completendæ studio tenentur: tres vno anno nostri locij effecti. idem consilium alijs sedet. eminent qui patronam sibi genitricem Dei adoptarunt. ferijs Pentecostes (mitto reliquos apparatus) prælucentes facibus urbem totam celeberrima pompa lustrarunt. composita erant multis locis pegmata expositis symbolis, aut vatū prædictio-



ditionibus ex vetere patrum historia, de Dei parente, miro splendore et elegantia carminis, cuius præcipuus admirator & laudator Archiepiscopus fuit, rerum multarum sciëntia præcellens. is mirifice nos nostraque studia amat. die ipso qui aperit annum, apud nos diuinâ hostiâ sollempni consecrauit ritu, qua et impertiuit familiam suam. nostrorum concionibus (non solum, quæ eius iussu habitæ in principe templo, sed & vespertinis, quæ tota Quadragesima in nostro) voluit interesse. Iam, ut de animarum fructibus separatim aliquid attingam. Duo iuuenes e singularis contentione certaminis: vir Ecclesiastica præditus dignitate, ex contumelia accepti vulneris luculenti: alij ex iniuria interfecti cognati: quidâ ex diuturna lite, qua aduersariorû familiâ reduxerat in angustias, nostrorû cõsilio & oratione placati. Sed vnû quiddâ in hoc genere pluribus persequendû. Duos sâguine cõiunctos animorû odia distraxerât: dum mutuas alunt flammæ, ex his, qui doctrinâ & opibus præstabat, ab alterius filio colapho percutitur. igitur non pauci conspirant ad reponendam iniuriâ. at percussus, dissimulata iracundia, noua vlciscendi ratione, re ad iudicium delata, omni inimicum familiari facultate, vt atcumulet suam, euertere conatur. difficilior erat placare hominem, quo moderatius agebat. Collegij Rector, cõtinuis iam concionibus fere ex-

pu-  
mil-  
cit-  
in r-  
ima-  
ego-  
hun-  
vt r-  
min-  
cap-  
obr-  
præ-  
cun-  
iam-  
gen-  
ne a-  
vlti-  
tum-  
ipfi-  
etia-  
rexi-  
pro-  
con-  
riur-  
iõro-  
citu-  
cup-  
sup-  
ren-  
spe-

pugnatum animum sanctiore hebdomada familiarius aggreditur. in aedes nostras introducit specie monstrandi. tum, cum ventum esset in secretum quemdam locum (vbi venerabilis imago Crucifixi) positus humi genibus. Per ego te (Inquit) hæc vulnera indicia amoris, per hunc sanguinem ita effusum omnibus venis, vt ne stilla quidē superesset quæ dari pro homine posset, per consertum hoc spinis regimē capitis cerebro immerfis, oro te supplex, & obtestor, remitte inimico iniuriam, et a quo præceptum accepisti, imitare exemplum. Hæc cum diceret non sine lacrimis, ita flexit virū, iam vt diximus inclinantem, vt ipse pariter in genua collapsus Patrem mutua collacrimatione amplexus (quamquam difficile videretur vltionis modum regere per impatientiam contumeliæ) sit pollicitus quantalibet iniuriā ad ipsius arbitrium obliuione conterere. Vnus etiam repertus, qui vt concionem audiuit, perrexit in carcerem liberando aduersario, quem propter duos amputatos sibi digitos habebat coniectum in vincla. Ceterum semel atque iterum Quadragesimæ & Auentus tēpore itum in oppidum ad oram Oceani, Villaconde dicitur, magna oppidanorum latitia, tantaque cupidine concionum, vt qui exclusi manebāt, superfluente multitudine, tamen non discederent, vt saltem caperentur oculi ex audientium spectaculo, quorum suspiria & lacrimæ, quæ



uis procul, noscebantur, non cum parua accessione pietatis. Fuit, qui non à scelere tantum se remouit, sed deseruit etiam oppidum, ne iterum offenderet. Marito vxor: filius patri: res dominis restituta: ac præter ceteros, vnus Deo, etsi antea nostrorum conatum ludibrio habebat. Sacerdos alius per vicinos pagos excurrens (vt reliqua fileantur) ducentos vitæ superioris criminibus absoluit. Cû Archiepiscopus Bracarenfis seniorem Archiepiscopum Barptolemæum inuiseret vicinum ad moriendum, Patrem Rectorem secum adduxit: viroque optimo, deque Collegio mirifice merito, raræ præterea opinione sanctitatis, præstitum officium supremi honoris.

### COLLEGIVM PORTVENSE.

**N**VMERAMVS cætum, aut attingimus nostrorum facta, eaque perpendenda vobis relinquimus, & æstimanda. lites dirempz: atque in his vna, de cuius exitu metuebatur, Episcopum inter ac ciues, prospero successu. famæ vulnera sanata: iniuriæ remissa: dissidentes coniuges concordati: pellicatum quinquaginta valere iusserunt: quinque cum matrimonio mutarunt: aliquorum cohibita curiositas, & rerum futurarum prædictionis superstitio: deterrita mulier falso olim infimulata, ne simili perfidia par pro pari referret: duo

libe-

liberati spectrorum aspectu: per fugam totidem  
 ad Cœnobium reducti: septingenti quinquaginta  
 aurei ad dominos postliminio reuersi.  
 Ceterum vt fons aquæ dulcis primo ab vrbe  
 lapide in ædes nostras perduceretur, senatori-  
 rum auctoritas, & piorum liberalitas incubuit.  
 mollienda fuerunt saxa igne, & perumpenda  
 aceto, riuo muniendo substructionibus, arcua-  
 tionibusque, prout exigebat ratio locorum,  
 sed tanti erat utilitas ad potum, ad irrigatio-  
 nem, ad quotidianos alios vsus. Auctum sacrũ  
 instrumentum argentea theca asseruandis re-  
 liquijs, aureorum tercentũ septuaginta quin-  
 que, geminis candelabris, beatæque Virginis  
 Dei que ipsius filij simulacris, præclare factis  
 ex eadem materia. Pat. sacerdotum priore an-  
 no Portuensem dicecesim lustrarunt non me-  
 diocri fructu. Inter Episcopum atque optima-  
 tes alicubi euulsæ stirpes cõtentionum. Vnius  
 dictione, qui concionabatur apud milites in  
 præsidijs, persuasum Tribunis, vt viderent, ne  
 quid scortorum haberetur in contubernijs.  
 idem contra eos, qui temere Dei nomen vsur-  
 pant, multa dixerat, auctoritate prohibentis.  
 postmodum vni e primarijs excidit eiusmodi  
 verbum. tunc amici. Tam cito obliuisceris ful-  
 mina concionatoris? Minime, (inquit ille) sed  
 vox nec cogitanti effugit, quia vos me casti-  
 gate, vbi videritis errantem, postero die (vt  
 est potens inueterata consuetudo) iterum de-



liquit. admonitusque a circumstantibus, iratus est sibi ipse, adeo ut aperto capite sonorā alapam ori inflixerit. intelligebat videlicet bonā esse poenam, quæ malum culpæ emēdat.

## COLLEGIUM BRIGANTINUM.

**I**NTER MVLTOS, ut assolet, extincta amicitia nostris suscitantibus reuixit. hoc illustre ad exemplum. Quidam honestum hominem, & dignitate Ecclesiastica nobilem, palma contundens faciem, insigni affecerat iniuria: quam hic iudicio persequendam statuit (ut haberet solatium doloris) diplomate hanc ob causam a Rege extorto. igitur non solum auctor facinoris, sed ipse etiam propinqui erant vinculis constringendi. suberat periculum, ne vrbs in duas veluti factiones ac studia traheretur, ut non iure iam ageretur & legibus, sed ferro armisque. et quamquam omnes videbantur ad cōcordiam aditus præclusi, intercesserunt nostri, ut vtriusque permisso partis res ad arbitros deferretur. in pacificationem interea toto pectore incūbunt. sed vnus præsertim mora, ludificatione, calumnia, conatus impediebantur: dum tandem Deo placuit negotium absolui. Pridie enim Paschatis, cum sollēni cærimonia sacerdos sal et tus cū precatōne mergit in aquam baptismati consecrando, is qui auctor cunctationis erat, in medio

medio templo, exclamat dolere se, quod in cōmuni Christianorum lætitia, propter triumphum Christi reuiuiscens, solus tristitia ac mærore angatur, obstrepente conscientia. Tum sermone ad amicum conuerso: non aberat procul. At tu (inquit) si te amas, aut Deū vereris, noli sequi consilium meum: si tamen male facta consilium habent: perniciosum est illud animæ, & Christiano indignum. amplectere gloriam ignoscēdi inimico: hoc facto, tibi Deum vt ignoscat obligabis. Valuit oratio, locus, dies, et ceterorū, qui præsentēs aderant, idem rogantium preces: nec mora, facta pax, eaque publico litterarū testimonio cōsignata est. Longum iter vnus hanc ad urbē susceperat emendo veneno, quo inimicum tolleret: sed postea, nostrorum hortatu, & consilium abiecit, & venenum effudit. Agebatur alius ad patibulum, & pertinaci animo recusabat agere pœnitentiam: sed vbi Dei clementia immerentem respexit, antequam efflaret animam, animam ad meliora conuertit. E duobus qui uenerant ad pugnā, vnus perierat ex vulnere, quærebatur alter ab interfecti necessarijs, atque ibatur in cædem, nisi nostri obuiam issent. Matronæ duæ honesto loco, quæ non sine graui ciuitatis offensa, mutuo se fraudabant aspectu, in concordiam rediere. Sacerdos in oppidum huius diœceseos missus modico intervallo temporis fructus vberes percepit. At so-



dales Parthenij, qui in Collegio nostro informantur, apparatus institueret pompam regu-  
 uatūque sacrorū, vel a prima origine mundi,  
 lōgo ordine incedentiū. claudebat agmē Gre-  
 gorius Pontifex maximus, sacrosanctam præ-  
 ferens effigiem Dei matris, cuius ope Romam  
 aliquando ingēti clade ac pestilitate ereptam  
 annales veterum prodidere. nempe hæc age-  
 bantur augendæ Virginis venerationi: quam  
 cumulauit recens & admirabile exemplū.  
 Præcipuo quidam studio et ardore amoris in  
 Deiparam ferebatur: ei sese ac sua omnia tra-  
 diderat in manū: hanc cogitare, hanc inuocare,  
 hanc patronam, hanc præsidem, hanc matrem  
 poscere in rebus dubijs solebat. felix, si perpe-  
 tuam hanc mentem, vt ei placeret quam de-  
 legerat, nulla infuscatam labe criminis, pu-  
 ram atque integram seruare potuisset. sed in-  
 uidit dæmon. mentem miser & corpus pol-  
 luit. sæpe autem fit, vt cuius grauitatem sce-  
 leris non aduertunt homines cum patrant, tū  
 denique aduertant, cum reprehēdi magis quā  
 corrigi potest. vt quorundam anguium mor-  
 sus veneno se prius produnt, quam ictu. perpe-  
 trato scelere pudor subijt, et infamiæ metus.  
 itaque hominum veritus existimationem, vt  
 conspectum fugeret multitudinis, volunta-  
 rium exilium consciscit. oppressit nox in va-  
 sta solitudine iter facientem. nam vt erat oc-  
 cupatus ægritudine animus, nō intellexit de-  
 ficien-

ficientem Solem, nisi vbi nigræ tenebræ terram operuissent: igitur cum liberio rem pœnitentiam locus ac tempus daret, postquam diu dolori & lacrimis indulfit, Cur (inquit) miseram vitam ago? cur latebras, infelix, & fugæ solitudines capto? certe, vt omnes lateam, me ipsum numquam latebo. quoquo fugiam, me porto, reus idem & carnifex: ego mihi æternum supplicium ero. quin nunc primum exluo me hisce curis, & finem viuendi ac lugendi facio? Vbi non sis qui fueris, non est, cur uelis esse. Ergo constituit se in fluuium dare, qua erat transiturus. huc magna celeritate contendit, quasi ad remedium mali. vt accessit, constitit aliquantisper, haud credo deliberrabundus, iam enim steterat mori, sed uî quadam tacita naturæ. tum sceleris a Deo veniã petit, & in extrema vota eius parentem, suam Dominam vocat, vt famulo velit adesse, quem inundantium æstu cogitationum sic pœnitentiæ fluctus agitaret, vt vltimis immergeret supplicijs. Quis neget cæli Reginam suis famulis adesse? occupat pæne orantium preces. Vix ediderat voces vltimas, cum matronam videt insignis pulchritudinis supra humanum modum: et ad eum. Bonum animum sume: audacter me sequere. Hæc effata flumen ingreditur: quod ille cum facit parens dicto, miratur quasi marmor substratum pedibus, et hinc atque illinc liquidas discessisse vndas,



non aliter ac si parietis faciem referrent. ita aduersam ripam incolumis penetrauit. nec tamen a comite deseritur, antequam ventum esset ad adiculam vrbi propinquam. tunc enim eum admonet vt ad bonam mentem & ad oppidum redeat: mox puro sese insinuans celo clarissima luce pulcherrimam faciem abscondit. scio me alibi (non occurit locus) plane idem narrasse miraculum. tanto maiora habenda fides est. neque enim inusitatum aut nouum, vbi similis miserix morbus est, similem factam miserationis medicinam a misericordix pariete.

FVNCALENSE ET ANGRENSE  
Collegia.

**D**E FVNCALENSIS priore anno nihil accepi. posteriore Tristanus Vaszus a Vega Prætor insulæ totius, perpetuum suum erga nos studium extrema vita ostendit: nihil egit Patre Rectore incòsulto: nostros sibi adesse semper voluit, incitamento ad pie moriendum, leuationi tormentorum, quæ mortem comitantur. et ne mortuus diuelleretur a nobis, cum ornatissima totius ciuitatis pompa in templum nostrum illatus, & honestatus supremis officijs, ac funebri laudatione, vt decebat. Serenissimus Albertus Cardinalis virum sapientia & longo rerum vsu edoctum pro Quæsitore Apostolico in hanc insulam cum mitte-

ret,

ret, mandauit vt adhiberet nostros ad omnia, quæ sint grauioris momenti. Aethiopes diuersarum nationum ( quorum magnus prouentus in hac vrbe) permixti hæcenus fuere confusæ turbæ, cum explicaretur Christiana summa: nunc segregati a ceteris, distinctique sub proprijs vexillis, noti alijs, seque ipsi mutuo noscentes, ad audiendum libentius accedunt. Mulierem, quæ meliorem vitam instituerat, adeo indignabatur dæmon sibi e faucibus ereptam, vt nocturnis visis assidue terretaret: itaque puida, pernox, angebatur æstu curarum: et nunc toro residens, nunc totâ domo vaga, clamoribus, quibus seram lucem increpitabat, excitabat vicinos: hæc tamē nostrorum oratione edocta, vt persequatur iter Virtutis omnia difficilia perpeti statuit, diabolo fremente. Sacra supellex, quattuor argenteis candelabris, ac serica sacerdotis veste, quæ aureo ambitur textu, alioque ornata, magnifice instructa;

IN ANGRENSI anno superiore extremum vitæ diem morte confecit Pater Ludonicus Vasconcellius, diligens Collegij Rector, & moderatus. Ceterum in hac vrbe propter belli opportunitates militaria præsidia comorantur, quibus non minus ac ciuibus nostri studēt. accedit iuuetutis institutio. De fructu animarū, hæc pauca de multis. Vir & mulier sacramēto pœnitentiæ expiati, legitimosque copulati



copulati cōiugio, sese atque alios specie virtutis fallere desierunt. Quidam nostrorum suasu quadringētos aureos debitori remisit, qui nō erat soluendo. nonnulli grandem restituere pecuniam, quam dolo malo in rem suam conuerterant. Feminarum aliquot periclitanti pudicitiaē collecta stipe consultum. Pacata duorum inimicitia, in mutuam necem conspirantium, hac ratione, ut penes quem vis maior culpa, supplex ab altero pœnam deprecaretur. Placati item germani duo fratres, qui ex diuturno litigio venerant in dissidium animorum. Ducebatur militum signifer ad supplicium, eius confessionem qui excepit sacerdos, admonuit ut uxorem duceret mulierem, quæ cum eo vivere consueuerat: hoc facto permoti iudices a securi retraxerunt in carcerē, ut maturius deliberarent. Rarum, in hoc genere hominum, est quod sequitur, eoque magis mirandum. Per viam publicam ambulabat miles qui ad nos ventitat, cum proprio vocatus nomine, ingreditur sibi ignotam domum: quærens quis vocauerit, conspicatur mulierculam turpioris animi, quam corporis: hæc propius accedens blande appellat, adhibetque illecebras prænuntias flagitij: quas cū contemni videt, iniicit in fugitantem audaces manus. at miles castitatis amore succensus. Etiamne mula lasciuit otio? simulque e sinu flagella proferens aculeatis conferta hamulis

trilicia

trilicia  
uere  
ne, in  
funt:  
soleo  
Ab: A  
ribus  
et si m  
temp  
ab An  
stra S  
diu, v  
parci  
rea d  
ex pu  
mnes  
rei ci  
sacer  
ta lib  
bulas  
gio d  
os ca  
dis, c  
mus  
domo  
spicio  
turic  
qui,  
steric  
lis he

trilicia, suo ipsius sanguine cruenta, simul se-  
 uere impudentem diuerberans, Manum absti-  
 ne, inquit, Inferorum satelles. Miles Christi  
 sum: his ego armis contra diaboli tentamenta  
 soleo pugnare. Hæc domi. Venio ad externa.  
 Ab Angrensi centum viginti circiter millia-  
 ribus distat insula sancti Michaelis: quæ tam-  
 etsi magnitudine, incolarum opulencia, cæli  
 temperie, ac fecunditate soli, nobilis est, hoc se  
 ab Angrensi superari difficile patitur, quod no-  
 stræ Societatis Collegio caret: quod tamé iam-  
 diu, ut assequatur, nulli nec operæ, nec sumptui  
 parcat. Opportuno vrbis loco amplissima a-  
 rea designando domicilio decreta: in eamque  
 ex publico fonte senatorum liberalitate pere-  
 mnes latices subterranea fistula derivati. au-  
 rei circiter milleni assignati in annuos census.  
 Sacerdos officiosus in nostros, ad quadringen-  
 ta librorum volumina, pictas et elegantes ta-  
 bulas, ac reliquam domus supellectilem Colle-  
 gio destinavit. Mitto sacram vestem, argente-  
 os calices, et id genus reliqua, quibus augen-  
 dis, certat beneuolentia ciuium: adeo, ut si do-  
 mus templumque essent extructa, nullum fere  
 domesticum sacrumque instrumentum circû-  
 spiciendum foret. Igitur, dum expectatur ma-  
 turitas deliberationis, mittuntur subinde ali-  
 qui, ut prospiciant utilitati illorum. duo po-  
 steriore anno utiliter laborarunt. Ter singu-  
 lis hebdomadis explicata sacerdotibus officia  
 Chri-



Christiana. Conciones varia per loca fere  
 quotidianæ. Inter matronas duas, et germa-  
 nos fratres, pax composita. Qui in magna erāt  
 scelerum conscientia resipuere. Christiana do-  
 ctrina exponitur tanto successu, vt nunc pro  
 obscenis profanisque cantionibus honestæ ac  
 piæ audiantur. Dum hæc aguntur in insula  
 sancti Michaelis, ipso die qui sacer est beate  
 Annæ, in maxima cæli tranquillitate, tanta ter-  
 rarum tempestas exarsit, mugientibus circum-  
 mōtibus, atque exhalantibus flāmas, vt excul-  
 sis violenter saxis cum ingenti fragore toni-  
 tribusque cælum iaculari viderentur. intra  
 mensem, duorum oppidorum et pagorum ali-  
 quot strages facta. vrbs ipsa, diuino quidem  
 beneficio, stetit, sed a casu prope absuit, mul-  
 tis partibus vacillans, et quassa. nobile Mona-  
 sterium virginum altis quamquam fundamen-  
 tis euersum. oppidum aliud secundum urbem  
 primi nominis, cui nomen Villafranca, fœde  
 dissipatum. de mortalium clade nihil scriptū.  
 terrorem pauoremque nunc altissimas aspi-  
 cientium voragines cum ignibus erumpenti-  
 bus, nunc minantes cælo vertices montiū cum  
 fremitu horrendo, conijcere potestis. hinc vi-  
 delicet multis supremum horrētibus numen,  
 aut mala decesit mens, aut melior incussa. et  
 fortunarum iactura facta, nulla alia suberat cu-  
 ra, nisi animarum. Nec tenuit se domi noster  
 sacerdos, multis quamquam dissuadentibus,  
 adijt

adijt  
 cælu  
 qui  
 solat  
 praef  
 hæc  
 pare  
 relic  
 nes:  
 irate  
 client  
 fauo

P  
 a  
 subtr  
 mitt  
 ab o  
 tur  
 Ioan  
 tani  
 uis,  
 præc  
 tio a  
 quin  
 tam  
 Act  
 stur

adije loca adhuc nutantia, quæ vix aperuerat  
 celum fumo disiecto: inuisit cadauer propin-  
 qui oppidi: et oportunitate orationis nunc  
 solatia adhibens ad damnum præteritum, nunc  
 præscribens remedia in futurum (sunt enim  
 hæc signa Dei merito irascentis) nullum boni  
 parentis, in firmandis animis, aut docendis,  
 reliquit locum. Crebræ institutæ supplicatio-  
 nes: ad omnia vrbis templa preces obitæ: apud  
 iratum Deum propitia mater adhibita, quæ  
 clientibus suis, si non iure patrociniij, saltem  
 fauore patrocinantis, veniam obtineret.

## SEDES ANGOLANA.

**P**RAEMONVI redditurum res tantum  
 anni prioris: nunc addo, nec scripturum  
 subtiliter, nec vniuersas: litteræ enim quæ  
 mittebantur, semel atque iterum interceptæ  
 ab obsessoribus maris: hæc pauca, quæ traden-  
 tur utcumque, excerpta ab epistola fratris  
 Ioannis Riberij, qui ab Angolana Sede in Lus-  
 taniam venerat causa negotij. Ac primum, na-  
 uis, qua vehebatur Riberius, bis excepta a  
 prædonibus, spoliata, & rursus excussa est: ter-  
 tio ac sæpius peruentura in aliorum manus, ni  
 quindecim dierum spatio inimicorum classem  
 tamquam captiua sequeretur. Viginti millia  
 Aethiopum sunt, quos nostri hætenus ad Chri-  
 stum aggregarunt. hoc anno sacro fonte ablu-



ti mille quingenti, maior fuisset numerus, nisi obstitisset paucitas docentium: et verendum esset, ne relabantur in antiquas superstitiones, si procul Lusitanorum praesidijs in mediterraneis terris Christianorum sacra suscipiant. paucitas pietate pensatur. in frequentandis sacris impigrum in obeundis mysterijs diligentes: in precatationibus assidui: tanta erga nostros obseruantia, vt comitate alliciendi sint: ita caritas est loco auctoritatis. Hac inter, Lusitanis non defuimus. Vni trecenti erant serui, qui sub grauioribus dominis miserabiliore seruitio premebantur: pellices habebant impotentia libidinis: curatum est vt contubernium in matrimonium verteretur. Accipite exemplum castitatis mulierum ex Aethiopia. Earum vna domum Lusitani militis fraude perducta, appellataque, non tantum irrifit verba, sed elato etiam vultu, impudici dona contempsit, & vim denique reppulit animo excelso. est et alterum, ingenij acrioris: Ad matrem familias accessit quidam noctui: cum obsideret limen, ac pulsaret fores, iubet paulisper opperiri: ipsa interea per pseudothyrum egressa, rem defert ad magistratus, qui statim oppugnatorem pudicitiae, non ausum excusare crimen, deprehendunt. Memorat Riberius idem, duobus e nostris propter mare ambulanti- bus Dei nutu contigisse, vt incidere in tres adolescentes morti propinquos: interrogati

an

an ve  
 zati  
 perc  
 ager  
 pera  
 dom  
 qua:  
 vter  
 rat.  
 rum  
 relig  
 muli  
 pere  
 enix  
 fiti  
 fit.  
 Paul  
 mon  
 studi  
 tem  
 bat  
 mine  
 la ser  
 redi  
 cem,  
 conf  
 vt fa  
 pers  
 Lusi  
 proh

an velint fieri Christiani, annuunt. igitur baptizati sunt: nec postmulto mortui. Sacerdos cum percontaretur (vt fit) de muliere obuia, quid ageret: vt accepit venire ab amica, quæ puerpera nõ procul aberat a morte, ingressus eam domum, matrem partumque tinxit salutari aqua: vix ipse finem imposuerat baptismo, cum vterque fecit finem viuendi. Iam de se hoc narrat. Vehabantur (inquit) mecum Lusitanorum aliquot mancipia, quæ ego informare ad religionem solebam: cum ex eorum numero mulier, leui vt videbatur têtata febrî, magno perepetit baptismum: cum differrem, addit enixe. Fer opem pater: quia morior. Vt præstiti quod voluit, tum effecta Christiana decessit. Ceterum vir egregius animi ac pietatis Paulus Diazus, eius nepos qui Bonæ spei promontorium primus superauit, nostri ordinis studiosissimus, superiore anno, priusquã mortem obiret, condidit testamentum, quo orabat Hispaniæ Regem, atque obsecrabat, vt homines Societatis utilissimos illis terris Angolæ semper retinendos putaret: mandauit hereditibus, vt omnibus in rebus, siue quæ ad pacem, siue quæ ad bellum pertinent, nostrorum consilio vtantur. reliquit nobis tantum agri, vt facile ex fructibus quingenti (ita diserte perscriptum est) ali possint. magnus enim est Lusitanorum omnium in nos amor: vt sæpe prohibere debeamus ne quicquam nobis le-

gent



gent in faciendo testamento: ne quærere videamur caducas opes, cum illis commendamus æternas, De ipsarum magna, vt debet, in his locis veneratio est. huc aliquid facit, quod non omittendum reor. Lusitani cuiusdam mulier captiua, ex leui causa male a domino accepta, dolore deducta ad cupiditatem mortis, suspensio finire vitam decreuerat. media nocte arborem deligit, deligat restem, aceruum lapidum cogerit, qui adijciat altitudinẽ staturæ, ac facile deiciatur pedibus, vbi laqueo collum obstinuerit. res mira dictu. quoties certa mori, fulcrum insilire conatur, toties matrona pulcherrima demolitur lapidum congestum: totam noctem frustra contendit: cum lux appareret, diuinitus iniecta formidine domum redit: et ad dominum admirabunda. Tu quidem amisisses nocte proxima captiuam, nisi obstitisset Domina illa, quam colimus in templo Societatis: simul omnem rei ordinem exponit. herus dissimulauit: sed tamen accitos aliquot e nostris orat, videant quid sit actum, resteq; & lapidum aceruo repertis, conpertum est verum fuisse quod captiua narrabat. At Lusitanorum in nostro templo celeberrimum est Sodalitium, appellatione Mariæ Virginis, cui nomen inditum a Victoria. aliquid opinor de ea a nobis scriptum, cum executi sumus Angolanam Sedem, primis animalibus. Huic Lusitani, quæ pace, quæ bello,

pro-

profi  
cupa  
dunt  
don  
imag  
stra  
crati  
itaq  
ex ill  
stima  
uera  
geni  
fanar  
runt  
cta. b  
nis, r  
profa  
sus ia  
te me  
uit p  
Lusit  
uetq  
ualef  
Deus  
rant,  
tur o  
ad P  
venit  
scrip

prospere eueniunt, referunt accepta: hic nuncupant vota ad bellum profecturi: hinc discedunt expiati sacris mysterijs: huc redeunt cum donis vota persoluentes: quinet ipsammet imaginem Dei matris religiose ferunt in castra. adnotarunt dies omnes, qui sunt consecrati Virgini, faustos fuisse ac laetos victoria. itaque numquam tētare praeliū, nisi vno aliquo ex illis diebus constitutum habent. aliter existimare piaculum videtur. In statuis ædificauerant temporarium sacellum simulacro Dei genitricis asseruādo: quod in discessu, ne profanaretur ab Ethnicis ferro flāmaque, euertunt, Cruce tantum ad loci memoriam relicta. belli metu liberatus regulas illius regionis, rupto fœdere, per scelus ac fraudem locū profanat: sed non tulit impune. morbo oppressus iacuit annum integrum: cum de eius salute medici ac venefici fere desperassent, agnouit pœnam peccati. ergo ad Crucem, quam Lusitani reliquerant, dono pallium mittit, uouetque se imbuendum Christiano ritu si conualescat. mira res, sed auctor miraculi Deus. vix famuli ad Crucem munus attulerant, cum valetudo ægro restituta est. Igitur obligatus voto confestim legatos destinat ad Prætozem, vt se ac res suas iterum data venia, in fidem recipiat. nec multo post adscriptus est a nostris in Christianorum cœ-



rum. Ceterum Aluarus Congi Rex, (no-  
rum iam ex misſis annuis eius nomen, ac fi-  
des) per nuntios litterasque aſſidue orat, vt  
ad ſe aliquot e noſtris mittantur. nullos enim  
magis latos ſibi & candidos fulſiſſe Soles,  
quam quibus, ſuis in ædibus licebat intueri  
Patres Societatis. Faxit Deus, ut armorum  
ſtrepitu ſedato, ita omnia pace regantur,  
tantuſque ſit ſociorum Angolæ numerus, vt  
ad intimas uſque ſolitudoines Aethiopiæ,

quæ ſe in immenſum porri-

git, Euangelij lucem

liceat infer-

cc.

PROVIN-

PROVINCIA  
PRINCIPIA  
BRASILIA.



**M**ANSERE in hac Prouincia, priore anno, socij centum septuaginta duo: altero, centū sexaginta. in Collegio Baiacensi septuageni. in Fluminis Ianuarij viginti quinque, dein, fere triginta. in Ilheorum, & Portus Securi Sedibus, no-uem, aut vndecim. in oppido Spiritus Sancti, in Sanctorum Sede, & Piratingæ, circiter viginti quinque, in Collegio Pernambucensi viginti quinque, mox duo ac viginti. Paraibæ, anno posteriore, tres. Vita sunt priuati utroque anno tres. consecuti Societatem quattuor.

COLLEGIUM BAIACENSE.

**C**OMMUNIBVS, prætermisissis, seponã quæ apud defatigatas iam aures, similitudine rerum, plus videbuntur habere voluptatis. Cum duo e nostris vehuntur cymba, reflãte vento, in alium locum, quam quo destinarent, appellunt, diuino impulsu, prostratum reperiunt corpus semiuiui hominis Indi: vt ac cessere propius spirantem animaduertunt, excitantque: ipse lætior factus aspectu ipsorum,



atque extremum confessus, altera post hora mortalitatem expleuit. inter Præfectos regios duos, de iurisdictione contentio exarserat, ea tandem nostrorum industria extincta est. non dissimili exitu duorum lis finita de terminis agrorum. Suspicata mulier a marito sibi intentari necem, eum deserere domumque cogitabat: vnius e nostris opera suspicionem illam & cogitationem abiecit. Adolescens irè a raptu virginis non sine vitæ discrimine manum abstinuit. Posteriore anno, Iunio mensè, cum Ecclesiasticus censor, & alter qui regiam vicem obtineret, huc peruenissent, a Rege missi: vterque ægrotauit, a molestia fortasse nauigandi, & in Collegio curari voluit: persanati sunt ambo: sed hic posterior præter expectationem medicorum. famulum quidam nescio qua suspitione adductus vinum defodere moliebatur scrobe facta: alterum alter, propter amentiam vescentem terra, amandare in siluas: vnus desperatam vitam voluntaria morte finire: duo mulierculæ vnius amore capti rivalitatem dirimere armis: recusabat quidam vxorem reuocare, quæ falso audita ipsius morte, alteri nupserat: hi omnes ne in proposito permanerent effectum est opportuno occursum & oratione nostrorū. Diebus Dominicis sollempnis ieiunij maximi, in ædè maxima, nostroque in templo, conciones frugiferæ fuerunt. in mancipiorum catechesi toto anno

no vtiliter laboratum. Gymnasium aptum ad  
 scholas habendas iam vltimam manum accepit.  
 quo primum die apertum est, ab magistro  
 Humanitatis elegans & grauis oratio dicta:  
 nec desideratus est epigrammatum apparatus.  
 Die sacro conceptæ Virgini anni prioris  
 duodecim post Philosophicum curriculum  
 donati laurea magna gratulatione tum  
 Episcopi tum etiam ciuitatis. Magna porro  
 Episcopi ad litterarum studia promouenda  
 propensio est: is Ecclesiastica sacerdotia  
 officiaque ijs maxime impertitur, quos interro-  
 gando reperit nostros alumnos fuisse. idem  
 sacchari quindecim pondo (triginta aureis æ-  
 stimantur) assignauit quotannis distributio-  
 ni præmiorum inter discipulos ad iuuentu-  
 tem acuendam. Iam de discipulorum pietate,  
 deque Sodalitio vndecim millium virginum,  
 eique quod additum est Virginis beatissimæ,  
 quoniam proxime scripsi fusius, nihil addam.  
 Reuertor ad Episcopum: qui cum in sacello  
 nostro Sanctorum vidisset reliquias cum ele-  
 gantibus thecis, ita erga eos affectus animo  
 est, vt ad altaris vsu perpetuo subministratu-  
 rum cereas faces vltro sponderit. quod &  
 facere non omittit. In tribus Indorum oppi-  
 dis Collegio adnexis sex e nostris habitant, in  
 singulis bini: quibus, pro bona voluntate, non  
 deest facultas de proximis benemerendi. Fa-  
 ctæ etiam excursions ad Lusitanorum oppi-



da adiacentia, officinaeque sacchararias, per-  
 riade ut aliis annis. Ceterum, in medio hoc  
 terrarum tractu, regio est, quae idiomate gen-  
 tis Rari dicitur: huius indigenae regionis fre-  
 quentibus legationibus cum Patre Provincia  
 hiegerunt, aliquot mitteret, a quibus excole-  
 rentur Christiana doctrina. destinati anno su-  
 periores tres, e quibus sacerdotes duo: mada-  
 tum illis, persuaderent Ethnicis soli mutatio-  
 nem: re enim ipsa compertum est non opti-  
 me agi cum neophytis, si a Lusitanorum pra-  
 sidijs longissime absint. Longum iter (leuca-  
 rum nempe ducentarum) et difficile propter  
 situarum solitudinem et inopiam aquae, in-  
 terdum etiam traiectum fluuiorum late pa-  
 tentium: et vitatae nonnumquam hominum  
 infidiae, quos locorum asperitas efferavit. non  
 illi pagos colunt, non celebrant mutuos coe-  
 tus: sed dispersi per nemora et saltus more be-  
 stiarum vagantur. Ut peruenerunt nostri, pe-  
 dibus iter facientes, ad eos a quibus vocati e-  
 rant: immane quantum animos extulit mul-  
 titudo voti copos effecta: vix refecerant pau-  
 corum quiete dierum e lassitudine vires, cum  
 oppida lustrarunt (in his enim iam locis oppi-  
 da sunt) aeternae salutis iter monstrantes: tan-  
 demque persuasum est Dynastis, ut si Chri-  
 stiani velint fieri, in loca tutiora cum suis po-  
 pularibus commigrent: et Pharaone quam-  
 quam moram injiciente, Deo duce, perruptis  
 omni-

omnibus difficultatibus, centum quinquaginta (vt per scriptum reperio in posterioris anni capitibus) cum vxoribus liberisque & sarcinulis cartæ supellectilis, per auiam viam et arduam, contulerunt se in ditionem Lusitanorum, a quibus humanissime excepti: mox Christo dantes nomina, ferinos mores ac barbariæ cum perfidia exuere.

SEDES ILHEORVM, ET COLLEGium Fluminis Ianuarij.

ELEMENTARIORVM mirabiles fructus: ij fere oppidanis iniecere frenum laxantibus habenas linguæ aduersum Deum ac cæcites, cum orant vt abstineant poplitibus flexis. magnam omnino boni in pueritia ita instituta, vbi ad ætatē accesserit robur, spem repositā habemus. Excurritur in pagos prædiæque vicinorum, nec sine periculo, vt intergentes barbaras, et cum fructu. Erat alicubi Dynasta, sic obstinatæ mentis, vt ad Christi religionem nulla ratione flecteretur: hic tandem ab inimicorum manu sagittis confossus cum filio, mitior factus dedit se nostris (qui re intellecta statim accurrerant) instituendum sacris, & imbuendum: paucis post diebus, cum morte esset non procul, et insisset vocari nostros, non obtemperante familia, Crucem, quā nouus Christianus pie venerabatur, magna



cum vi lacrimarum arte complexus, suauitator obdormijt.

IN COLLEGIO Fluminis Ianuarij, superiore anno, Pater Ioannes Baptista domo Italus decessit: admirabili vir paciētia et dexteritate in conuertendis ad Deum animis et in religione firmandis: octodecim fere annos in Brasilia posuit, eiusque addiscendæ linguæ difficultates exorbuit, quam exacte callebat: nunc ad laborum præmia vocatus est. Nec minor fuit reliquorum sociorum in promouendo Christiano opere sollicitudo. argumento est ciuitas, ea iam mutatione ciuium legumque, vt vix se ipsa cognoscat. Proepiscopi & Præfecti miræ erga nos beneuolentiæ signa in dies clariora existunt. De Sodalitio discipulorum est alia traditum: nunc Indi suum habent ab appellatione et tutela trium Magorum: singulis mensibus, tertia quaque hebdomada, ad Eucharistiam percipiendam accedunt ex condicō. magna omnibus religio colendi sanctos, eos præcipue qui in mēstrua fortitione obtigerunt. Deum adesse illos inuocantibus hinc agnoscas. Quidam a uicinis hostibus fracto vulneribus capite & corpore conscisso, pro mortuo fuerat relictus: is, vt redijt corpus ad vires sentiendi, Cruce muniens frontem, & opem implorans Barnabbæ Apostoli, vasto se flumini committit, sensitque (vt dixit postea) ipsius auxilium, vitam pollicentis,

tis, addentis animum uiresque, et quasi præten-  
ta manu adiuuantis natatum: itaque iam præ-  
ter expectationem sanus effectus, eum in omni  
vita venerari amplius decreuit. Catechismus  
interim omni hominum generi expositus. re-  
conciliati multi, aliaque de more, effecta, hic,  
et in duobus oppidis, vbi quattuor versantur  
e nostris: de quibus longū esset dicere, et scien-  
tibus commemorare non necessariū videtur.

SEDES SANCTI SPIRITVS,  
Sanctorum, et Piratiningæ.

**NVSQVAM** alibi nostri in adiutandis  
Indis, Lusitanisque in Brasilia, quam in  
Sede Sancti Spiritus, magis exerciti. ita ma-  
gnus est ad quæ excurritur oppidorum cam-  
pus. sed hæc quoque opera, quia communia  
et nota sunt, non indigent stylo, adiuuat pios  
conatus loci Præfectus amantissimus ordinis  
nostri.

**PRAEFECTI** quoque oppidi Sanctorū  
magna erga Societatem humanitas et bene-  
uolentia est: eam nos voluntate, et in proxi-  
mos conferenda ope remetimur. Atque (vt a-  
lia præteream) elaboratum & effectum est, vt  
Parochi, oppidanorumque, itemque duorum  
coniugum rabies, quæ videbatur mitigari nō  
posse, data acceptaque vicissim venia consi-  
deret. Ceterum experti sæpe per multi pecca-  
torum



torum confessionem corpori etiam salutarē. Suis pariter extitit ex excursionibus ad duo Lusitanorum oppida anniuersarius fructus.

OBIIT Piratiningæ, anno priore, Pater Emmanuel de Chaues derelictus iam senecta (octogesimum nempe agebat annum) sed indefessæ caritatis: nullam enim curam ac diligentiam remittebat in curriculo Deo quærendarum animarum: etiam nunc pedibus (et quidem nudis) vnum atque alterum Indorum oppidum frequenter lustrabat. Ea mors homini diuinitus videtur accidisse, ne Piratiningæ periculum et ciuium metum videret. Barbari videlicet, qui sunt in interiore Brasilia, Piratiningenses oppressuri subito impetu, ingentem exercitum coactum rapiunt ad mœnia vrbis: vastantur agri, diripiuntur pecora, villæ incenduntur: nulla quies, ac ne spes quidem obsessis. Lusitani numero impares, quamquam virtute superiores, hostium procellam & obsidentium machinas ægre sustinebant. nostri interea si vnumquam alias precibus Deum fatigabant: donec tandem Praefectus, qui erat in oppido Sanctorum, per litteras admonitus opportuno subsidio opem laborantibus tulit. Contractus Lusitanus in auxilium aduolat, sed non ire ausus sine vno sacerdote e nostris: vnus secutus est militem socius laborum et horrator ad bellum: sed inhiberi omnino non potuit hostis. captum est suburbium, euer-

sumque

sumque in eo templum Mariæ Virgini dica-  
 tum: quinet simulacrum eius ex argilla, foras  
 productum ludibrioque habitum comminuto  
 capite. tamen, vbi uenere auxilia, mixtique  
 sunt cum Lusitanis neophyti, commissum sæ-  
 pe est prælium, & hostis magno suorum nume-  
 ro amisso, ignobili fuga euauit. In hac trepi-  
 datione, nostri audiendis confessionibus, et  
 firmandis animis cum res exigeret, operâ da-  
 bant: sæpe etiam semet obiciebant hostium  
 telis: exstimulatores videlicet animorum in  
 primis ordinibus conspiciebantur: sed Deo  
 protegente, multis licet circum eos cadenti-  
 bus, intacti. Hic exitus belli. sacrilegus ta-  
 men, qui sacram effigiem violarat, non inul-  
 tus discessit: captus a Christianis est, et adli-  
 gatus ad caudam equinam, raptatusque per  
 vicos, non iniusto supplicio fontem animam  
 dedit. Ceterum, hoc vnum excipiam de re-  
 bus priuatis. Vir quidam alterum sibi neces-  
 situdine coniunctum sic oderat, vt ægrotan-  
 tem ne inuisere quidem vellet. is tamen no-  
 strorum hortatibus adeo consilium mutauit,  
 vt ægrum curandum diligentius adduxerit do-  
 mum, vbi demum conualuit: hoc tanto lau-  
 datius, quanto odium antea conspectius erat.



PERNAMBVCENSE COLLEGIVM,  
et sedes Paraibã.

**T**EMPLI ædificatio & supellex in dies  
crescit. Ad beati Blasij brachium oblata  
theca ex argento. ornatum altare duobus San-  
ctorum signis, e marmore, pulcherrime fa-  
ctis. E discipulis nonnulli, vt Deo expeditius  
famulentur, abditi in Cœnobia religiosorum  
rebus caducis nuntium remisere. Sileamus  
quæ domi sollempnia. Veniamus ad externa.  
Duo Indi cõtra fas in seruitutẽ abacti, nostro-  
rum opera liberati sunt. Mulier nondum Chri-  
sto genita periculose decumbebat: id vbi sub-  
oluit sacerdoti nostro, eam adiit, erudit,  
aqua salutari tinxit: quo opere perfecto com-  
modum illa expirauit. Vir non obscuræ con-  
ditionis turpem infamiæ notam laqueo ab se  
expellere cupiebat: id molientem quidam (ne-  
scijt quis, aut vnde esset) impedijt. igitur pa-  
rabat venenum: sed vnus e nostris deterruit.  
Pactiones illicitæ rescissæ. mille aurei restitu-  
ti. Ceterum, in varia excursionẽ, ad virum  
non ignobilem nostri diuerterant, vt solita e-  
xercerent munera Societatis: ab eo tamen e-  
iecti alio se conferebant: cum repente vnum  
e mancipijs interfectum est in oculis domini,  
vt ferre opem non posset. putauit esse pecca-  
ti

ti pœnam : itaque statim reuocauit discen-  
 dentes: qui dies aliquot audiendæ eius familiæ,  
 atque expoliendæ operam dedere. Sed in sin-  
 gulos etiam apparuit utilitas. Vir illicita ute-  
 batur mulieris consuetudine, abstinuit. pro-  
 pinquo alter sibi viro struebat interitum, a  
 proposito destitit. inter publicos magistratus  
 atrocis inimicitie erant exorta, vt diuiso op-  
 pido in partes res ad arma spectaret, sedatæ  
 sunt. vxorem suspectam adulterij ad iudicem  
 detulerat quidam, non solum accusare desijt,  
 sed & centum supra mille aureos donauit, vt  
 in Lustrania ad aliquod Cœnobium sibi adi-  
 tum pararet, inter sacerdotes duos externos  
 ardebat odium ita implacabile propter acce-  
 ptam ab vno iniuriam, vt qui læserat conie-  
 ctus esset in carcerem, finiuit iram oratio &  
 prudentia nostrorum, eo qui læserat suppli-  
 citer a læso veniam petente, vir impurus fru-  
 stra sollicitatam mulierem (amore in odium  
 verso) falso distulit, quasi ea potitus esset: sed  
 constantia castissimæ femine maritum non  
 latuit: breuique conuictum est mendacium  
 quod est semper non diuturnum. verum hic  
 ne calumniâ persequeretur, nostrorum preci-  
 bus dedit. De neophytis hæc duo reddentur.  
 Mulier appellata ab impudico homine sacra  
 nocte natalis Domini. An non, hæc nox, in-  
 quit, te docere pudicitiam potest? Morti pro-  
 ximus



ximus interrogatus num redierit aliquando ad pristinas superstitiones : Cur hæc quaris ? ego vero illas prius eieci ex animo, quam patriam relinquerem corpore : non sine stomacho & indignatione respondit.

MILLE centum Christiani noui Paraibæ versantur. Excipiam hic etiam duo de communibus. Vescébatur quidam carnibus die non concesso: et quamquam admonentem primo puerum, vt id ne faceret, irrisit: tamé vbi is ad preces adhibuit lacrimas, non solum vitos abiecit cibos, sed ad nos etiam venit depositurus sarcinam peccatorum. Lusitanus Indum hominem, quo vti cupiebat ad iniuriam inferendam alteri, numquam inflexit, dicitantem hæsisse sibi in animo dicta sacerdotis, a quo institutus fuerat ad fidem, vt non possent euelli. Iam, quod de industria prætermisi in singulis domicilijs, vitandæ satietatis quam creat similitudo : summam colligam vniuersam, & conficiam numerum rerum præcipuarum, quæ vtroque anno in Prouincia Brasilia ad Dei gloriam & ad salutem animarum a nostris, ipso Deo adiuuante, gestæ sunt. Qui peccata confessi sunt, numerata hominum centum millia, ac præterea octingenti nonaginta. Qui passi Dominico corpore, quadraginta amplius millia. Qui suscepere baptismum, octo millia quadringenti viginti sex.

Rite

Rite coniugati, anno priore, plus mille. alterius anni non est ratio reddita. Hæc facilia dictu fuere: sed quanti nostris steterint, vix credo vos conijcere, vix dicere ipsi possunt, ne dum ego scribere. Et certe, si difficultas comparandæ rei addit pretium, hanc, qualiscum-

que captura est, plurimi faciendam esse intelligitis, quando tam magno capientium labore ac periculo fuit,

PRO-



P R O V I N C I A  
I N D I A.



VNC INDIA M exequar  
eam quæ est ad Orientem .  
Magnum opus, varium, im-  
peditum: siue propter pro-  
positi materiam temporis  
(triennij est: ab octogesimo  
nono huius sæculi anno ad  
nonagesimum secundum) siue propter Domi-  
cilia maiora ( ea sunt vndeviginti ) Sedesque  
minusculas ( ea vigintidua ) in quibus nostri se  
exercent: siue denique excursiones propter  
difficiles ac diuersas, quibus multa contige-  
runt memoria & scripture digna: ita si om-  
nia percenseam, iustum volumen excreseat .  
sed me necessitas breuitatis defendit . Igitur  
perstringam singula, vt nec modum excedam,  
nec quæ videbuntur pertinere ad annalium  
munus, silentio prætermittam . quæ videbun-  
tur conuenire in omnes annos simul comple-  
ctar, singula ponam suis locis: nec relinquam  
aliquid ( quantum in me erit ) festinãte quam-  
quam animo ad finem, ex quo meum officium  
iure desideretur . Ac primum admoneo nihil  
scripturum de Iapone, vbi primo anno, cen-  
tum triginta e nostris: secundo, centum vigin-  
ti

ei tres : tertio , centum quadraginta tres  
( si Sinensem etiam Missionem connume-  
res ) comperio fuisse . Consuetudo enim ob-  
tinuit , vt Iaponicis de rebus libelli seor-  
sum edantur , cum externis communicandi .  
Iam , illis exceptis , reliqua Prouincia nume-  
rauit primo anno socios tercentum viginti :  
altero , ducentos nonaginta nouem : postremo  
nouem supra trecentos . Mortuos accepi anno  
primo , et vltimo quinos : receptos septenos de-  
nos : anno porro qui est inter vtrūque interie-  
ctus , mortui tres , recepti tredecim : si nō certa  
in omnibus , quadā tamen æqualitate seruata ,  
Ceterum de nostrorū labore fructuque in au-  
diendis confitentibus , adeundis adiuuandis-  
que ægrotis in nosodochijs , uinctis in carce-  
re , remigibus in triremibus et naualibus , de  
pacificandis discordibus , expediendis tricis ,  
de instituendis rudibus aut breui venturis ad  
fidem , deque alijs rebus id genus singillatim  
persequi operæ pretium minime reor . et si cur-  
sim nonnulla de ijs suis locis ponentur . Verum  
vt aliquid præcipiatur coniectura e rebus ne-  
cessarijs . Primo anno accepere baptismum in  
hoc Indiæ tractu quinque millia ducenti octo-  
ginta quinque : instruebantur eundem ad finē  
mille octoginta : baptizati præterea in Iapone  
octies mille . ex hoc ( opinor ) vtriusque an-  
ni consequentis numerum menti subijcere et  
cogitationi potestis . At nos , hisce omis-  
sis ve-



luti longinquis et communibus, ad propiora  
et propria accedamus.

GOANA PROFESSORVM

Domus,

**T**RICENI quaterni numerati sunt priori-  
bus duobus annis: tertio quadraginta. in  
ijs coniungam quæ fuere similia: vt appareat  
per multa exempla non exiguus fructus. Hæc  
igitur, ut semel dicam, nostris auctoribus, ac  
suasoribus facta. Vir improbus et ad flagitia  
præceps sic emédauit superiores culpas, ut ca-  
stigatione corporis, gestatione cilicij, sedula  
ægrotorū procuratione in valetudinarijs ad-  
mirationi esset. acceptæ vnus cõtumeliæ, duo  
alapæ, abscissæ alius auris, alius necem fratris  
et verberū præterea offensã remisere. Vir vxo-  
ri iam duodecimum annum propter admis-  
sum adulterium interitum parabat: alter a  
coniuge discesserat item suspecta: cõiux alte-  
ra a viro: hi omnes positis odijs ac iurgijs re-  
diere in mutuam gratiam. fratres germani  
duo, quattuor per annos: quinet duæ sorores,  
pater etiam ac filius: filia ac mater: et (ne vl-  
lus prope desit cognationis, aut affinitatis  
gradus) focer ac gener: nec minus gener a-  
lius et socrus, fratresque vxoris quattuor erāt  
discordes: pacati tamen ac reconciliati, Deo  
volente, omnes, inter regios actores duos,  
quat-

quattuorque similiter inter nobiles viros, diffidia dirempta sunt. Ambiebat quidam ingressum ad sacrum virorum cœtum Deo famulantium, mox permutare cum matrimonio decreuerat: sed se ipsum postea priori voto et vitæ meliori restituit. Laminam auream vnus in re admodum tenui apud se depositam habebat periculo suo: igitur cum dolo fuisset auersa, depositi tenebatur, maximo incommodo: at fur, cum interfuisset concioni, eo animo accepit quæ dicebantur, vt rem furtiuam tradiderit cuidâ e nostris ei reddendam vnde fuerat erepta: qui magna liberatus cura suam etiâ fidem postea liberauit. Sed et alter exitu vitæ mille ac trecentos aureos: sexcentos alius, ad dominos nescientes damni, referendos curarunt: magno exemplo. Vir pollens nobilitate, et magnis opibus propter maleficia addictus erat morti: eum nostri sic firmarunt, ijsque instruxere præceptis, vt ante vltimum, die sexto, confessione atque Eucharistia præsumpta se compararit ad extremam: mirantibus qui superiorem eius vitam recordabantur. cum duceretur, orauit Sodali- tum Misericordiæ liceret sibi Christi pendentis de cruce simulacrum præferre: vt quem viuens deseruerat, ab eo saltem non disiungeretur in morte. tum quærenti sacerdoti nostro qui eum comitabatur, num via læderet pedes (forte per saxa erat iter) respondit, cupe-



re se multiplicari ærumnas molestiasque, con-  
 scientia scelerum, quibus tam sæpe se obstrin-  
 xisset: quod et repetebat identidem tanto sen-  
 su doloris, vt audientibus lacrimæ excuterentur.  
 Aethiopem item profecutus est vnus e  
 nostris ad supplicium, si forte in itinere agno-  
 scere Christum vellet salutis auctorem: res  
 successit: ac propter ipsum patibulum saluta-  
 ri aqua tinctus crimina expiauit: iamque vo-  
 catus Emmanuel, Iesum appellans subinde cla-  
 rissima voce spe optima decessit. Hæc a no-  
 bis breuiter percursa expendenda vobis relin-  
 quo. Ex hac Domo, anno primo, duæ expedi-  
 tiones decretæ: in Aethiopiam vna, altera Me-  
 lindem. de illa prius. Ab excessu Patris Ioan-  
 nis Nonnij Patriarchæ, aliorumque qui missi  
 superioribus annis fuerant in Aethiopiam, op-  
 portunum erat visum duos submittere sacer-  
 dotes solatio aliorum duorum, qui illic reman-  
 serant superstites, et Christianorum auxilio  
 in iisdem terris: e quibus mille ducenti acce-  
 dunt ad diuinam mensam. Sed qui mitteban-  
 tur iactati diuersis casibus, quater aduersa vsi  
 tempestate, ter contracta arbore, eiectione in A-  
 rabiæ littus, captique ab Aethiopibus. et cum  
 constitisset primum de pretio, rescissa pactio  
 est, quod nongenti aurei parua merces videretur.  
 Itaque erant in Turcæ hominis pote-  
 state: a quo comiter habiti, ut sacra etiam fa-  
 cere, et duodeviginti Christianis captiuis  
 ope-

operam dare possent. redemptos tandem ac liberatos anno secundo Indiam cogitare transfmissa capita testantur. Nunc de Melindensi ut expeditione dicamus: tenendum est, oram prope omnem Africae extremae, qua lato maris (Erythraeum olim appellabant) interiectu ab India fecernitur, a promontorio vsque Bonae spei ad Melindem, et ultra (Regulis abundat) Lusitaniae Regi aut amicam aut vectigalem esse. quod sic aegre iam diu est Turcarum tyranno aeterno hosti Christiani nominis, ut mittendis identidem instructis nauibus triremibusque, quae per Arabicum sinum insinuant in mare vastum, omne littus infestet, nec tutum esse com meatibus sinat. magnum Lusitano negotium, tum propter hostem assiduū, et exultantem interim rebus laetis, tum propter vectigales amicosque Mauros non satis tuta fide. nuper quinimmo Rocchus Britus praepositus orae Melindensi maritimae cum alijs quadraginta ab Lami Rege, dolo et fraude, deditus fuerat Alebechio praedoni Turcae, qui bis magnam partem littoris populando percurrerat ingenti damno. Igitur Emmanuel Sosa Cochinus qui Goanam ditionem pro rege moderatur, in eam curam erat intentus, ut iniuriam vtramque vlcisceretur, quo facilius Mauros in officio contineret. Ergo ut conperit idoneis auctoribus Turcas relegere littus, occurrendum esse statuit, ut prohiberent



tur regressu, it frater eius germanus Thomas  
 præfectus classis, viginti expediuntur navi-  
 gia: quinqueremes duæ, triremes quinque,  
 sex myoparones, ac septem præterea liburni-  
 cæ: in his omnibus milites amplius nongenti.  
 Sed (qui vetus vsus Lusitanorū) nisi comites ha-  
 berent aliquos e Societate, alacri animo mili-  
 tatiuros negabant. sacerdotes duo concessi: et  
 faustum vti præberet iter Deum precati, ter-  
 tio calendas Februarias Goā soluerunt: vsi  
 prospero cursu diebus quindecim. Pridie Ci-  
 neraliorum nostri sollempni carimonix com-  
 parabant quæ erat opus, vt sequenti die ex-  
 equerentur in triremi prætoria qua veheban-  
 tur. Sed, vt sæpe infidum est mare, inhorrui-  
 et ingruente nocte duplicata sunt tenebræ, et  
 fœda tempestas triduo tenuit: quo tempore,  
 vt in talibus casibus solet, illa non defuere,  
 elemosynæ, confessiones, litania communi-  
 ter ac singulariter dictæ, iniuriæ remissæ:  
 nec minus suspiria, complorationes, lacri-  
 mæ, vota, et supinæ mahus: et tamen sarcina-  
 næ in mare præcipitantur, quo nauigiorum  
 aluei leuentur: vnum tanti solatium mali  
 præsentia, opera, et hortamina Patrum. ter-  
 tia tandem lux cælum aperuit, et tranquil-  
 lato Oceano conuenere naues disiectæ. Sed  
 et abripiebantur (post quinquaginta millia-  
 ria in freto æstuante decursa) ad vada lit-  
 toris aduersi, ni Deus quasi miraculo dis-

crimine liberasset . visi enim die quarto in  
 littore gemini ignes : cum tamen ora illa o-  
 mnis uasta & deserta a cultoribus esset . Ita-  
 que correcto cursu Brauam Maurorum vr-  
 bem in Africæ littore tenuerunt . Hic non  
 incerto rumore vulgi , et constanti sermone  
 multorum acceptum est , triremes quattuor  
 Turcarum & biremem vnam paratissimas at-  
 que omni armorum genere instructas ad Me-  
 linden iter intendisse . qui nuntius tanta mili-  
 tes læticia affecit , vt militari illo plausu vario  
 tubarum sono & fragore tormentorum etiam  
 gratulatione prosequerentur : non secus , ac  
 si iam occupato Turcarum transitu in manu  
 victoria esset . atque ita nauigantes non longe  
 a conspectu terræ uenere Ampazam (Mauro-  
 rum in est vrbs : biennio ante a Martino Alfonso  
 Mellio euersa loci vestigia & nominis tenet)  
 hic audiebatur duas esse triremes hostium . et-  
 go , et nostra nauigia ibant itineri ac prælio  
 intenta : sed neque inuēta ipsæ , nec certi nun-  
 tij afferebantur . Ampazæ Princeps adhuc in  
 reliquijs perseverans incensæ vrbs consterna-  
 tus animo est conspecta classe : missisque cer-  
 tis hominibus ad Præfectum colloquium ora-  
 uit . cupiebat ratam esse pacem , quibus con-  
 ditionibus uellent . nec ablata spes : dilata in  
 reditum , si ab eo constaret non accitos Tur-  
 cas nec receptos fuisse . mox cum intrandus es-  
 set fluminis , eoque aduerso petendæ Lamus &



Pare, datus magister qui dirigeret cursum. eo  
 duce classis hæsit in breuia, malitia hominis  
 an inscitia incertum: inscitiam ipse excusa-  
 uit, et haberi fidem, humanitatis seu neces-  
 sitatis interfuit. Vt Lamum est ventum, dum  
 aquatum egreditur nautarum turba, subita-  
 rium in terra tentorium extollitur sacro fa-  
 cido: atque vt fieret tutius, nauigiorum pro-  
 ris ad terram obuersis. magna hic vis confiten-  
 tium fuit: et certior nuntius, præcipue a Mat-  
 thæo Mende præfecto oræ Melindensi mariti-  
 mæ, de Turcarum classe, nauigatione, & appa-  
 ratu: quin et cognitum eorum ductorem Ale-  
 bechium esse, a quo captum Rocchum Brittū  
 cum alijs, bisque vastatam fere magnam par-  
 tem litoris supra rettulimus. addebat Men-  
 des properandum esse, ne a Turca opprimere-  
 tur: quippe crebris Regulorum litteris Alebe-  
 chium certiozem fieri de Lusitanorum aduentu:  
 sed eas litteras omnes a Mombazæ tyran-  
 no intercipi, cui cum Imbijs prælium erat: ra-  
 to scilicet, tutiozem se aduersum Imbios &  
 Christianos fore, si a Turcarum præsidio non  
 esset desertus. addidit ea res animos Lusitanis,  
 & cum dedissent vela ventis, quinto nonas  
 Martias Melinden appulere, magna cum vo-  
 luptate a Melindensium rege, & a Mende ex-  
 cepti: iam enim (vt anni tempus erat) ab In-  
 dia classis præsidiana non amplius expectaba-  
 tur: narrabant porro Sofæ Turcam a Melindæ

si ex-

fi ex-  
 mag-  
 Lusit-  
 mu-  
 enim  
 ditis  
 Pend-  
 ctus,  
 bior-  
 port-  
 infec-  
 Mon-  
 oster-  
 tio p-  
 tuis a  
 dam  
 milli-  
 porr-  
 qua  
 lum  
 erat  
 sione  
 dunt  
 dos,  
 Dei  
 trar-  
 tum  
 caru-  
 ne &  
 refc-

si exensione, quam omni ratione moliebatur,  
 magna vi prohibitum. Inuisit Regem Sosa cū  
 Lusitanis fœdere coniunctum: donauitque  
 muneribus ab India allatis. Postridie (neque  
 enim utilis cunctatio erat) classis discessit, ad-  
 ditis nauibus duabus a Mende, & a Principe  
 Pendæ: is enim tunc erat Melinde, Penda cie-  
 ctus, iuxta aduerso motu popularium, & Im-  
 biorum metu. proinde restitui se orabat, re-  
 portata victoria. confecto cursu diei & noctis  
 insequētis, postera lux (dies Dominicus erat)  
 Mombazam læto eam clamore salutantibus  
 ostendit. Insula lata est trium milliarium spa-  
 tio plus minus, amœno admodum loco, nati-  
 uis aquis abundans, & cōmeatu ab altera qua-  
 dam insula opulenta & diuitem (abest decem  
 milliariis: Pendam suspicor.) inuēcto. vrbs  
 porro validissimo muro cinctā, ea fere specie,  
 qua Rhodus in mari Carpathio. propugnacu-  
 lum Turcæ extruxerant in ripa fluminis, qua  
 erat transeundum: vīsq; classe sese ad defen-  
 sionem oppidi parant: magnam etiam dispo-  
 nunt vim tormentorum siue ad perterrefaciē-  
 dos, siue ad arcendos nostros. nihil obfuere,  
 Dei beneficio. At Lusitanis nihilominus pene-  
 trare ausis, præmittuntur naues leuiores ad-  
 itum tentaturæ. conspectæ enim triremes Tur-  
 carum applicitæ ad terram metum fecerant,  
 ne & nostræ, si progredierentur, in sicco adhæ-  
 rescerent. sed a leuioribus (vt dicebam) factō



principio nauigia omnia tuto suggesta. semi-  
 horæ spatium fuit. quo plerique milites con-  
 fessione animum expiarunt. tum condonatæ  
 iniuriæ verberum, vulnerum, homicidiorum,  
 petita venia, aut a læsis potius, appellatis spõ  
 re ijs, qui lacefsierant, benigne oblata. dein no-  
 stri, necessitate exigente, vt erigerent se mi-  
 lites, Deoque duce aduersus communem ho-  
 stem excitarent animum ad maiorum exem-  
 plum, qui primi oram illam aperuerant, & to-  
 ties obierant vincendo, quasi cote quādã fer-  
 rum Lusitanicæ virtutis acuebant. quinet ostē-  
 sa omnibus beata Virginis effigie, tutela pu-  
 gnantium, tantos iniectus ardor, tanta inces-  
 sit alacritas pugnandi, vt bellico illo tubarum  
 strepitu ac tympanorum lætitiã præcipe-  
 rent victoriæ. magnã spem dederat prodi-  
 gium cælo visum. nempe cum Solis exortu cir-  
 culus, fumæ picis ambitu, sanguineo intus  
 igne collucente, Mombazæ incubuit: existima-  
 tum est pertinere ad interitum vrbis. cum suc-  
 cederent naues, petebatur ex Turcarum val-  
 lo arcis tormentis maioribus, sine intermis-  
 sione iaculantibus ferreas pilas. sed, Deo pro-  
 tegente, omnis ille fulmineus imperus sine dã-  
 no detonuit. At Turcarum ductor Alebechius,  
 vbi præter expectationem Christianorum clas-  
 sem e freto vidit emergsam, loci munimento  
 non fretus, pernici equo, quem hos ad vsus pa-  
 ratum habebat, impigre conscenso, sese intra

mœnia

mœnia ad Mombazæ regē recepit. nec mora,  
ex vna Christianarum triremium centurio cū  
aliquot militibus se demittens in cymbam ad  
castellum Turcarum exscendit: tribus hic tan-  
tum repertis, duos interficiunt, tertium viuum  
perducit ad classem, cū signis vexillisq; quæ  
in propugnaculo erant. oblatum ex his vnum  
illustriore specie simulacro Virginis quod  
nostri ferebant. hoc magis, ab his tam latis i-  
nitijs, felices exitus sperabantur. quattuor, ut  
supra diximus, hostium triremes erant, & bi-  
remis vna: hæc ipsa, & triremes duæ cis vr-  
bem: trans urbem alia, ut apparuit, prælio  
occupatæ, quod cum Imbijs gerebant eodem  
vestigio temporis, omnibus fere Turcarum vi-  
ribus & Mombazensium eum in locum vna cō-  
tractis: quæ causa fuit, cur citima nauigia, vbi  
semel atque iterum excussis catapultis fru-  
stra tonuere, destituta videlicet defensoribus,  
caperentur. cæsi aliquot; faucij nonnulli in  
potestatem uenere. nam integri reliqui celeri  
naratu affectabant terram. nec desuere e Lu-  
sitanis, qui felici temeritate sese deiecerunt  
in mare ut fugientes consequerentur: quin et  
gladio occidere aliquos, ut constiterunt in ri-  
pa: difficili postea ad classem receptu. ingens  
& pretiosa gaza in captis triremibus in Præ-  
toria præsertim inuenta magna victorem mi-  
litē latitia affecit. sed & in Prætoria Aethiops  
multis vulneribus ad mortem affectus: qui



vt potuit, semimortuis uocibus baptismum  
 poposcit, eoque accepto vita defunctus est.  
 secundum hæc iussit Sosa e Turcarum vallo  
 deduci in classem torméta, duasque triremes  
 cum aliquot nauibus ferre se ad triremes ini-  
 micas, in ardorem pugnae. Turcis, vt dixi, &  
 Mombazensibus, cum Imbijs, a quibus vtrique  
 premebantur, res erat. Nunc res poscere ui-  
 detur, vt de Imbiorum genere, natura, mori-  
 bus, & quare Mombazam obsiderét, pauca di-  
 camus. In Africa sunt, ab extremo Bonæ spei  
 promontorio non procul, procero corpore &  
 latis humeris, magna firmitate virium, ac ter-  
 ribili facie ad aspectum, assidui vastationibus  
 et bello: humanis carnibus vescuntur, suorum  
 videlicet externorumque: suorum quamquam  
 magis esse dicunt esui iucundas. itaque si qui  
 ægrotant, effugiendæ molestiæ curationum  
 mactantur: qui vincuntur in prælio secantur  
 in partes ad lanienam, atque ad pastum. ossi-  
 bus humanorum capitum bibunt. arma eorum  
 arcus & sagittæ, quas et imbuunt veneno: spi-  
 cula præterea & stipites durati igne. scuta e  
 leuiore quodam ligno operiunt pellibus fera-  
 rum, tantæ magnitudinis, vt tota corpora defen-  
 dant. nulla apud eos religio, numinis nullus  
 metus: venefici tamen dicuntur esse: et sunt,  
 qui perhibent, ea arte maiorem militantium  
 numerum quam vere sint, ostendi. Regem pro  
 Deo venerantur: terræ illum, Lusitanos im-  
 perita-

peritare mari affirmant, at Rex ita vecors, ac nimius animis vana æstimatione sui, vt si contra spem ac voluntatem pluuiæ de cælo descendant, si immoderatiores fortasse aliquos ipse aut populus sentiat caloribus appulsus, illicet furore plenus iaciat sagittas in aera eius nutui obtemperare nolentem, quinet hominis amentia eousque processit, vt dicitur sterisse orbem vastare omnem, ac subijcere armis, vt solus dominetur. octoginta fere eum armatorum millia sequuntur. agminis porro talis incessus, magnam vim pecoris præ se agunt, hostium assultui morando, aut eludendo, sequitur ignis plurimus: argumento videlicet, quicumque erit uictus, casum tostumque iri: quã obrem cultros ad scindenda corpora latos ferunt. iam quacumque fixerunt vestigia, corpore, armis, spirituque terribiles ingentem vastitatem ac stragem oppidorum fecere: hominum vero ceterarumque animantium tantam, vt nihil sit viuum relictum. itaque eum terrorem circumferunt nominis sui, vt quocumque auditum sit aduentare, deserantur agri, et oppida fere desolentur. hoc apparatu & carnificina Imbiorum Rex peruenerat Mombazam: quam prope erant triremes Turcarum, quadam quasi societate coniunctæ. verum cum ad intulam mari cinctam penetrare non posset, more sui ignis, qui obuias populatus siluas interiectu fluminis resistit, tantisper impetum



petum cohibuit aditum quærens. et erat vnâ ex parte mare vadofum. igitur hac trãfire cõstituerat, obfistentibus Turcis oppidanisque, cum classis Lusitanorum accessit. Vbi nostros conspexere Imbij, exultantes insultabãt Turcis, tamquam venissent qui eos vlciscerentur. Nam quid aliud facient Lusitani, cum vos interficient, nisi quod nobis comedendos præbunt? Efferebantur nempe ira in Turcas, a quibus continenti tonitru tormentorũ multi ex exercitu exanimati fuissent. magna vero eo die crudelitatis imago fuit, cum qui a Lusitanis occidebãtur, qui ad Imbios fortasse se recipiebant, vt in re subita attoniti ac timore perculsi, mandebantur statim in frustra dissecti. quamquã et fuere complures, qui cũ peruenissent nando ad ripam, ne in illos inciderent, repetito natatu confugiebant ad nostras naues: scilicet, ne esca fierent monstrorum, captiuitatem in leui putabant. quo minore pretio, qua de Turcis, qua de Mombazensibus, duplex victoria nostris stetit. desiderati quattuor: saucij plures nullo mortis periculo: qui auditi omnes a nostris de peccatis eadem nocte. e Turcis cãsi fere centum. atque in ijs centuriones duo: capti circiter sexaginta: captiui non pauci Christiani, qui apud eos erant, libertati redditi: ærea tormenta viginti tria grandiora, et plura minuscula maximi pretij in captis triremibus reperta. uis

num  
max  
ex in  
ipse,  
teret  
Aq  
fita  
dunt  
via a  
capa  
to ad  
brico  
stes e  
spelu  
nequ  
viden  
men  
& far  
et per  
dat c  
lo ter  
ca su  
inuoc  
tam e  
cũbit  
uigijs  
est igr  
fessio  
finis.  
garet

numinis tum in nauali prælio apparuit, tum maxime in articulo temporis, quo gestum est, ex improviso nostrorum aduentu: vt Turca ipse, se prius victum, quam hostem videret, fateretur. postero die (is erat Sancti Thomæ Aquinatis memoria sacer) egressi e classe Lusitani circiter quingenti Mombazam contendunt, et vacuam urbem nullo negotio intrant. via angustæ vix duorum simul ambulantium capaces: tecta e saxis ac cæmento: pleraque alto admodum fastigio, visenda exterius, tenebricosa intus, & sine ordine descripta, vt tristes esse diceres domos sine Sole, & horrentes speluncas. hæere primo intra urbem, veriti nequis dolus subesset: dein vbi solitudinem vident, quodcumque possunt inflammant, mœnia demoliuntur et execranda delubra, & fanum in primis maximum, testudinatum, et peramplum: cui demolitioni dum operam dat captiuus quidam, haud dudum in periculo tempestatis Christianus effectus, oppressus casu fragminis, indeque ereptus, paulo post inuocans identidem Iesum, et gaudens testatam esse in morte sinceram fidem feliciter occubuit. Mombaza euersa, cunctis deinde eius nauigijs, siue in littore, siue in naualibus, iniectus est ignis: post quæ Sosa Pendesem regem in possessionem regni restituit. Neque hic victoriæ finis. Postridie idus Martias cum victrix nauigaret classis secundum littus, ingentem conspicit



spicatur hominum multitudinem celeri fuga se ad mare effluentem, et protētis manibus elataque voce, vt exciperentur in naues orantem. Imbij videlicet persequebantur: quos Lusitani arcuere scloporum intentu, dum voluntarij captiui recipiuntur. in his Alebechius erat, & alter ductor vnus e triremibus captis, Turcæ preterea instar triginta, & Mombazēses fere ducenti, at Alebechius, vt propior factus, Hispanica lingua, cuius erat callens, exorat admitti, sapienter excusans varietatem casuum humanorum, et incerta belli: malle se captiuū esse Christianorū, quorū humanitatem alias expertus esset in Hispania, quā Imbiorū cibum. narrabat idem Mombazensium regē, et qui apud eum primi magistratus vrbis, deuoratos fuisse: duci complures captiuos eidē forti destinatos. Hoc rerum statu, fecerunt sacerū in littore sacerdotes, die Dominico, quintodecimo ante Pascha: concionati etiam, & præstitere alia, quæ similibus temporibus solent ad plurimorum salutem. eo die triremes captæ inter victores duces diuisæ in Indiā abducendæ. ac primum Melindem appulsa classis magna Melindensium gratulatione. tum Rex Præfectum gratulabundus conuenit, & Alebechium in Prætoria cum alijs Turcis, pluresque e nobilitate Mombazensi vinctos vt vidit, Numquam tutum, inquit, Lusitanos fuisse laceßere: semper laceßentes serius ocyus ue

antiqua

alibi

pæna

pæ  
den  
seu  
quid  
esse  
ctus  
salu  
uort  
Men  
in p  
gnu  
pru  
ta et  
dita  
tia c  
septi  
sito  
man  
læsa  
rem  
sacr  
fetu  
que  
nau  
spec  
gi, P  
ceril  
tyra  
stru  
cum

pœnã dedere. hic Sosa forte Alebechio illudens, Quin tu inquit, Melindẽsem despicias, ac fevero vultu intueris? Cui ille, Domine, Quicquid agat asellus, vt asimulet equum, asellus esse non desinit. iuit posthac Melinden præfectus classis causa officij, ut vicissim Regem saluaret, & alacriter acceptus a populo vniuerso. Hic dissidium aliquod Sosam inter ac Mendem, ducesque item minores ac milites, in partitione prædæ cum esset exortum, & magnum aliquod malum timeretur, sublatum est prudentiã et auctoritate nostrorum: qui multa etiam composuerunt in vrbe, quæ impedita erant. His rebus omnibus ex animi sententiã confectis sexto die ante calendas Apriles, septimo ante Pascha Melinde soluerunt, & transitu Aequatore die altero peruenerunt Lamũ. mandauit hic Sosa Regem comprehendi reũ læsæ maiestatis. igitur captus est, actusque ad remum dum de eo statuatur. Die ipso Paschæ sacrificauere nostri ad Lamũ, Sosamque præfectum tribunosque ac centuriones et plerisque milites impertiere sacris: dein secunda nauigatione naues applicuere Paten. vrbs est speciosa et ampla. imperat præfectus Siano regi, Patensi Principi, et Ampazensi, suis cũ proceribus ac ministris assistant sibi de Lamensi tyranno pœnam ex legibus sumpturo. Constructum est tabulatum elatius e terra: circumstant cum armis Lusitani ducenti. hic

Hhh

raptus



raptus ligatis post tergum manibus Lamensis, et alij fontes. Rex in subiecto tapete genuaflectit. quæritur de eo, num velit Christianus mori: negans damnatur capitis: hac fere iudicij formula. Quandoquidem tu Panebaxira Rex olim Lami, perfidiæ tescelere contaminasti, cum Rocchum Brittum Præfectum Melindensis oræ maritimæ, aliosque Lusitanos quadraginta, viros mulieresque, inter quos et pueri permixti, Alebechio Turcarum duci dolo malo tradidisti, eique inito societatis fœdere amicam opem tulisti, ac maie statem regiam violasti, præpotens Philippus Rex, eiusque auctoritate Emmanuel Sosa Cothinus, caput tibi demi regnumque Lami, ac res tuas omnes publicari iubet: ac tuum deinde bustum volucris ferisque bestiis discernendum ab ullo mortalium sepeliri vetat, qui secus faxit, proditoris eiusque pœnarum reus esto. Tale exemplum statuitur in proditorẽ amicorum, receptatorem ac defensorem hostium, ne alij deinceps ad talia audenda impellantur. Eodẽ supplicio affectus frater Chelicæ regis, comes ac socius Turcarum. scissum eius corpus pluribus locis pependit, vt ostentui esset. in ministros duos Patenses eadem ratione animaduersum est. Perpetrato iudicio, pacatoque oppido, sacra hostia litatum: et quod militũ distulerat anniuersariam communionem rite exegit. quod factum similiter a Lusitanis militi-

litib  
ti in  
ptan  
diu  
mici  
trier  
tab  
rem  
sequ  
xim  
is in  
veri  
Erg  
vna  
tion  
dra  
nos  
reb  
uit  
fir  
lam  
tis  
cau  
co  
cir  
titu  
inc  
app  
ad  
fen

litibus præsidij Patensis. multi que pacifica-  
 ti in vrbe dissidentes: inter quos vnus acce-  
 ptam alapam vlcisci cupiens iamdiu, dum rē  
 diuinam audit, vltro venit in complexum ini-  
 mici, ut ostenderet amicitia reuixisse. Quinet  
 trierarchi duo, militari, vt fit, iactantia, dispu-  
 tabant, vter prior adoriri ausus Turcicam tri-  
 remem: et militibus (cum suum quisque ducē  
 sequerentur) in duas partes distractis, res pro-  
 xima periculo erat: sed hi quoque, vt præui-  
 sis interrogationibus, ad liquidum explorata  
 veritas est, nostris interueniētibus quievere.  
 Ergo hi atque illi rite confessi perceperunt  
 vna Eucharistiam, sacramentum reconcilia-  
 tionis. Ceterum, Sium inter ac Paten Mon-  
 dra oppidum Maurorum erat, multos iam an-  
 nos contumax aduersum tributa, et studens  
 rebus nouis. igitur hoc etiam Sosa solo & qua-  
 uit. oppidani in naues nostras recepti. sed et  
 firmata pax cum rege Ampaza, vbi eum pa-  
 lam fuit auxilio Turcis non fuisse. Sic composi-  
 tis Melindensium rebus Socotoram legebant  
 causa aquationis. Socotora insula est in Arabi-  
 co mari non parua, nonaginta fere milliariū  
 circuitu, vndique montibus cincta, tantæ al-  
 titudinis, vt nubibus nullo tempore careant.  
 incolas Christianos esse ostendunt nomina ab  
 appellatione Sāctorum, & crucium gestamina  
 ad collum. cetera gentis persequi non est præ-  
 sentis scriptio. piscibus viuunt et pomis



agrestibus . alioquin infelix regio ac sterilis est. hinc denique classis discedens calēdis Maijs, ferebatur in Indiam secundo vento: & grauis præda decoraque triumpho inuecta est Goana ostia eodem mense medio. Turcarum turba ad naues relicta: duces ipsi, quique erāt nobiliores, coniecti in carcerem . iucundum Goæ spectaculum ductor Alebechius, quē tot iam menses inaudissent insidentem maria cū vastatione terrarum : magna vtique victoria: et quales in veterum annalibus non adeo multas legas ita incruentas: sed; non sine Deo. Talis nostrorum Melindensis expeditio trium mensium et dimidiati fuit. Postero item anno, vt mos gereretur Prætori, missi duo cum classe custode ac præside Malabaricæ oræ ad Mangaloris arcem: perutilis eorum opera militibus oppidanisque, vt Sodalitium Misericordicæ per litteras Patri Prouinciali gratias egerit. Anniuersario die assumptæ Deiparæ auditi milites centum triginta: multæque dissensionēs extinctæ. Verum anno tertio, quod ad hanc rem pertinet, ita accepi. Sex sacerdotes cum tribus classibus profecti, continendis militibus in officio Christiano & in obsequio Ducū valde viles fuere. antequam in Malabaricos sinus intenderēt cursum, data opera est, vt remiges omnes eluerent confessione animarum labes. duodecim ex ijs nostro in templo iustrati baptismo. Catechismus, diebus Domini-

cis,

creis, vespertinis horis, exponi cœptus magno  
 concursu. cogitur multitudo a concinentibus  
 per urbem pueris, vno conspicuum vexillum  
 præferente, non sine sacerdote Catechista. in-  
 troductus etiã vsus, eos qui antecellunt alios  
 doctrina, doctores designandi. hoc honore di-  
 gni habiti duo: quibus etiam, vt alijs nõnullis  
 insignia ad speciem præmia tributa. Ceterum  
 hæc Goana domus, regij Xenodochij quod est  
 illij, adiunctum, procurationem habet: in eo sa-  
 cerdos cum socio versatur: at cum classis e-  
 Lusitania venit, Nouitij subsidio mittuntur. Po-  
 pularis quidam est Goæ morbus ita atrox,  
 vt nulla olim prætersueret hebdomada in-  
 ualetudinario funeribus vacua. sed sacer-  
 dos ille iam conficere nouit medicamentum  
 adeo efficax, vt nullus fere eo morbo moria-  
 tur. et curantur quidem corpora, sed multo  
 magis restituitur ægris animæ salus: vt ex ijs  
 multi, permoti nostrorum pietate & exemplis,  
 vbi penitus conualuere, nuntium sæculo re-  
 mittant. Templum porro nostrum, vt est in ma-  
 xime opportuno vrbis loco, tam multos inuita-  
 bat, vt plures excluderentur: nunc laxatum  
 est, auctumque instrumento multiplici, siue  
 ad vsum aduentorum, siue ad ornatum alta-  
 rium sacerdotumque: eleemosyna hæc ad ope-  
 ram collata octo millium octingentorum vn-  
 denonaginta aureorum conficit summam. fa-  
 cilis coniectura, quantum adijciat ad colen-



etiam religionem magnificentia templi. Iam  
 ut de ijs audiatis aliquid, qui in nostra æde,  
 quæ ab Iesu nomen accepit, ad eum conuersi:  
 plures singulis annis celebrati baptisimi. Cele-  
 berrimum totius anni referunt Ianuariæ ca-  
 lendæ. sub tribus signis catechumeni ab sua do-  
 mo ad nostrum templum procedunt, agmine  
 visendo. primo anno Christi fidem complexi  
 octingenti viginti: in quibus Brachmanes ali-  
 qui nobiles, & tres quattuorue e Turcis, quos  
 captos diximus in Melindensi expeditione, ac  
 pueri duo, qui nunc in Conuictorum Collegio  
 instituuntur. Altero anno, quattuordecim su-  
 pra septingentos. Tertio, centum viginti: im-  
 minuto numero propter sexcetos, qui ad Col-  
 legij templum baptizandi die sacro vndecim  
 millibus virginum accessere. Sed in re Chri-  
 stiana augenda, quiddam accidit minime silen-  
 dum. Filius pictoris tenera adhuc ætate ado-  
 lescentulus, cum Crucem pingeret contra Goa-  
 nas leges (an quod Ethnicis id facere nefas)  
 deprehensus est. Cum ergo duceretur ad pa-  
 trem Christianorum, cum de quo olim memo-  
 rauimus: Nihil esse respondit, quod seuerius  
 secum ageretur libentissime suscepturo Chri-  
 sti fidem, quam fere anno cupiebat. sed pater  
 ipsius ac propinqui (est enim ampla cognatio  
 ne, & opulenta) ingenti cum indignatione Præ-  
 torem conuenientes, et publicos magistratus,  
 iniuriam sibi factam conqueruntur: vi abre-

ptos pueros e sinu parētum fieri Christianos ;  
 (antiqua est querelæ formula his locis ac fre-  
 quēs) Ergo accitus puer in itinere obuium pa-  
 rentem habuit, cum lamentantium & ab egre-  
 gio consilio deducere studentium turba: at ip-  
 se animum firmauerat. igitur interrogāti Præ-  
 tori in iudicium confessu, Num quæ ui compul-  
 sus esset ad studium Christianæ religionis: nul-  
 la humana respondit. Quin ego ipse me ad il-  
 lam excitari sentio interiore impulsu. Tum du-  
 stor satellitum: Si tu, inquit, parentē vis sequi,  
 nihil moramur: te foris præstolatur: ad eum  
 sine metu ac fraude egrediari licet. At ado-  
 lescentulus magni animi, Ego parētē alium  
 non cupio nisi Deum ac Patres Societatis: hos  
 sequi obfirmatū habeo, a quibus efficiar filius  
 Dei. Excepit has voces Prætor, eumque per-  
 amanter complexus. Maeste (inquit) puer ista  
 virtute: ego te de sacro fonte suscipiam. Auxit  
 hæc res vulgata multorum pietatem: et spes  
 est fore, vt quoniam magno in amore est puer  
 apud parentes ac necessarios omnes, rectum  
 iter vitæ plerique ingrediantur eo viam mon-  
 strante.

COLLEGIVM SANCTI PAULI.

ETSI MVNVS est Collegij proprium in-  
 stitutio Christianæ iuuentutis (fuerunt an-  
 no primo socij octoginta, dein quinque addi-  
 ti, postremo sex: vt essent nonaginta vnus) ta-



men ad Christi ouile adducendorum plurimum quotannis studia non intermittuntur. ita statim temporibus egrediuntur fratres Goanam per insulã, oppidaque propinqua, qui animas quærant. et pulchra species fuit, cū vno egressu adduxere trecentos. bina præcipua sunt anniuersaria baptismata. die qui honoratur memoria sancti Pauli conuersi, primo anno baptizati septingenti, trecenti secundo, de tertio confuse accepti in vniuersum Christo se addixisse septingentos. baptismata alterum sollemne, die festo vndecim millium virginũ. sexcēti hoc die vltimo anno per salutarem aquam geniti Christo. vtroque die ingens multitudo mortalium frequentatium sacramenta. quamquam etiam litterariæ exercitationis specimē datum: siue cum primo anno sancti Pauli conuersio in scena agitur: siue cum de rebus grauisimis positiones publicæ sustinentur. huc pertinet Iusti & Pastoris in oppetenda morte pro vera religione pietas & constantia luculenter exhibita, in magna virorum illustrium & ciuium corona, e quibus nemo lacrimas tenuit. At secundo anno die altero post idus Sextiles, habita oratio de Dei genitrice ad caelestem gloriã euecta: et dialogus recitatus a pueris pro captu ipsorum: quo etiam die puer annorũ octo, haud multo maior, varie excussus a quinque interrogantibus, quasi iam doctus & plaudente populo, adeptus est insignia doctrinæ Christi-

na Christiana. Doctrina autem Christiana ex-  
positio, quoniam huc incidit sermo, singulis  
diebus Dominicis in templis, triremibus, &  
custodijs publicis valde frugifera est: ad eam  
edocti pueri instituunt domi mancipia, et fa-  
miliam suam quisque omnem. at ipsi ad reli-  
gionem, & religiosam vitam adeo propensi, vt  
Societatem nostram plerique cupientes taedio  
moræ in varia Cœnobia sint ingressi. tribus  
primo anno ad nos paruit aditus. Ad huius  
Collegij curam spectat Corani insula, itemque  
Seminarium puerorum fere octoginta: vtro-  
bique bini, sacerdos cum fratre versantur. fru-  
ctum per vos ipsi conijcere potestis. datur &  
opera ciuibus in templo confitentibus. feria  
quinta sanctioris hebdomadæ fere quotannis  
milleni participant Dominicam cœnam. repe-  
terem anniuersariam pompam supplicationis  
Anastaticæ, nisi meminissem descriptam annis  
libus primis: tantum quod horum trium an-  
norum primo anno Nabuchodonosoris statua  
enormis magnitudinis spectabilis fuit. Homici-  
dium interea iam iamque perpetrandum pa-  
cta mercede prohibitum. restitutum æs alie-  
num cuius summa mille amplius aurei nummi.  
Mirum accidit puella, ex quo vim agnoscas  
predestinationis diuinæ. filia honesti ciuis cui  
esset in confinio mortis, narrauit domesticis  
somnia. Venerat vnus e Patribus meo acci-  
tu, qui audiret confitentem: negauit auditorum  
quod



quod semichristiana essem. Proinde, quicquid fit, aduocate mihi sacerdotem. Accessit vnus e nostris, & edoctus ordine somnium, quærendo cõperit, eam, cum Malacæ esset cum alijs pluribus ad baptismum admota, iamque salẽ in os haberet immissum, repentino hostium aduentu, excitato tumultu, cum omnibus diffugisse nondum aqua tinctam. gessisse se hæcenus pro Christiana, sed vere (vt audiuit in quiete) non plane Christianam esse. igitur mirante familia & Dei collaudante misericordiam integrum sacramentum accepit. Ceterum anno secundo extremum diem expleuit Pater Ludouicus Pinerus: quadragesimum sextum ætatis annum, vigesimum quintum Societatis agebat. iamdiu explicabat conscientiaẽ casus admirabili quadam subtilitate, et, quæ nihil claritati officeret, breuitate, ac veritate doctrina. obseruator nostrarum legum vsque ad exemplum: sic segregatus animo a rebus presentis sæculi, vt omnem dirigeret mentem ad cogitationem æternitatis futurae. Anno tertio Patrẽ Melchiorem Azeuedum amissimus, multos iã annos Ministrum in Collegio egerat. sollerti vir ingenio & perspicaci, vt qui nihil ignoraret quod domi ageretur, ac domesticos prudentia quadam contineret in officio: quod si opus esset, etiam pœna. ceterum se, vel ex ipsius admonitu nominis, cunctorum famulum esse meminerat.

## DOMVS PROBATIONIS.

**A** ROSARIO dictam inuenio primo an-  
 no, duobus posterioribus a Virgine conce-  
 pta: propter sacellū, credo, domesticū cōditum  
 ornatumque aere Emmāuelis Solæ Cochini  
 Prætoris, et cōceptæ Virgini dicatum: quam-  
 quam ipsa domus etiam amplior et commo-  
 dior reddita est. postremo autem anno ineun-  
 te, cum præsepe fecissent Nouitij ad veneratio-  
 nem excitandam, inflammatum est: accurre-  
 runt plurimi ad extinguendum incendiū: quin  
 et Prætor ipse equo vectus, vt opem ferret:  
 iamque adscendum parabat comprimendo  
 igni, ni Rector inhibuisset. discedens tamen  
 bonum animum habere iussit: abs se enim da-  
 mnum resarcitum iri. Sed Gaspar Vega pro  
 incensa sua ergo nos beneuolentia conuētum  
 moderatorem domus orauit, vt ne ad reficien-  
 dum sacellum alterius pecunia, quam sua vte-  
 retur: quod si non impetraret, nostræ amicitia  
 renuntiaturum: ita obisti non potuit. statim-  
 que trecenti aurei ab eodem oblati: eadem  
 causa duos excitauit, vt singuli centes os: ut  
 mulier mitteret quinquaginta. igitur sacellū  
 incēdi nterfuit, quo magnificētius resurgeret,  
 ac plurimum liberalitatem experiremur a  
 lieno dissoluendo. Quinet Prætor ad sacelli  
 usus columbarium multatitium attribuit. un-  
 de



de reditus annuus aurei centum. At alius quidam pietate et opibus clarus binos millenos sponndit in annos singulos: iamque res soli comparare incepit censui stabilendo. itaque domus plurium sociorum in posterum capax erit. ex hac domo aliqui Coculini versantur. locus est haud ita pridem nostrorum quinque Martyrum sanguine nobilitatus. ita, vere dictum a Patre Berno, irrigatam terram martyrum sanguine educturam nouam segetē Christo: et, paulo ante beatam mortem, recte designatum ab illis locum templo. nempe ædificatum vbi dixerant: eique a Domina nostra Martyrum nomē impositum, ut attigimus abhinc anno quarto. dicatum est anno primo septimo idus Maias, magno tota e Salsethide virorum mulierumque concursu. nonnulli quin etiam viri illustres venerunt Goa, vt sua dignatione honoratiorem facerent diem. cētum eo die: at mense Augusto die assumptæ Virginis, decem: Septembri natali eiusdem die vndecim, in Christianoram numerum adscripti. nec caret admiratione, ita pertinacem olim gentem deditamque superstitionibus, vt propterea nostris ferro abtulerit vitam, pane oblitam sui exuta feritate Christum induere. Sed pretium est inclyti sanguinis. magna spes est, vt tam lætis initijs reliqua consentiant. templum certe ipsum etiam Ethnicis, e quibus vnus pecuniam dedit conficiendæ lampadi, ce  
lebre

lebre videtur. Vtinam ipse ac ceteri qui versantur in tenebris, corda præparent ad excipiendam lucem claro cælo diffusam. Ceterum nouissimo año Pater Didacus Aluarezius post triginta sex annos in Societate vtiliter transactos inter homines esse desijt. Erant in hac domo, anno primo, quinquaginta quinque: altero triginta duo: postremo, viginti septem.

### COLLEGIVM RACCHOLANVM.

**I**N CAPITIBVS anni postremi a Margano appellationem habet: an propter per amplum oppidi templum: an propter oppidanos maxime, vt his locis, locupletes pios et nobiles: anno quidem postremo ex collata pecunia emerunt redditus annuos trecenum aureorum pauperum leuamento. Ceterum de hoc Collegio (quod iam notum est diuisum esse in sex veluti curias ac Sedes) exquisitius scribere difficile negotium est, nec forrasse necessarium. referentur multa generatim. singillatim, vt res feret, pauca ponentur. In tota Salsethide, secundo anno, lego esse Christianorũ millia amplius viginti tria. paulo distinctius anno tertio, de quibusdam pagis oppidisue. Vrlini tria millia sexcentos: ut desint tantum quingenti viginti ad reliquam oppidanorum summam. Vernæ mille. Raccholi totidem, ac præterea ducentos. Anno tamen secundo ac cepi



cepi vniuerse in hac peninsula ter mille octingentos sexaginta quinque ad Christum conuersos: instrui præterea ad fidē mille quadraginta. atque, vt detexam nonnulla, Margari venere ad baptismum anno primo octoginta, altero centum quinquaginta, tertio tercentū; inde tamen Goā aliquot eadem de causa missi. alibi primo anno ducenti: et centeni duobus in locis: denique alio quodam in pago nouem supra centum: Vernæ quinquaginta: Deusmæ anno secundo trecenti: quingenti Vrlini: Coluæ quadraginta: Raccholi tertio anno viginti. Sed et pagi nonnulli decreto publico statuerunt suscipere Christianam fidem, ea lege, vt qui secus sentiant, discedere cogantur: vni Cincino nomen est: hic baptizati simul eodem die quingenti: alteri Betalbati: etsi aliquid turbarum hic erat, vt catechumeni respicerent post tergum: sed magister fuit officij metus. e quatuor pagi partibus tres lotæ salutari aqua. Nemo (vicius est) totus Christianus effectus. Quinet anno tertio nouem circiter pagi a sacerdote qui Belsami degit, fuerant adiuncti Christo: sed diabolus illud suum tenuit, concitauit turbam, vt noster differretur, quasi cohereret, non doceret: at Veritas non opprimitur mendacio: qui falso accusauerant: conuicti, et culpam confessis facilis noster in danda venia fuit. Proferendæ in hac plaga Christianæ religionis, secundum Deum, auctor ea, quæ in vni-

vnuerſo orbe interimendæ omnis hæreſeos,  
Maria Virgo. quod ipſum indicât eius nomini  
fere omnia conſecrata, et quæ in dies ſtatuun-  
tur vbique templa. de ſanctæ Mariæ ad Niues  
in Raccholano cognitum eſt ſæpe. Cincini ex-  
truitur ædes naſcêti Deiparæ ſacra. Maſordæ  
altera. Margani, quamquam Sancto Spiritui  
dicatum eſt templum, in eo tamen templo pul-  
cherrima eſt ara et tabula Virginis conceptæ.  
Sed celebre præter cetera eiufdem Dei geni-  
tricis religione templum miraculiſque (de lo-  
co nihil appoſitum) ad quod adjacentibus ex  
omnibus pagis, ipſa etiam ex Goa diebus Sab-  
bati plurima frequentia eſt: ſic tamen, vt quo-  
niam adhuc ædificatur, ſuum quiſque lapidẽ, e  
numero licet Brachmanum, capite aut hu-  
meris ferant. fit ſacrum, concinuntur litanix  
Dei parentis, exponitur miraculum. ſecun-  
dum hæc, accidit aliquando, vt eodem die e  
remoto admodum reſeſſu decem millia ſaxo-  
rum conuectarentur: et erant nonnulli Ethni-  
ci inter Chriſtianos immixti. mirum qua ſa-  
cram ædem omnes ueneratione proſequantur.  
ægroti, egentes, ærumnoſi, huc vota ſua confe-  
runt, huc precatoreſ allegant, hic propitium  
habituſ diuinum numen arbitrantur. ita  
quamplurimos videas, cum inter ſunt rei di-  
uinæ, candelam accenſam manu geſtantes: et  
euenit quiddam interdum, quod erit pretium  
meminiſſe. Vir tenuis vnusque de multis, haud  
dudum



dudum Christianus (sesquiannus erat) præpotentem hominem grandis pecuniæ gemmarumque non parui pretij debitorem habebat: nec agere poterat ex syngrapha, quæ nulla erat: ac ne producere quidem testes: et cum appellaret fortasse, non audiebatur. igitur statuit Dei genitricis auxilio uti ab ope hominū destitutorum patronæ: ad eam conuertit preces, eique commendat causam suam: nec spes fefellit: aliquot post diebus, is qui debebat sponte accersito fidem suam exoluit: neque hic immemor beneficij non exiguā elemosynā Dominiæ dedit. conduntur etiā colunturque aliorum calitū domicilia. Coluæ sancti Ioānis Baptistæ ita inlytū est, vt votis quoque damnet, eos præcipue, qui liberorū desiderio tenentur. illud minime prætereūdū, cū Masfordæ prope ratur sacra ædes, cecidisse tectum, eodemque casu traxisse secum opifices triginta. id quia fuit sine cuiusquā offensa, excitauit multorū studium ad ferendam opem, & ad operam cōferendam, vt die festo beatissimæ Virginis dedicari posset. quo die multi Goa venerunt, & cum pluribus e nostris Pater Prouincialis: prælata est frequenti omnium cœtu imago Deiparæ e compacta materia, similitudinem marmoris æmulante gypso, pulcherrima arte: eam vir nobilis, vt Goam transferretur, curauerat faciendam: mox mutato consilio Masfordanæ Virgini donum dedit. quanti sit, hinc æstima-

æsti  
pue  
gin  
me  
gust  
toi  
et r  
que  
tur  
con  
ma  
ne, a  
nior  
mus  
cru  
min  
dieb  
Col  
indi  
rum  
reci  
qui  
que  
offic  
Aug  
pore  
dent  
cont  
sum  
iure

æstimabis, quod regia corona, quæ in capite  
 pueri infantis, constitisse fertur aureis septua-  
 ginta. Iam singula templa statis diebus maxi-  
 me celebrantur: vt Raccholanum nonis Au-  
 gusti, quo die semper treceni communicant:  
 totidem Margani ferijs Pentecostes: quamquã  
 et reliquo anno non deest suus numerus fre-  
 quentantium sacramenta, diebus festis. addi-  
 tur sollempnis ad Raccholi ædem supplicatio,  
 concio, & diuerberatio corporis Quadragesi-  
 ma sexta quaque feria, tam magna multitudine,  
 ac pietate virorum mulierumque, vt opi-  
 nionem vincat. at dies Parasceues celeberrimus  
 fuit: cum scilicet prætensis simulacris  
 cruciatuum Christi, plangentium gemitus, fe-  
 minarumque ploratus & querelæ flebiles au-  
 diebantur. hoc vero commune esse omnibus  
 Collegijs Sedibusque satis fit nunc tantum  
 indicasse. augent interim religionem populorum,  
 iuuentutis quæ a nobis instituitur, in  
 recitandis dialogis, acutisque sermonibus  
 qui speciem habent dramatum, ingenium at-  
 que industria: vt de Angelorum erga homines  
 officio ac peruigili cura, primo anno, medio  
 Augusto. quo etiam die, explicatum pro tem-  
 pore mysterium Angelorum Domina ascen-  
 dentis in regnum. die eodem, anno altero,  
 confutatis Brachmanum singulis sectis, osten-  
 sum est Christianam religionem esse omnibus  
 iure optimo præferendam. at natalitia nocte



exhibitus vulgo Adæ lapsus, cum quo etiam  
 cecidit genus humanam. latum cogitantibus,  
 hæc agi ab eorum liberis, quorum parentes  
 auique sic a via deflexerant, vt dicitare non  
 erubescerent malle mori millies, quam profi-  
 teri nostram fidem. nam etsi non desunt adhuc  
 perfidia tenaces, vt qui ex ipsorum genere a-  
 gnascantur Christo, non aliter ac si essent mor-  
 tui, lacrimis prosequantur: tamen mollescere  
 incipiunt, vt cognatos pueros orbos parenti-  
 bus nostris offerant baptizandos. magnâ apud  
 nouam hanc sobolem venerationem habet An-  
 gelus custos: ei celebre extructum est altare  
 Margani in templo: cui Ethnicus quidam pal-  
 lium ex holoserico intertextum auro dona-  
 uit. Audistis olim hanc peninsulam fuisse ve-  
 neficiorum feracem: nec dum stirps omnis eli-  
 fa est. ipsi tamen Ethnici (quis crederet?) ve-  
 neficum ad nostros detulerunt testium multi-  
 tudine conuictum. ex eo argumentari licet  
 quæ sit pietas Christianorum. mitto pro eorû  
 facultatibus, priuatim et publice adiutam adi-  
 ficationem sacrarum ædium in singulis fere  
 pagis Salsethidos, quos scitis esse compluscu-  
 los, delatamque materiam humeris: cum die  
 quodam Dominico ieiunij verni sacerdos  
 pauperes commendasset, fuere qui inuentos  
 per vias quasi viritim diuiserunt in domos o-  
 pulentas binos aut ternos pascendos vestien-  
 dosque: vnoque die subleuari quinquaginta.  
 quæ

quæ fama cum exisset, e uicinis terris ad eadē subsidia corporum non pauci conuolarunt. afflat uenenum antiquus serpens, sed aduersus præsumpta remedia nihil nocet. Leue fortasse fuerit auditu quod sequitur, sed cum accidit alicuius momenti videbatur. Implicuerat se serpens in arboris rimum, tresque iam menses in eodem vestigio hærebat impastus: mirum hoc primo alienis a nostra fide: dein admiratio in religionem celsit: cum pro numine venerabantur, id cum audisset sacerdos Christianorum sermonibus, iussit excetram interfici: quamquam multi non auderent attingere, quod diabolum esse uereretur. Utilis ad retinendos in fide recens conuersos explicatio Catechismi. Quidam necessitate compulsi se ad Mauros contulerant, non magna laude constantiæ: rediere mox reuocati: e quibus unus cū vxore matre fratribusque ea animi altitudine est, ut potiorē ducat inter Christianos paupertatem, quam inter aduersarios quantamlibet copiam rerum. Duborum ægrotorum (quod sit scriptum) primo anno, Deus respexit fidem, cum post recitationem Euangelij valetudinem receperunt: ex his alter usum etiam linguæ, quem antea amiserat. At viro nobili, anno secundo, cum in mentem uenisset fore ut conualesceret, si elueret animam confessione, hac ipsa cogitatione est melius factum: quam etiam ad exitum perdu-



xit. neque hoc caruit admiratione. Vir extrema ætate (octogesimum agebat annum) venditis iam rebus vt pecuniam offerret fano idolorum, terram Maurorum cogitabat, vt inter eos emitteret animam: cum in eo res esset, ipseque appareret ex vultu tacito plenus maroris, allocutus eum est noster molli sermone, paulatimque eo deduxit, vt mutato consilio indueret Christum: sanequam vtiliter: biduo expirauit: quod et mulieri cuidam contigit pronecæ ætatis sponte conuersæ. quamquam et alia iam annorum nonaginta vltro baptismum petijt: voluitque legitimo chirographo sibi dari fidem, vbi diem clausisset, sepultum iri in templo. Magnum alterius mulieris constantiæ exemplum. Nondum Christiana erat, esse cupiebat: voluit maritus esse sibi comitem ad Mauros abeunti: detractauit propositi tenax: elapsis aliquot diebus vir noctu reuertitur, et recusantem sequi verberauit, vulnerauitque in mortem: mox accitus sacerdos baptizauit, et (mirum dictu) non multo post valetudini reddidit, quod vbi maritus resciauit, sic immutauit mentem, vt fieret etiam socius eiusdem religionis. Nunc de aduersariis Liphitanis, siue cum ex inimicis sunt amici, siue cum restituantur quæ iniuste possidebantur, siue cum pietati se totos dedunt, dicere super sedeo: rebus Indorum præponderantibus. Raccholi Seminarium est alimentario-

rum

rum puerorū vsque ad certā ætatem: auxerūt illud, ac simul Christianorū cœtū, primo anno viginti, ex ijs, quos mortui parētes nec ita diuices nec pij reliquerant in angustijs rei familiaris et in tenebris prisca superstitutionis. docentur hic etiam, sicut et Margani ( e quibus Brachmanes plerique ) prima elementa litterarum et Christianæ doctrinæ. pij admodum omnes: celebrant sacrosancta mysteria quibus per ætatem licet: obeunt et diebus festis finitimos pagos, vt communicent quod didicerunt: quin et docent rationem confitendi, testis inter ceteros, vetula quædam, sed nuper infans genita Christo: quam sacerdos repertā ignaram ac rudem, vt nesciret excutere latebras conscientia, dedit puero instituendam, dieque postero audiuit ratione et ordine cōfitentem. Solent ijdem cēfere eos, qui sine causa negligunt rem diuinam, ita seuerè, vt ne propinquos quidē excusent. in eundem ordinem sunt referendi duo, qui auiam ætate fere decrepita edocuerunt, instruxerunt, ac suis quodammodo brachijs ( quoniam pedibus vti non valebat ) adduxerunt ad sacrum fontem. Huic Collegio adnexum est nosodochiū, quo cum confluunt Christiani plurimi corpore affecti, datur opera, vt ex animis etiam morbi pellantur. Ita, si recte inspicias, in Raccholi Marganiue Collegio ( vbi fuere singulis annis socij fere quinidē ) nullam materiam deesse



Intelliges approbandæ nostræ professionis :

COLLEGIUM BAZAINI.

**H**OC QVOQVE Collegium aliquot Sedes adiunctas habet. atque e singulis sui fructus existunt. in omnibus his locis rari admodum non Christiani, ac fere nulli. duæ sunt puerorum classes: in vna legere docentur et scribere, in altera ad humaniores litteras informantur. sed antequam venio ad curam, quæ proprie posita in Indis, communia quædam attingam. Igitur in carcerem & valetudinarium collatus vtiliter labor. restituta quattuor aureorum millia domino nescienti sibi quicquam abesse. e captiuitate vir vnus atque alter pretio redempti. obuiam itum seditioni, et coniurationi cuidam in urbe ex occulto vires capiēti in multorum interitum. Puella nobilis iuueni non æqualis condicionis nuptiarū chirographum dederat, ex quo graue rixarum surrexisset incendium. sed hoc etiam periculum nostrorū prouidentia depulsum est. confessiones generales auditæ vno anno amplius cētum viginti. e pacificationibus, quibus vnus filij cædem, fratris alter desijt vel le vlcisci, et duo præterea ex mutua prouocatione ad pugnam, reuocati; aliqua sunt, quæ distinctam narrationem merētur. Mulier captiua inter dominos coniuges falsas causas fin-

xerat

xerat ad discordiam; virum nempe cum alia  
 rem habere: quod vxor (vt non facile hæc nu-  
 ptæ ferunt) sic doluit, vt maritus innocens fu-  
 renter irasceret, nec parceret minis. is po-  
 stea cum comparasset pugionem, credidit mu-  
 lier, vbi rescivit, sibi necem intendi: hanc por-  
 ro vt præueniret, effugeretve, sese ex fenestra  
 præcipitem dedit. accurrerunt vicini, eamque  
 detulerunt in aliam domum. eo cum venisset  
 sacerdos, solatus est animi ægrā, & paulopost  
 propinqui reduxerunt ad virum, docētes quæ  
 causa fuerit emendi pugionis, & captiuæ frau-  
 de detecta. At maritus alter (quæ natura ze-  
 lotypia est) vxorem infidelitatis falso suspectā  
 tollere constituerat. igitur, præfatus iracun-  
 dia causam venenum ebibere iubet: pudica  
 mulier Crucifixo coram falsam esse suspicio-  
 nem iureiurando affirmat: nihilominus bibe-  
 re cogitur: quod cum parū esset validum, aut  
 non læderet in fontem, efferatus animus, cuius  
 dam admonitu, herbam dat ad vescendum fu-  
 turam causam tam præcipitis necis, quam si  
 ferro vrgeretur: cōtra factum est: extinxit ex-  
 oluta alio vim veneni grassantis. quam diffi-  
 cile est cohibere iram, vbi semel erupit. tun-  
 dit miseræ corpus sacco arenæ referto adeo  
 atrociter, vt reliquerit pro mortua. ipsa inter-  
 ea non vocem mittere ac ne gemitum quidē:  
 tacitis clamoribus Deum inuocare innocen-  
 tiæ testem. Scelus ipsum suo se pondere prodi-



dit: et sacerdos, cum virum docuisset in quanto errore versaretur, perpetuam concordiam & pacem firmavit. Præfectus oppidi, vir numero cognatione, & nobilitate præpollens, nocte quadam affectus fuit vulneribus, quæ attulerunt mortem: et quia facile erat interfectorem inuestigare, & causam interficiendi: ex quo emanabat latus malum: vno e nostris auctore, is qui moriebatur nõ ignovit solum inimico, sed & testamento cauit ut se mortuo criminatio inualida & res omnis muta esset. Iã, vt propius accedam, crescit quotidie neophytorum pietas ac numerus. primo anno Bazaini accessere ad baptismum mille ac trecenti: quadringenti anno secundo: tertio centum triginta: sed & in Sede Tanænsi viginti duo: in Ecclesia sanctæ Trinitatis quadraginta: in sancti Thomæ ducenti: hic apud turbidos, motus quidam intumuerat, sed veritate compressus est. hæc species facti. Adolescens claro genere Patrem cõuenit, Christianum se fieri velle profiteretur, tondet noster capillum ( illa enim catechumeni nota) at nouerca, vt primum vidit, excanduit. ducit ad Præfectum, queritur a sacerdote iniuriam factam, inuitoque adolescenti attonsum crinem, vt videretur esse candidatus baptismi. it ad Collegiũ Præfectus, grauius exposulat. sed vt alij catechumeni rem vti se habuerat narrarunt, euasit mendaciũ, ipsoque suscipiente adolescens baptizatus est.

Ponam in hoc genere rem non magnam, sed  
auditu iucundā. Cathecumenus erat senex ea  
ætate ad quam paucissimi perueniunt: preme-  
bat annum centesimum vigesimum: differeba-  
tur ei baptismus priuatus, vt celebratiorem  
faceret publicum. sed interea cum deficerent  
languenti vires, exorat absente sacerdote  
eius interpretem, vt aquā rite aspergat, ante-  
quam occupet mors. mox cum reuertisset sa-  
cerdos, diligenter quærit an ratus esset bap-  
tismus: quod vbi comperit, profusus præ lætitia  
lacrimis, non poterat expleri animus Deo gra-  
tias agendis: biduo post solutus corpore est. Iā  
illud non reticendum: cum quæreret is qui ba-  
ptizarat, quot annos vixisset, vnum respondit  
excipienti, quare ita loqueretur, qui venisset  
ad vltimum ætatis humanæ, quia (inquit) an-  
nos ceteros, quamlibet multos, tui, non vixi:  
nisi hunc vnum, quō meum Deum agnosco. illa  
enim vera vita est Deum nosse & eius filium Ie-  
sum Christum. egregia vero vox & Christiano  
Philosopho digna. Ceterum interdum Deus ta-  
lem vim impertijt baptismati, vt corpori quo-  
que restitueret salutem: sic vno in pago ali-  
quam multis anno prius, quo a paganis reli-  
quis animaduerso, orant dominum loci Pa-  
tres adduceret, qui animis simul corporibus-  
que mederentur. Sed & puer a genitore alla-  
tus conualuit, cum antea recipenda valetu-  
dinis spes nulla, aut per exigua esset. De anno  
postre-



postremo hoc narratur. Instituebatur quidam ad fidem: is cum fere ageret diem extremum, ad Virginem gratiarum defertur (est ad i nomen) a sacerdote sancte abluitur: nec mora assurgit, ac sine cuiusquam ope ambulare incipit, toto resonante templo Dei laudibus, ac Virginis matris: in cuius etiam laudes sabbataria preces instituta vocum ac sonorum suavissimo concentu. quin et tribus alijs vitam animis tribuens aqua morborum e corporibus depultrix fuit. quamquam a matre gratiarum multa alia beneficia profecta sunt. Virum vxor adduxerat captum omnibus membris resolutione nervorum: Lusitanus attulit puerum infantem ancipiti morbo laborantem: super hunc atque illum vt sacerdos salutare pronuntiavit Euangelium manibus impositis, bene habuit vterque. Lusitani alterius puer huc accessit, quem destituerat facultas loquendi, cum perseverasset triduum, linguæ nodis solutus loqui cœpit. Mulier ita debilitato corpore, vt neque ingredi nec stare posset, nisi a quattuor sustentaretur, cum crebro portaretur ad templum, in pristinam restituta valetudinem suis aliquando discessit pedibus, nullius opem requirrens. Multis confessio, vni qui ex graui ruina crurâ luxata habebat, manco alteri ac debili iamque desperato a medicis, res diuina quam fieri orauerant suo nomine, utilis fuit ad valetudinem recipiendam. eas ob causas mire

auctum

auctum instrumentum sacrum: sed attributa  
 etiam pecunia ad ædificationem Collegij pro-  
 mouendam. Ceterum secundo anno ante diē  
 quintum calendas Martias Pater Emmanuel  
 Gomesius anno ætatis sexagesimo tertio, cum  
 trigesimum in Societate atque adeo in Salse-  
 thide posuisset, morbo ac laboribus absum-  
 ptus est. de hoc ita accepi, nihil fere tā magni-  
 ficū dici posse, quin eius virtute superetur. nō  
 facile quēpiā reperiās, cui magis cordi fuerit  
 conuersio populorū: sic e tam multis millibus  
 peninsula huius quæ acceperunt Christū, pars  
 dimidia doctorem illū fidei ac ductorem agno-  
 scūt, aut patrē potius omnes. ita cunctis pro-  
 spiciebat, quæ essent necessaria vitæ. erat peri-  
 tus linguæ et priscarum superstitionū gentis,  
 quas efficaciter refellebat: ita Salsethidos Apo-  
 stolum merito dixeris. in cultu ornatuque tē-  
 pli, quē interdum sua manu conficiebat, inge-  
 niosus ac splēdidus: nomen templo ac venera-  
 tio ab sanctā Anna: frequens huc turba venie-  
 bat ac votorū sponsione obligata. ipse autē re-  
 ligiosos omnes nostros externosque peraman-  
 tē excipiebat: parcus cum solus esset, erga  
 alios pæne largus. rem Bandoranam procura-  
 bat (Christiani illic ad quattuor millia) Goa-  
 nos præterea et Iaponios annuos aliquot cen-  
 sus: et in his tamen omnibus tricis semper  
 suus. itaque animo pacatus, ac si perpetui  
 quies esset: sic deinde modestus, ac de rebus



fuis raro ac modice loquens, vt quod de Thebano Epaminonda Spintharus Tarentinus scientiorem a se eundemque breuiloquentiorem neminem visum, de Emmanuele Gomefio diceret aliquis, paucos fuisse, qui iuxta agerent tam multa, et tam pauca proloquerentur. scilicet quo profundior est annis taciturnior fuit. Sacrum faciebat adeo religiose, vt qui maxime sacerdotium non cepit nisi iussus, vt plus proximis prodesset, ante obitum annos septē. itaque moderabatur animi motus, vt et si natura factus natura biliosus, et procliuus ad irā, māsuētissimus esset. pectoris deinde cādidi, aperti, ac simplicis, cū quo Deum sermocinari frequenter arbitrarere. quadriduo ante mortem, præsumptis subsidijs salutis, delirare cœpit, et loqui aliena: sed ita, vt cuperes eiusmodi multorum esse sapientiam. nullus sermo, nisi de Deo: Deum tantum dimidiata eius verba, nec satis integræ sententiæ sonabant: vt appareret tamen ordo, et intelligeres pias uiri cogitationes, quæ sedem sibi fixerant in pectore, decurrisse ad labra. omnino si eum nescires emotæ mentis violentia morbi, diceres apud se esse. mirum interim quam dissolui vehementer cuperet, et esse cum Christo. sic magnæ animæ e corpore proficiscuntur. talis ac tantus summum sui in Societate nostra desiderium, magnum his terris, quæ maxima ab eo acceperunt beneficia, reliquit do-

lorem

lorem. Anno proximo Antonius Macedus frater decessit magni vir exépli: et Domina Isabella Aquaria huius veluti Collegij parens, cui facultates suas omnes reliquit: e quibus millenu m tricenum aureorum vectigal confici possit. sepulcrum esse suum voluit in nostro templo. et nos ei honoratū fecimus funus, collaudantibus ciuibus gratum ac memorem animum nostrum non exigua nec simulata significatione pietatis.

### CIAVLI SEDES ET DAMANI.

**V**T HAEC DVO oppida iam a Christianis coluntur (suere vtrobique nostri plerūque seni) nihil magnopere est, quod laboretur in quarendis animis, sed tantum in confirmandis: ne se ipsi subducant ab obsequio Christi: et Lusitani plurimum adiuantur. et sane in hac Prouincia (vbi vberissima materia variorum narrationū) inculcare, in his oppidis quoque impositum finē veteribus iurgijs et odijs, multorum occursum malis, ne ingressa serperent, prouisum mature ne ingrederentur, auctores fuisse nostros non paucis confessionis, aliquibus etiam restitutionis faciendæ, haud quaquā necessariū puto. quid enim hæreat nauis in arido littore, circum scopulos et saxa, cum in altum Oceanum ferentibus ventis secunda nauigatio expectet? delibabo hæc tantum



tum. anno primo Damanum oppidum, quod  
fere in duas partes discesserat diffensione no-  
bilitium, e qua vtrunque vulnera ac cades, no-  
stris suatoribus, illorum reconciliatione paca-  
rum. altero anno impuratum vnum, et obfir-  
firmatum in malo, duabus noctibus continen-  
ter fuisse admonitum ( vt cuidam narrauit )  
adeundi sacerdotis. Sed hoc magis mirum.  
Ethnicus Maurorum perfidiam amplexus Da-  
manum iter faciens, cum in agro, vbi defeca-  
rat dies, ageret noctem, per quietem uidere  
visus hominem in longa veste nigri coloris, su-  
dentem vt statim se ad oppidum conferret.  
communicans deinde cum amico, quem offen-  
dit in via, somnium, intelligit ostensum sibi sa-  
cerdotem Societatis, quem etiam conuenire  
deberet, ut eius consilio vteretur. Cum paruif-  
set dictis, non procul abesse visus a regno Dei  
Imbutus Ecclesie rudimētis induit Christam.  
Iam Ciauli Grammaticæ schola est: docentur  
circiter quadraginta pij adolescentuli. ingenij  
specimen probatum in apparato dramate,  
quod non solum nouitate ( neque enim antea  
vniquam simile spectaculum Ciauli fuit ) sed  
grauitate etiam et elegancia placuit. Auxit  
multorum liberalitas instrumentum sacrum  
et ædificium Collegij.

## COCINENSE COLLEGIVM,

et Sedes Vaipicotana.

**N**VMERAT Cocinũ socios minimum tri-  
 ginta, vt ij etiã qui in Sedibus sunt vicinis  
 tribus quattuorue censeantur, sed hic lata se-  
 extulit seges rerũ gestarum: quas si carpsim sin-  
 gulas, tarde me expediam, igitur Tarquiniano  
 præcepto decerpam eminentes, demetã alias  
 vno ordine quasi falce iniecta, sed veluti ma-  
 nipulatim, etsi difficile erit, vt in tanta multi-  
 tudine, apte distinguere, nec prætermittere  
 multas. Duabus classibus Grãmaticam pueri  
 docentur: tertia litterarum prima elementa.  
 Iam quoniã reliqua ex India huc plurimi con-  
 fluunt, a plerisque nostri vtilliter consuluntur.  
 hinc peccata de more exuere multi. restituit  
 vnus (vt minima taceam) aureos mille: et famu-  
 lus domino syngrapham aureorum bis milliũ:  
 abducti a praua consuetudine ac sceleribus  
 nonnulli, vt in illis fieret progressionem tempo-  
 ris mēs bona, quæ fuerat principio bona volun-  
 tas: sedatæ in aliquibus discordiæ, et ultionis  
 cupiditas repressa: ex iniusto seruitio aliquot  
 erepti: multi e carcere, eorum debito per solu-  
 to: a Maurorum impietate, ad quam metu de-  
 sciuerant, reuocati quinque. Valetudinarium  
 semper interuisum, præcipue anno postremo  
 propter multitudinem fauciorum militũ con-  
 fluen-



fluentium. Ceterum ignotus morbus urbem  
 obfederat, ut in maximis doloribus ægroi nõ  
 peruenirent ad alterum diem. neque ex huma-  
 nis remedijs vtilitas vlla. nostrorum consilio  
 instituta supplicatio duplex, primum leuamẽ-  
 to ciuium, dein etiam saluti fuit. Viginti am-  
 plius, quas pellices habebant, vxores duxere.  
 Indorum erga nos liberalitatem sapius experi-  
 mur. sacrario temploque absolutis auxere  
 instrumentum sacrum (ponam hæc gratia exẽ-  
 pli) lampas argentea æstimata amplius aureis  
 octingentis centum quinquaginta, conciona-  
 torius suggestus. in odeum pollicitus quidam  
 trecentos: ei opifex dum admouet manus, la-  
 borare oculis cœpit: admonet vnus e nostris  
 Ethnicum licet sanctæ Lucie votum facere  
 pro valetudine: nec frustra fuit: igitur Chri-  
 stianum se fore pollicetur opere perfecto.  
 Ceterum Archiepiscopus ipse tẽplum sollem-  
 ni ritu dedicauit, primumque in eo sacrum  
 fecit. eo die veteris Ecclesie decedentis no-  
 uæ, Annæque & Vrsulæ sanctarum, sacrosan-  
 ctæ Eucharistiæ quæ præferebatur occurren-  
 tium, Angelique grates agentis populo (cum  
 hæc omnia agerentur quasi in dialogo) egre-  
 gia species fuit. Cursim his de rebus et quasi  
 a prætereuntibus dictum. Nunc quia has ter-  
 ras aut Catechismo complectimur, aut baptif-  
 mo (finis enim laborum animarum salus) ea  
 nimirum rudimenta, et incrementa nostræ So-  
 cietat-

cietat-  
 breu-  
 rior  
 ligio  
 min-  
 plun-  
 stren-  
 redi-  
 cœp-  
 ti ba-  
 ti ex-  
 & al-  
 sum-  
 alia  
 vt a-  
 am-  
 inui-  
 nus  
 cio  
 prop-  
 ditij  
 re: S-  
 illan-  
 filia  
 Albi-  
 vt a-  
 tent-  
 vt fi-  
 Qui-  
 est, v-

cietatis: nonnulla quæ huc videbuntur facere, breuiter ponam. Ergo, qui depulsis superstitionis vanitatibus informantur ad veram religionem, seponuntur, mares in Collegio, feminae in ædibus matronarum, a quibus ad templum instruendæ mittuntur. collatis anno postremo aureis septingentis, exiguus quidam redditus ad hoc opus in annos singulos institui ceptus, cum spe largioris prouentus. Lustrati baptismo minimum mille octoginta: et multi ex ijs Arabes, quod difficilius erat negotiũ, & aliqui Sinenses. Sed inter hæc, quædam seorsum edisserenda. Vir quidam huc accesserat ex alia vrbe prima inter suos nobilitate, atque ut adhæresceret Christo, periculo se exposuit amittendi domesticas opes: quoniam Rege inuito discesserat: paulopost quam Christianus esse incepit, viuere desijt: nec abest suspicio ueneni. e Nairis vnus sic constans fuit in proposito, vt cum sollicitaretur a multis blanditijs precibusque, hoc tantum haberet in ore: Scio animæ meæ quid profit: nec vniquam illam suo bono fraudabo. Baptismum accepit filia Mosis Batillæ: is est Indorum caput qui Albi vocantur: hæc postea Sinas translata est, vt a parentibus cognatisque incommoda videntur. Quædam liberata dolore puerperij, vt facta Christiana est salutari aqua affusa. Qui primus in nostro nouo templo baptizatus est, vnus e Brachmanis de familia regia nobi-



lissimus fuit. sed alius quidam, qui Christianum iam diu assimulauerat, conflictatus morbo sacerdotem accersijt, a quo vere relatus in Christianorum numerum eadem hora extinguitur. quamquam alijs quoque idem vsuuenit. Adolescens viginti annorum leuiter ægrotans, vix a parentibus, vt vocarent sacerdotem, et ab hoc, vt statim baptizaretur, obtinuit: commodum noster redierat domum, cū eum audiuit in Crucis osculo, quā neophyto reliquerat, expirasse. Quidā e grege mendicantiū amēti similis, orabat vt efficeretur Christianus, neque impetrabat, quod male sanus videretur: tandem eo progressus est, vt iudicem appellās Deum, sibi iniuriam fieri vehementer exostularet. itaque religio fuit amplius differre: institutus et tinctus post diem tertium quartumue decessit. Idem Nairi cōtigit, cui ægroto vnus Brachmanum valetudinis remedium persuaferat baptismum. Pertinet quiddam ad Sedē Vaipicotæ: quod propter exemplorum similitudinem huc addam. Nobilis femina, languenti corpore, animo erecto, clam suis omnibus sex leucarum pedibus iter arripuit, multisque e fluminibus et difficultatibus ægre emerfit: reppulit etiam aliquos, qui dissuadebant consilium prætextu caritatis: res ipsa ostendit ad nos non nisi diuina ope perductam. vt proiecit se in limine templi, sine aliorum auxilio corpus attollere, aut

aut insistere pedibus non ualebat. nec procul aberat a fine. igitur de rebus necessariis instructa, paucis post horis ingressa cælestem patriam per ianuam baptismi. At iucunda duorum ægrotorum contentio fuisse perhibetur. uenerant eandem ob causam, eodem in domicilio diuersabantur: disputabant inter se, uter consequeretur a Christi lauacro, ut mortuus prior eueheretur in cælum: is qui peius habebat, ut est ablutus, præcessit: consecutus alter post alterum diem. Inuentus tamen puer deplorate uoletudinis, qui statim a baptismo conuuluit. Alter cum ageret annum duodecimum ueluti mortuus repertus est propter ædem, quam habebat Iacobus, de quo infra multa narrabimus. itaque uocatus Iacobus lecto Euangelio spiritum reuocauit. narrauit puer se a dæmone percussum fuisse, quem ex arbore descendantem uidisset. roganti deinde num uellet fieri Christianus, magnopere annuit. inuitis igitur parentibus, qui et ipsi accurrerant, potitus uoto, ab insidijs diaboli, a quo aliquoties postea tentatus est, liber euasit. Hæc pauca et quasi generatim de Cocino. Vaipicotam (non ignotum est nomen ex alijs annuis) ingredimur. Hic e nostris operati sunt sacerdotes quaterni, fere omnes peritilinguæ gentis: moderator ceterorum Pater Georgius Castrius. templum a sancto Thoma appellatur. Seminariū alit informatque ado-



lescentes viginti quinque nobiles, maxima expectationis. iam additus est eorum sustentationi ager, quamquam renitente populo, summa Regis voluntate: qui et domum nostram inuisere voluit & Patres salutare, ut Iudaeorum, qui hic frequentes, et Ethnicorum oculi verberarentur. Lusitanicae, Latinae, Chaldaicae, & aliarum praeterea linguarum praecipua traduntur. reperit enim illic iuuentus quod discat, ut referat deinde quod doceat. at nostri librum populari idiomate posteris utile scripsere. constitit nempe, quanti sit, ut his hominibus profis, non desiderari interpretem in loquendi audiendique commercio. hac ratione docentur rudes elementa religionis, exponuntur populo Evangelia, aures commodantur confitentibus, multaque sua natura aut peruersitate hominum implicata explicantur. neque hoc caret suo fructu, quod audiuntur instruunturque mancipia, propter humilitatem atque inopiam contempta a Parochis, qui Cassanari vocantur. excursionum utilitas principio parumper stetit: quod distitarent se Christianos ab sancto Thoma esse, nec vetustam religionem innouari velle. ubi deleuit dies falsa suspicionum commenta, honestissimi quique nostrum celebrantes sacerdotem, tenuiores incitarunt exemplo. Quoddam in oppidum cum venissent nostri ab amico inuitati ad statuta sollemnia, inciderunt in iustitium decem dierum, et dilationem commercio.

ciorum atque publicorū officiorum omnium  
propter interitum Regis. interea commodū  
fuit alio proficisci. inuenti hic Cassanairi duo:  
cum vxore alter liberisque, sed quasi procurator  
et exactor tributorum Regis: grandī  
alter ætate & inualido corpore, neque admo-  
dum callens linguæ: ceterum ita incuriosi, vt  
cognitum sit decedere multos sine baptismo.  
super hæc omnia, vt erque alterum sic animo  
auerfari, vt neque alloquio dignaretur. ea res  
magnam illis offensionem & contemptionem  
apud omnes afferebat. interposuerunt se no-  
stri, et Rege coram alijsque nobilibus conciliata  
pax: firmataque est osculatione mutua  
pedum. Cassanairus alibi ita imperitus & cō-  
tumax, vt Calendarium Romanum in recu-  
sando perstiterit: Marsimonis Matticensis  
Episcopi non sui (hunc hæreticū esse opinor)  
partes sectabatur: quamobrem suus eum An-  
tistes sacrificijs amouit. omnino hominem po-  
pulares grauate ferebant. sed ipse tamen sa-  
cris non abstinebat. hæc cum ita essent, sacer-  
dos noster cum sacrificare vellet, audiuit illū  
esse in templo: misit qui rogaret tantisper ce-  
deret, dum fieret sacrum: cum maneret nihi-  
losecius, cautius putauit noster concionem  
anteuertere, vt discederet saltem tadio mo-  
ræ. neque hoc processit. igitur aperte dixit  
omnibus audientibus non licere sibi rem diui-  
nam facere, dum adesset is, cui esset interdi-



Etum sacris. Quantum valet arrogantia, vbi  
 obduruit. postulauit improbus curio id sibi  
 probari: nec ideo erubuit, aut locum dedit.  
 Res exitum nullum habebat, nisi factus cer-  
 tior Rex iussisset statim facessere illū templo,  
 dum noster sacram hostiam Deo offerret. Rex  
 autem hic, quamquam Ethnicus, fauet religio-  
 ni Christianæ, suisque in morbis pro valetu-  
 dine ad sacras ædes elemosynā mittit. inter-  
 cesserat illa altercatio vno dierū ieiunij maxi-  
 mi. at Cassianus nihilo melior factus, Pascha  
 celebrare voluit computans diem ex antiqua  
 ratione. irato videlicet Deo. cum se parat ad  
 Missam, facultatem amittit videndi, iacuitque  
 duas horas prouolutus humi, sine sensu. nec ta-  
 men a malitia discessit. Quin et aliquibus mi-  
 raculis placuit Deo ostendere cordi sibi esse,  
 quam nostri prædicant orthodoxam fidem.  
 Conclamata puella ex sacerdotis nostri preca-  
 tione reualuit. Mulieri obligata pridem lingua  
 astu dæmonis soluta est lustrali aqua aspersa, &  
 signo Crucis efformato super collū. hæc Chri-  
 stiana erat. Altera auersa a religione cum diu  
 premeretur insidijs diaboli, grandēque frustra  
 insumpisset pecuniam in veneficia, quibus eū  
 putabat expelli: tandem cum viro, noctu, veri-  
 ta sermones vulgi, ad templum venit: ex hac  
 quoque, exorcisante sacerdote, cum horribi-  
 li clamore dæmon egressus. Sed & alia quædam  
 recitatis verbis sacri Euangelij veneficijs libe-  
 rata

rata

rata est. Idem remedium adhiberetur ad multo-  
rum similem morbum. Quas ob res multi pa-  
lam aggregarēt se ad fidelium cœtus, nisi hac  
ipsa professione fidei euerterentur omnibus  
bonis. Nec nostri solum sacerdotes, sed alum-  
ni etiam hoc in genere a Deo honorātur. Exor-  
cistes recitato Euangelio energumenum cura-  
uit: mulierem alter, in hunc modum. Habita-  
uerat hæc diu in remotis locis vrbe procul:  
den viro tradita, et templum ingredi coacta  
est. hic cum esset, sic hebetatam sensit aciem  
oculorum, vt sacrosanctam hostiam, non aliter  
aspiceret, quam atro colore suffusam. pax in-  
terea inter duos constituebatur: hoc vero spe-  
ctaculū ita atrociter tulit diabolus, vt miserā  
affligeret ad terram, similem extinctæ. exau-  
diri interea cōfusus murmur ac strepitus. mis-  
sus a sacerdote adolescens quem dicebam ad  
sedandum tumultum, post lectionem et ipse  
Euangelij diu detractantem ac reluctantem  
dæmonem fugat. ita crescit Seminarij, de quo  
supra memorauimus, numerus ac fama. Puer  
intra annum quartumdecimū, cum illud inui-  
deret aliquando, et alumnorum inspiceret di-  
sciplinam, Christianam religionem amplecti  
constituit: ergo statim absedit, deiecit ad pe-  
des, et consputauit capillum, vt profiteretur  
se catechumenum esse. hunc nostri Cocinum  
adducere cogitarunt baptizandum cum alijs  
celebriore conuentu: sed in transitu oppidi



Ethnicorum, qui eius regimini præerat rapuit per vim: nostri illico cum Christianis aliquot ad Regem: factum exponunt; iniuriam conqueruntur. iubet Rex puerum fiffi. oppidi porro Prætor, inter ducendum, mortem allaturum minitabatur, ni diceret ire cum Patribus: malo coactum. at magni animi adolescentulus amplexus gloriam veræ confessionis, nulla cuiusquam vi sed sponte sua se impulsus affirmavit ad Christi fidem: et cum diutius protraheretur iudicium, misit qui renuntiaret nostris, abirent, si manere molestū esset: se enim noctu ad eos fuga elapsurum. tandem admiratus Rex illius constantiam, remisit: et imperavit Prætori, vt petita venia publice satisfaceret. Adolescens alter annorum duodeviginti discussa caligine de tenebrarum profundo in eam lucem emerferat sapientiæ ablutus aqua lustrali, ut omnes qui auerso a religione animo peruersoque contradicere auderent, constanter refelleret. irascebantur Ethnici videlicet odio veritatis. at ipse. Vestram iram nihil moror: quin etiam manus si vultis afferte: non deprecor mortem mihi ornamento futuram. quod mirari debuerant stulti calumniabatur: quasi mentis compos non esset. sed eum omnibus criminibus rite expiatum, iamque cælo dignum, transtulit Deus in eam sedem, vbi beati superatis laboribus vitæ sempiterno ævo fruuntur. Mortuus et puer duodennis, qui ad

scholas ventitabat, tanta pietate animi, vt in ægrotatione numquam sit adductus, vt (quod cupiebant domestici) Ethnicorum carmina aut veneficia experiretur: deduci omnino ad nos voluit, et de peccatis confessus animam Deo dedit. Archiepiscopus nos amat, et nostris conatibus fauet: itaque eius voluntate in varia loca excurritur. quamquam lati interdum successus pascunt improborum inuidiã: et malignitatis dentes vitari non possunt. At Domino Hieronymo Mascarenia Lusitanorum Præside in his locis, nihil fingi erga nos amantius potest. nempe in Eborense Gymnasio nobis operam dedit, et quattuor fratres in nostra Societate habet: vir præterea diuini cupidus honoris, ac vere pius. id nunc intelliges ex huius facti narratione: Ibat vnus e fratribus nostris cum aliquot adolescentibus lignatum; incidit in fratrem Regis: secessit in marginem stagni, vt decederet transeunti: at vnus Nairum Principis comes indignans non satis spatij relictam, etiamsi stagnum ipsum penetrandum foret, arenam pedibus proiecit in faciem, vt irrisui esset. id vbi audiuit Mascarenias, principijs videlicet esse obistendum arbitratus, ne serperet nostrorum contemptus futurus inutilis rei Christianæ, indignissime tulit. postridie bene stipatus ad Regem accessit, neque a minis abstinuit, ni qui tam insignite iniurius fuerat, debitam pœnam daret. Rex

Nairem



Naiorem comprehendere iubet: verum ne fratris exasperaret animum Principis, castigare non ausus, ad Mascareniam Lusitanos, et ad moderatorem Collegij deprecatores allegauit aliquot aulicos suos. nos placare facillimum fuit. at Mascareniam p̄ne furentem iracundia nemo conuenire tutum ducebat, ne magis exardesceret: tantum abest ut agere de ira mitiganda. ipse interea omnis in hoc erat, vt sibi reus in manus daretur laqueo strangulandus. cum alij deinceps legati de compositione summitterētur atque alij, dixit Hieronymus, Rex istam curam de Naire remittat licet ego vero nobili aliquo sanguine, vel ex sua ipsius cohorte, parentabo iniuriæ meæ. tanto maior iniectus aulicis terror, vt nemo prodiret in publicum. igitur Rex quid ageret nescius, Patrem Georgium Castrium Vaipicota accersi iubet, mittitque ad Mascareniam tractandis conditionibus, vt saltem exitio alterius cuiuspiam Nairis ex eadem familia et ordine sibi satisfieri patiatur. Enimuero Castrius iturum se affirmat, sed nihil profecturum pro comperto habere. vera fuit prædictio. Ergo in reditu, cū caperetur nouum consilium, et Rex maxime anxius esset, persuasit satisfactionem, qua illis regionibus nulla honestior, elephantum instratum instructumque. placuit Lusitano ratio satisfaciendi: ventumque. die postero ab Rege ipso magno comitatu nobilium ad eum locum

vbi

vbi accepta iniuria dicebatur: et a Naire reo  
oblata quæ debebantur certo viro a Mascaren-  
nia missio. hoc modo Lusitanum inter Præfidē;  
& Regem Cocini pax et cōcordia firmata est.  
Vtilem Mascarenia seueritatem fuisse con-  
stat; quæ aliquibus fortasse nimia videatur:  
quod iam nostri ab omnibus, quocumque ire  
contigerit, honorifice tractantur. alijque Re-  
ges (multis enim Regibus hæc Malabarum re-  
gio abundat) hoc rumore dissipato; ne quam  
nobis inferre audeāt iniuriam, populares suos  
in officio continebunt. at nostri liberius do-  
ctrinam Christianam serunt. Nec tantum ob-  
fessos a dæmonibus ipsi, atque alumni eorum  
vt supra rettulimus, sed morsos etiam a ser-  
pentibus sanant; cum desperata sit ab huma-  
no remedio salus. vtuntur oleo et aqua benedi-  
ctis æque Ethnici vt Christiani ægroti ad va-  
rios morbos: alij cinere, quem cum oryza  
fatiua commiscunt, aduersus erucas: visoque  
miraculo illustrius sit Christianum nomen, et  
ore omnium extollitur Deus. Eodem spectat,  
quod Ethnicorum etiam vota non raro exan-  
diuntur. nepotem vnus accepit, vbi obligauit  
templo aureos triginta: filium alter, cum sa-  
cræ adem perpluentem et apertam opertu-  
rum tegulis sponndit. Inter quæ, maiore in  
dies religione Cruces coluntur et templa. Iu-  
uat tamen maxime rem Christianam Regum  
ac Dynastarum qui nostrorum sæpe colloquiū  
expe-



expetunt (an hoc ut prætextu se Lusitanis adiungat) amicitia, et fauor. hac de re aliqua subnectere exempla non iniucundum erit. Rex valde potens (regio non est adscripta) cum uno nostris sacerdotibus euocato varios sermones de religione habuit, iuuenis est annorum viginti duum e genere Brachmanu, sciendi cupidus, superstitionum appetens, sed ita, ut cum ijs colluctetur, nec solidas esse animaduertat. quam ob rem et de vera religione diligenter interrogat: suos sacrificulos frequenter apud se habet. factum aliquando est, ut cum ipse ac noster sederent, starent ceteri, de rebus alterius vitæ sermo nasceretur: num redirent omnes animæ, et quorum hominum certissima salus esset. At noster, altius sumpto initio, qui sit finis, quodque vltimum humani generis, quod summum ipsius bonum apte disseruit. Nè pe, Deus mundum, hominis, hominem sua causa fecit: qui et propterea solus ita formatus est, ut vel ipsa figura corporis & oculi ad cælum erecti ostendant eum contemplatorem esse debere cælestium, & Dei cultorem: ceteræ autem res omnes hominû causa procreatæ sunt: nec vero æternæ. excepit Rex, Si sunt ista, male agitur cum bobus nostris. bobus enim (quod vos non fugit) Indi religionem numinis tribuunt: quod in eas hominum vita functorum animas immigrare opinentur: eoque mactare illas ac violare, pro sacrilegio habetur. Tum, ingre-  
sus

fus  
qu  
ru  
esse  
bel  
fen  
Re  
hab  
affe  
tre  
tes  
qui  
que  
git  
tus  
tion  
de r  
dis  
qua  
aud  
ret,  
rare  
pon  
rel  
inte  
ui  
tur  
ope  
libe  
ne n

sus noster explicauit discrimina animarū: ne-  
 que omnibus eam vim a Deo inſitam, vt perpetuo  
 viuant: ſed hominum tantum, quos voluit eſſe  
 rationis participes: ac proinde a morte belluarum  
 animis iuxta ac corporibus nullum ſenſum ineſſe.  
 Lato hæc vultu accipiebantur a Rege: eodemque  
 tempore ſacrificuli, ſi quid haberent contra quod  
 dicerent, in medium afferre inſi: ſed ea effutierunt  
 bambaliones trementibus labris ac uacillantibus  
 verbis, cōteſtantes inſcientiam pectoris, quæ ne  
 brutas quidem pecudes dicūras putares, ſi pro ſe  
 loquerentur. ita ridiculo, et ipſi Regi fuere. Per-  
 git in interrogando Rex, an Deus ſit corporatus.  
 Qua arrepta occasione noster, de creatione mundi,  
 de hominis effectione lapſuque, de reparationis  
 neceſſitate ac pretio, breuiter diſputauit: ſic, vt  
 indicando ſumma myſteria, quantum nondum  
 initiato homini ſatis eſſet, audiendi reliqua  
 cupiditatem potius accenderet, quam explicando  
 omnia, intelligentiã oneraret. Sed cum iam nox  
 eſſet, quærendi ac reſpondendi finis eſt factus.  
 Nunc, vt quæ aliis de rebus ſubijcientur  
 magis admirabilia, facilius intelligantur, ex  
 litteris anni octogefimi octauo quædam antea  
 collocanda paucis videntur. Eas enim cum  
 ſcriberemus, tradidimus, ope iuuenis, qui inſtitutus  
 erat in Seminario liberatam Regis filiam a  
 dæmone obſidete, pæne miraculo. Accipite  
 reliqua. Parentes puel-



la libentissimis animis adiungeret se Christo, sed retardat metus amittendi regni. itaque paulatim discedere a vana superstitione incipient, & mutare in re diuina gubernandi populi rationem: vt, si fieri possit, reipublica orbis conuertatur sine sonitu, nec videatur orbita impressa. igitur Rex, vt a quadam victoria redijt, in conspectu nostri alumni nomina quorundam idolorum manu conscidit, quæ ferebat descripta, orauitque sibi aliquid ex Euangelij dari, et formulam precandi: neque enim te amplius hariolorum veneficijs ac fraude vsurum. Alio tempore, coram ipsis hariolis, eorum stultitiam qui idola colunt pluribus redarguit: solam religionem Christianam esse, quæ errores discutit & admouet lumen, vt aspiciatur veritas & superstitionum tenebræ expellantur. Is autem totaque familia quemcumque e nostris magnopere veneratur. quod si quis apud eos diuerterit, vxor liberique ministrant ad rem sacram: mox eundem ad conuiuium adhibent, vt confideat eadem mensa. omnino hic Rex, vt se dant principia, noster videtur futurus: et cum in amplius centum millia hominum imperium obtineat, ad plura utilis ipsius conuersio speratur. Hoc primum. Iam de Iacobo, cuius superius leuiter facta mentio est, aliqua dicamus. Eruditus Iacobus est a nostris in eodem Seminario, mox sacerdotio præditus missus vt in patria primum faceret sacrum. Por-

ca pa-

ca  
an  
plu  
bur  
mi  
sup  
lin  
nar  
re l  
mu  
qui  
ciu  
Tri  
rep  
mo  
lub  
etia  
bile  
fina  
mo  
gno  
pta  
tere  
cess  
stor  
lus,  
geli  
est.  
cre  
e fa

ca patriæ nomē est: de cuius Rege nonnulla in  
annalibus nostris primis: et in his infra multo  
plura narranda sunt. Verum ego hunc Iaco-  
bum, e rebus quæ de eo scribuntur, valde ad-  
miror: tã multa tributa sūt homini a Deo, quæ  
superant communem vsum. Decerpam hinc il-  
linc nonnulla vt occurrunt, longiore quadam  
narratione animum rapiente. Mulier e gene-  
re Nairum grauissimo correpta morbo, cum  
multis Christianis ad eum adiit medicinam re-  
quirens: is præuia precatione oleum dedit,  
eiisque tres haustus in honorem sanctissimæ  
Triados imperavit: at illa primo gustu se sanã  
repperit. id alteri cognitũ, atque alijs eodem  
morbo detētis, vt eodē medico & pharmaco sa-  
lubriter vterentur, exemplo fuit. a multorum  
etiam corporibus dæmones expulit. Memora-  
bile exemplum, quod ipsius magnitudo non  
finit tacitum esse. Præfecti vxor misere a dæ-  
mone afflictata ad hominē adducta est perma-  
gno comitum numero siue potius custodum se-  
pta: horrendos eiulatus & clamores ciebat in-  
terea: et extulit tanto magis, vt propius ac-  
cessit. at Iacobus tamdiu perstitit legenda hi-  
storia Christi patientis, donec tandem diabo-  
lus, fide data non amplius rediturũ tactis Euan-  
gelijs, ingenti cum stridore ac gemitu egressus  
est. ex eo magna rerum diuinarum fama per-  
crebuit, expetuntque oleum benedictum, et  
e sacris libris deprõpta verba permulti, quæ  
omnes



omnes, pro ipsorum fide, salutaria esse testantur. Sed hæc neque sunt neque dantur temere Ethnicis, nisi ijs qui spondeant idolis nuntium remissuros. cuius rei cum obliuiscitur mulier, unde exegerat dæmonem, vexata iterum est: reuocatus sacerdos cum de diabolo percontatur, quare redire ausus: Quia (inquit) non præstitit fidem. ergo renouato pacto discessit. Trimulus puer e parentibus non Christianis, iam diu abstinens a cibo potuque decumbebat, vt vix sustineret vim febris: ad eum uocatus Iacobus legit quædam suo more ex Euangelijs, dein aspergit agrum aqua Iustali, mox vnam recitans e precationibus beatæ Virginis attingit pueri caput: dein ex sacro Euangelio descriptas voces deglutendas tradit. inter hæc cum intelligeret fiduciam parentum, pronuntiat non statim moriturum puerum, vt credebant, sed producturum vitam ad tertium vsque diem: is Dominicus erat. non solum hoc euenit, sed eo die penitus febris abscessit. Ceterum ipse a multis terris accersitur, et infirmis quamquam viribus valde laboribus delectatur. pacem fecit inter duos maximi momenti. peragratque castella in montibus posita, difficili via: cum interea effugium monstrat periculis, morbis remedium, spem afflictis, opem miseris, solatiu calamitatibus, laboribus leuamentum. Sed iam præteruehi debeo locum, quem diu ante prospiciebam.

In

In P  
fica  
tion  
æter  
riet  
Reg  
nibu  
diu  
pella  
vald  
dipl  
ædif  
sue  
rant  
ita  
quin  
iore  
stibu  
gint  
tis  
lijs,  
ros  
de I  
peri  
pre  
affir  
Ethi  
trun  
Re  
cam

In Porcæ Regis ditione defigi Cruces, et ædificari sacræ ædes cœptæ anno postremo, ea ratione, quam non solum nostris annalibus, sed æterna prorsus memoria dignam esse comperietis. Res ita gesta est. Inter Porcæ Regem, et Reginam finitimam contentio primum de finibus, vt suspicor, orta, magnum belli incendium excitarat. Reginam hanc Pimentæ appellari video, piperifera opinor regionis quæ valde quæstuosa est. ea, superiore anno, regio diplomate asignauerat nostris solum domui ædificandæ. Cum Regina porro, odio Regis, siue fauore sexus, tres alij Reges se adiunxerant. Rex Porcæ solus, vt non inferior singulis, ita impar aduersum vniuersos: nempe uix quinque millium habebat exercitum: nec maiorem vim poterat cogere propter uias ab hostibus obsessas: ipsorum autem agmen plus viginti millibus Nairum constabat. Naires scitis esse hominum genus fere natorum in prælijs, qui belli gloria & virtute superant ceteros Indos. Hæc ita se habebant: cū Porcæ Rex de Iacobo quærir (est enim Iacobus ipsius imperio subiectus) ecquibus Lusitani vexillis in prælio ad victoriam obtinendam vterentur? affirmavit Iacobus: sed quoniam Rex esset Ethnicus, ea de re exquirendum consilium Patrum. Per idem tempus Cocinensis Collegij Rector, et moderator Vaipicotanae Sedis Porcam uenere: itaque re cum illis communi-



cata refert ad Regem, nulla Lusitanorum aut etiam Christianorum quorumlibet, alia esse victoricia signa præter augustissimam Crucem, narrat Constantini historiam, et victoriam partam. Sed quoniã non esset Christianus, si ea vti salutariter vellet, abdicaret se alijs carimonijs quibuscumque: Deum vereri cæli potentem at terræ constitutum ac fixum in animo haberet: eum duntaxat in uota inuocandum putaret, orandumque vt dirigeret in uiam expertem erroris. Lata Iacobi oratio Regi fuit, et vtile consilium visum. Igitur in natalis Domini peruigilio, cum Regem conuenisset Iacobus, ab ædituo Christiano, qui solus cum illis erat, et in factoria arte non nihil intelligebat, duas tresue Cruces, an ex serico (de materia enim nihil est scriptum) confici, et in vexilla consui iubent: inseruit Iacobus certas preces in schedis, verbaque ex Euãgelio rogatu Regis: qui et orauit duas similes infodi in incustoditis uijs: quæ si penetratæ essent ab hostibus, res in maius periculum adducenda erat. dein discedente Iacobo ad templum, quo confluebat Christianorum populus, vt rite exgerent sacratissimam noctem, omnium se precibus commendauit. interim ingenti confectus cura abstinuit cibo: quæ non nisi die postero accepit Iacobo animos addente. quo etiam die strage per suos illata hosti, auctoque exercitu aduenientibus auxilijs, res melius habuere.

Ergo

Ergo ut sensit utilitatem precum, iterari orat  
 similiter noctu, ut prius: quin et comodari sibi  
 Crucem, quam sacerdos (Iacobus enim, ut di-  
 ximus supra, sacerdos erat) ferebat ad collu.  
 pollicetur per eos dies, quibus in periculo res  
 esset, ieiunio cilicioque maceraturum corpus  
 (a quo supplicio Brachmanes magnopere ab-  
 horrent) secubiturum per noctes ab uxore, &  
 uacaturum precibus, ut sacerdos monebat, eo  
 auidius, quod uidebat neque consilium, neque  
 inceptum frustra esse. ipsam autem Crucem ita  
 amplectebatur & habebat caram, ut gestaret  
 in panno, quo solo præcingebat corpus consue-  
 tudine gentis: immo & redditurum negauit,  
 quod miram ab illa voluptatem caperet, speraret  
 etiam victoriam ac salutem. Sed interea ta-  
 men crescebat hostis, & res aliquoties Regis  
 in arcto fuit: quo tempore familiares admonuit  
 arcani conscios, ut in ipso discrimine pugnae,  
 ubi conspicerent inclinantem aciem, vexilla  
 explicarent insignia Crucis: huius enim osten-  
 tatione, magis quam fulgore armorum, existi-  
 mabat aduersariorum iremitus hostilemque  
 terrorem posse depelli. mirum dictu. signorum  
 aspectum non sustinebant hostes, sed sic animo  
 consternabantur, ut panidi ac similes atto-  
 nitis, quæ cuique via patebat, erumperent  
 ad fugam. neque hoc raro accidit. ut irati Re-  
 ges aduersarij in restituenda pugna, cum rape-  
 rent potius confusum agmen, quam instructam



aciem, vincerentur. neque illud caruit admira-  
 ratione, vias illas sacrarū, de quibus diximus,  
 schedarum præsidio sic tutas fuisse, vt aut non  
 visæ inimicis, aut formidabiles essent. visa igitur  
 tam sæpe trepidatione hostium Rex Porcæ  
 victor, nec ignarus causæ, displodi imperat tor-  
 menta, lætitiæ signum, & Christianorum Deū  
 prædicat victoriæ auctorem. Et implevit qui-  
 dem victoriæ fama omnes illas terras testimo-  
 nio exercitus vtriusque: sed qua ratione par-  
 ta, solus Rex cum paucis familiaribus arcano-  
 rum conscijs norat. vt imminuant aduersarij  
 gloriam, veneficijs assignant. hoc audisse se  
 vnus e nostris narrauit. Ibat ipse, cum gerere-  
 tur bellum, ad Reginæ exercitum vt ageret de  
 pace: erat enim cognitus vtrique parti: inci-  
 dit in ducem militum duodecim millium: cu-  
 ius hic sermo fuit. Quale hoc veneficium Re-  
 gis Porcæ esse dixerim, vt cum vel spiritu ipso  
 eius copiolarū distari possint a nostris copijs &  
 numero & robore tanto superioribus, peius ta-  
 men nobiscum agatur. Egregiam vero laudem  
 incantationibus vti ad vincendum. isto modo  
 pugnare non Regum est: ac ne virorum quidē  
 fortium esse opinor. At noster, Nonne vos etiā  
 veneficijs vtimini. Maxime vero. sed illius po-  
 tentiora esse intelligimus, & ad hoc vsque tem-  
 pus incognita. Nimirum, haud ita pridem,  
 conferto prælio, ex loco quodam excelsio ela-  
 tum vexillum ita percussit oculos, ut perterrere  
 refaceret

refaceret animos quoque, & exciderēt gladij, fuerentque de manibus, nec fugā tenere possemus. Noluī noster exponere quid esset. Sed paulopost, vt Malabarum gens est rimarum plena, arcanum innotuit: et uulgatum est, Regi Porcæ insigne Crucis a Iacobo datum. Rex igitur Porcæ hoc modo solutus metu belli beneficio Crucis, ut Cruces multæ extollerentur, & aliqua conderentur templa, fœdusque ikeret cum Lusitano, quod semper antea recusarat, consilium cepit: his acceptis condicionibus per Patrem Georgium & Iacobum interpretes pacis: ut duobus templis locum daret in plaga Narsingæ, certosq; redditus constitueret sacerdoti: ut quotannis tantum attribueret piperis, quantum fere satis esset ad nauem onerandam. Ceterum in Crucibus constituendis aduersarij sibi non desuerunt, Mauri scilicet Iudæique, captato tempore quo Rex pustulis laborabat. quin et eum morbum pœnam esse dicebant cōsuetudinis Patrum. sed omnis conatus ludibrio fuit. Dies dictus erat sanctissimæ Trinitatis festo proximus. ipso cum uenissent nostri Lusitanis aliquot comitantibus, inuiserunt Regem: qui ostenso corpore pleno pustulis, eo tantum grauem sibi esse professus est morbum, quod dare operam non posset carimonix Crucis erigendæ: missurum tamen Principem fratrem heredem regni. Postridie cum iam optatus locus esset templo, ad Principem



ierunt, ut deducerent domo: egressus is cum illustri nobilium manu Crucem sequebatur sustentatam humeris a Lusitanis ministris Catholici Regis: qui et postea subleuati ab elephanto fuere. dein iactus primus lapis sollemni ritu ubi designauerat ædem, & sublata Crux præalta ad quadraginta ulnas operoso nisu. consecuta est a Lusitanis supplex eius ueneratio manantibus lacrimis: et cælum plausit bellicis tormentis, terra marique pari consensu reddētibus lætissimū sonum. Altero die Crux altera secus stagnum simili celebritate locata est. Iterum a nostris Rex aditus, ac diuinis de rebus colloquutione ualde in proposito firmatus. dein discessum est, sacerdote uno qui Cruces curaret & præsideret duabus ædibus quæ ædificandæ erant relicto. vnā ex iis ædibus, quo loco prior defixa est Crux, sibi Rex sponte delegit, & cingere eam multis domicilijs parat in speciem vrbis, cui ab sanctæ Cruce erit nomen. nec dum plane erat a valetudine confirmatus, cum ad eandem sedem, vt primum domo pedem extulit, venerabundus accessit. Is vero iam ita rem Christianam cordi habet, vt cum pijs sermonibus sariari nequeat, admonendus sit dextere agat, ne asperet sine fructu populos subiectos. festinatio enim & auiditas saepe sunt consilio inimicæ, dū quæ accipi possunt, rapere malimus. Ceterum temporis beneficio ex animi sententia omnia perfectū iri.

Itaque

Itaque optimum in præsentia ratus dissenti-  
 re a Brachmanis animo magis quam vultu  
 eorum mysteria expiscatur, vt vehementius  
 contemnat: tamen cum commode potest, sic  
 nobis fauet, et veneratur inclytam Crucem  
 in qua collocavit spes omnes suas, vt fere  
 Christianorum nemini cedat. Mos est Indis in  
 fronte, brachiis, pectore, candenti cinere inu-  
 rere notas lineasque, pro cuiusque arbitratu,  
 adnotatum est autem Regem cum exiret ad  
 prælium impressisse tantum varias Cruces.  
 Hoc etiam narratur de illo. Missurus erat lit-  
 teras super negotio Patrum: is quem habebat  
 ab epistolis scriptionem dissuasit quasi infau-  
 sto die (nubilus erat: hi autem dies Indis so-  
 lent esse religiosi.) At Rex, in causa Patrum  
 numquam dicendum Alio die, inquit: omnes  
 dies eodem ordine habendi sunt. igitur scri-  
 pta epistola est: cui, et ipse sua manu Crucis  
 speciem inscripsit. Accidit per hæc tempora  
 res alia memoranda: iuuat enim quidque scri-  
 bere, vt occurrit. Aedium ædificationem man-  
 dauerat. Rex vni e suis fideli administro infi-  
 gni beneuolentia erga Patres. is nō multo post  
 incidit in morbum ita sæuum, vt nulla fere  
 spes esset. timorem augebat persuasio veneni  
 ab aduersarijs accepti: quin et medico ex eo-  
 rum secta, qui assidebat ægroto, fidendum nō  
 videbatur. inuisit eum Cocinensis Collegij  
 Rector et Iacobus: quo eorum officio valde



recreatus æger magnam spem se habere ostendit in eorum precibus apud Deum: immo et a Iacobo amuletum poposcit in charta: recepit daturum, si tamen in posterum omni superstitionum generi renuntiaret. postero die ad Iacobum misit, et absumpsit chartulam inscriptam salutari medicamine: Visitauerat Rex pridie, ita oppressum atrocitate morbi vt verbum eloqui nullum posset: at cum redisset postridie, vescentem repperit et carentem febrī: quod admiratus plurimum (rem enim omnem lætus exposuerat qui receperat valetudinem) vocari iussit Patres, vt gauderent viso beneficio, cuius ipsi auctores fuissent. Hæc inter, aliquot ex Indis primitiæ Christo consecratæ sunt. Qua primum luce sacerdos salutarem hostiam obtulit Deo ad Crucem ipsam temporaria ara excitata, duo: alias, duo supra viginti, initiati Christianis sacris: inter hos Arel erat (nomen est optimatum his locis) eiusdem vxor idem facere Cocini meditatur sollemni die. Ceterum e Dynastarum numero cuidam consulenti Regem, num liceret ijs quibus ipse imperitaret Christianam religionem accipere, respondit Rex, etiam ipsis Principibus potestatem dari. Nec solum mitem se præbet ijs qui student rebus nostris, sed etiam in aduersarios seuerum. Arel sic ægre ferebat quemdam e famulis baptizatum fuisse, vt ei minitaretur mortem, nisi rediret ad superstitionem

tionem desertam. rescivit Rex, ipsumque Arellem in vinculis diu et arctissima custodia tenuit, vt et sapere ipse disceret supplicio, et alios exemplo doceret. Maurum uero, qui in ueneratione Crucis irriferat Christianum, tam diu cædi iussit uirgis, dum semianimis relinqueretur. Et quoniam serpebat rumor parari uenenum Patribus: quod etsi ipsis utique non refugiendum (gloriosum enim pro Christo occumbere) periculosum tamē futurum erat regno: admonuit eos, ne darent cuiquam occasionem: suam enim præcipuam in eo curam futuram, vt nemo quicquam mali auderet, aut sciret non defuturam grauisissimam pœnam. ea est Regis optimi nondum licet adsciti in Christi gregem erga nos beneuolentia, exorta potissimum e miraculo Crucis. Quamquam alijs quoque prodigijs eam Deus in dies magis illustrem reddit. Cranganor vrbs est his in littoribus Cocino non procul: habent eam Christiani longa serie a Thoma Apostolo deducti. ibi Crux uetustate, religione, multitudine miraculorum percelebris: ex ijs, si aponantur aliqua, nemo alienum existimabit: Quidam qui labore manuum victum quærebat, graui ualitudine oppressus cum pauculos nummos uouisset Cruci ad olei impensam, confirmatis statim uiribus redijt ad opus: sed, vt sæpe excidit beneficiorum memoria, oblitus est uocis deinde cum operam nobis locasset, recidit



in eundem morbum: nec sefellit causa. vt votum exoluit, restitutus est corpori vigor. Ethnici quattuor cum piscarentur, si certum numerum caperent piscium, polliciti sunt Cruci quartam partem: duplo amplius ceperunt. Similium non deesset copia, ni vereretur ne parua esse, aut modica viderentur, et fortasse non pertinentia ad res nostras. Claudam narratione miraculi, cuius probatores nostri fuere. Ibat sacerdos noster Poigam (est oppidi nomen) cum quodam Naire, cui multa in itinere de Cruce rebusque admirabilibus quæ ab ea fierent narrauit. eo cum venisset, obtulerunt oppidani aliquot Tecas: arbores sunt ædificiorum operi accommodæ. igitur placuit cædi. ex arboribus vna imminabat Nairum filia, vbi arbores multæ, quæ piper gignunt, fructibus onustæ: ei dum securis inijcitur, contestati sunt Naires (superbum hominum genus) Nairé qui cum Patre venerat, et eos qui cædebant, rem facturos periculi sui: itaque sic caute moderarentur ictibus, ut caderet omnino in aliam partem. sed natura arbor in Naires inclinabat, et cū accederet ramorum pondus, ac vis ventorum reflantium, sustentari non poterat, quin piperi stragem daret. hinc Nairum clamor et voces increpantium: accurrunt et mandator operis, atque vt casum irrepabilem vidit. O mea sancta Crux Crāganoris, ex clamat, ser opē: quinque bacarucos deuoueo.  
olei

(olei mēſura aut pretiū eſt oboli vnus) obau-  
 dire viſa arbor iā cadēs: ſuſtinuit ſe, et reuoca-  
 uit a lapſu: dein quaſi retracta in aliā partem,  
 decidit in puram humum maxima admiratio-  
 ne omniū, nulla offenſa. It ſtatim ille ad ſacer-  
 dotē ignarū quid eſſet actū: et, Re ipſa exper-  
 tus (inquit) ſum uera eſſe quæ de Cruce dixiſti.  
 hic autē vt crebris interrogationibus cōſtanti  
 ſermone omnium comperit factum, ex eadem  
 arbore præcidi curauit Crucem in Vaipicotæ  
 templo ſtatuendam: cui ſit a miraculo nomen:  
 vetuitque alterā ſcindi arborem, quæ vicina  
 erat geminæ proceritatis, vt monumentum  
 eſſet rei trāſactæ. Haſtenus de Cocinenſi Col-  
 legio, & Sede Vaipicotana. Non ignarus ſum  
 multa mihi numeranti aut perſtringenti le-  
 uiter excidiſſe, ſed nimia omnis diligentia mi-  
 nuta eſt, et index exilis paupertatis.

**MALACENSE COLLEGIVM ET**  
 Sedes Malucenſis.

**VTROBIQVE** ſepteni. Malacæ perfidia  
 Maumetanorum: Maluci (quattuor Sed-  
 dibus) tum uetus incolarum ſuperſtitio, tum  
 perpetua aduerſus Tidores arma obſistere cō-  
 natibus pijs: itaque nunc fere omnis labor vt  
 parata ſeruentur. Primo anno miſſi duo cum  
 claſſe contra Regem Iori (Rex Deior appel-  
 latus in litteris anni octogefimi octau) & pro-  
 fliga-



fligatum accepimus hostilem exercitum, capta tormenta, incensaque navigia: Rex ipse proelio victus cum paucis in fugam versus ægre effugit. ita iã in India (quod ad Iori Regem pertinet) res Christiana pacatior erit. vetũ hac de re in Mexicana dictum supra paulo fufius, Sede Manilana. Malacæ mortuus anno primo Simon Thettonius Lusitanus. secundo e varijs sectis ad vnam Christi familiã venere ducenti. ædificantur domus ac templũ. auctũ vestigal annuũ vt duodecim sustentetur. anno tertio Pater Franciscus a Cruce Maluci decedit. celebrẽ vnus obitũ fecit dolor multorũ.

COLANA DOMVS, AC RELI-  
quæ Sedes.

COLANI FERRE septeni. obiit primo Anno Pater Hieronymus Vazius, post trigessimũ septimũ Societatis annum, et memorabiles fructus. præfuerat olim Sedi sancti Thomæ. altero anno, in vrbe, centum quinquaginta renati baptismo: in Sedibus, centum viginti: totidem instituuntur ad eũdem finẽ. anno tertio ducenti viginti. duo millia aureorũ ab vno redhibita. totidẽ ad domus fabricã contributa, vt iam supremã manũ acceperit. Pax Colani inter Regem et Lusitanos reconciliata Patre Nicolao Spinula saragente, his cõdicionibus: vt de improbitate Maurorũ po-  
na

na fumeretur: Rex daret tria aureorū millia  
 reficiēdis Lusitanorū damnis: restituēdis tē-  
 plis duo millia: quæ omnis pecunia non nisi Spi-  
 nulæ credita. est enim Pater notæ in his locis  
 fidei, et probitatis expertæ. Tota in hac plaga  
 uiginti quattuor Ecclesiæ sunt. quin et alia  
 cōditur. Chanæ (populi sunt in Comorino tra-  
 ctu) vnâ bello incenderūt, cæsa etiam Cruce:  
 sed minime inulti. non ita multo post vnus e  
 ducibus & milites amplius ducenti morbo ex-  
 tincti: atque vt intelligerēt suppliciū sceleris,  
 affirmabant conspici dæmonem a quo inter-  
 ficerentur. ita eam reliquerunt sedem, iamque  
 consultant de extruendis templis, deque fœ-  
 dere cum Christianis iungendo. Addam huc  
 aliqua similia. Nairum vnus, magister elephan-  
 ti, per idem tempus Crucem rapuit raptantit-  
 que elephanto: tum posuit supra flumen pro  
 ponte: excitata subito tempestas est, & Crux  
 nusquam comparuit: ipse morbo incurabili  
 æger: cuius causa familiarium nemini erat in-  
 cognita. Nairum alter, quia ceciderat Crucē,  
 post paulo moritur horribili corporis crucia-  
 tu. At Christiani Manaparis (Manapaz alias  
 reddidi) cum profugerent domo, secum Cru-  
 cem abstulerūt e templo, ne in manus hostium  
 veniret. Couleten portata est, vbi sunt quat-  
 tuor e nostris. quinque leucarum itinere Chri-  
 stianorum plurimi, vt in pompa exciperent,  
 obuiam processere, certatim humeros suppo-  
 nentes,



nentes, vt numquam attigerit terram. mirum  
 alicubi, cum ignaris alijs nempe occupatis pi-  
 scando, tantum quinque subirent oneri, quod  
 nix decem coniuncti erant ferendo, nihil fuisse  
 fatigatos, vt dicerēt se diuina ope adiutos fuis-  
 se. locata tunc est in Couletano templo, ma-  
 gnamque etiam apud Ethnicos uenerationem  
 habet: ita uotiuam peregrinationem e remo-  
 tis locis multi suscipiunt, ut eam uisant: et de-  
 cretum est tegere argēteis crustis. In ora Tra-  
 uācoris postremo anno pulcherrima ducta est  
 anastatica supplicatio incredibili Christiano-  
 rum Ethnicorumque concursu, ut aquarum  
 putei haurientium multitudine siccarentur:  
 quod quia numquā alias acciderat, miraculo  
 tuit. conestitum magnifice templum. uexilla  
 amplius sexcenta. excitati arcus fornicesque  
 & crebris siphunculis irrigui fontes. prælatæ  
 Crucēs decem a uiris cādenti amictu: præibat  
 singulas puerorum chorus consertis manibus  
 apte saltatium. meridie Iosephi tragicocomæ-  
 dia acta. sancti Eustachij Racamangalani (se-  
 quor litteras dictatas) die Christi ad cælum  
 ascendentis: Mazolæ in Pentecoste diuitis epu-  
 lonis: sancti Petri, Carrapatani, in die ipsius  
 festo. Secundum hæc, his omnibus in locis ha-  
 betur concio, cui etiā Ethnici, quos eo cōtra-  
 hit cupido spectaculi, intersunt. Ceterum in  
 eadem Trauancoris ora eodem anno postre-  
 mo auditi de criminibus vitæ totius amplius  
 ducent-

ducenti. Reliquis de rebus, quia communes sunt, admonet præscripta ratio breuitatis, ne plura dicamus.

## PISCARIVM LITTVS.

**A**COMORINI promontorio ad Manarem vsque insulam, quinquaginta, ferme leucarum spatio, hoc littus protenditur: a margaritarum piscatione Piscarium dicitur. Sex sedibus septemdecim nostris vacant piscatui animarum. Ecclesiæ per varia loca viginti septem: plures quam pro sociorum numero occupationes: vt diebus festis bina sacra sacerdotes singuli in diuersis ædibus tacere cogantur. Sermones etiam habentur de rebus pertinentibus ad salutem, hoc fere ordine. Pomeridianis horis die Dominico mancipia edocentur: excoluntur sub nocte qui maiores habent in pietate progressus: quibusdam locis, vbi sint Sodalitia, feria tertia, aut sabbato, post rem diuinam instituuntur mulieres, vt rite percipiant sacramenta: expoliuntur discipuli feria quarta: sexta denique feria prima vespera verba fiunt ad eorum cœtum, qui doctiores habentur. Mitto nunc laborem ordinarium informandi catechumenos, et quotidie mane pueros, vespere puellas exercendi in Christiana doctrina: ita nullus fere dies sine opere exit. magna quoque in ægrotos diligē-



tia adhibetur: ad quos interdum corpori etiã  
 necessaria deferuntur: nec negliguntur Ethni-  
 ci: quã causa est, vt ante mortem non pauci  
 renascantur. Incolarum autem ea cupiditas  
 peccata confitendi, vt sacerdotes perpetuam  
 Quadragesimam agant: quamobrem, vt om-  
 nes audiantur, tempora dispertiri oportet.  
 primo anno, qui omnes vitã annos exposuere  
 numerati quadringenti. Iã vt aliquid apponan-  
 da frequentatione sacrosanctã Eucharistiã,  
 anno primo Tutucurini percepere sexcenti  
 quinquaginta, eo die quo anniuersario ritu ce-  
 lebratur dedicatio templi: is est nonarum Sex-  
 tilium ab æstiuarum niuiũ miraculo insignis:  
 quod representatũ est a discipulis nostris eo  
 anno: anno enim postremo historia Euangeli-  
 ci prodigi: mox etiam Abelis mors, quã tertiã  
 partem virorum perdidit, quasi spectabilis fa-  
 bula populo data. est autem Tutucurini puero-  
 rum Seminarium duodetriginta, et Congrega-  
 tio Parthenia: quin et pauperum hospitalis do-  
 mus: quã aucta sua su vnus e nostris, non exi-  
 guo annuo vectigali. quot hebdomadis singu-  
 li ex ijs qui tenentur studio pietatis, pauperi-  
 bus deferuiunt. sed in contribuendo argento  
 nemo fere suum officium requiri finit. sunt  
 enim homines ad eleemosynã, vt plurimum,  
 propensi. vno anno prima hieme ad octingen-  
 tos vestiendos collatus pannus. altero virgi-  
 nes triginta Christianã, et duz puellã orbã pa-  
 rentibus

rētib; captā a prādonib; , pretio redemptā  
 sunt. subleuatā etiam nonnullā, vt in matrimo-  
 nium collocentur. non nihil prāterea ad sacrū  
 ornatum cultumque multis in Sedibus acces-  
 sit. in odiis finiendis, aut ponendis inimicitijs,  
 mirum quam nostrorum voluntatem ac consi-  
 lium sequantur: quod est cum illis commune  
 qui habent religionem diuersam: ita, sæpe,  
 quos neque Regēs ipsi placare potuerunt, ad  
 nostros sacerdotes, quorum vitā innocentiam  
 dicunt habere perspectam, pacificandi accu-  
 runt. Punicale alterum Xenodochium est. De  
 Manaris templo haud dudū rettulimus. nouū  
 est illud quidem, sed omnibus circa populis  
 æque sanctum. mulieri cuidam quinque sex ue-  
 annorum spatio priuatā vsu linguae, grandi pe-  
 cunia in varia remediorum experimenta fru-  
 stra consumpta, vbi eo perducta est, vocem re-  
 disse mirante populo, aliaque multa beneficia  
 prāstita mortalibus prāter communem con-  
 suetudinem, et ex litteris nostrorum, et ex mul-  
 torum sermonibus religiosorum hominum,  
 qui illinc venerunt, accepimus. dies templi  
 festus, mense Septembri nascenti Virgini sa-  
 cer, ita celebratur a finitimis populis, vt cum  
 huc concurritur, fere oppida deserantur: et  
 quamquam in retinenda re Christiana iam ac-  
 quisita, in hoc littore quasi proprius labor est  
 (ita gēs est addicta proprijs ritibus, eaque cre-  
 dulitate vt existimet ad cælum perueniri pos-



se pluribus vijs, nec vnum tantum patere iter ad tam grande secretum) dedere tamen se in monstratam semitam, quæ vna, Christo duce, errare mortales non sinit (vt verbo absolvam) tribus hisce annis mille trecenti octo. sed v- nus anno secundo felici successu. Diu cede- bat is ex Christianorum oppido cum alijs comiti- bus in patriam terram: vix confecerant tres leucas, cum graui capitis dolore oppressus cõ- uerso itinere ad Christianos regreditur. hic porro visitatus a sacerdote, obnixè petens bap- tismum vt rite imbutus ac baptizatus est, ex templo purgatam animam efflauit. Hoc in statu res erant quasi tranquillæ, cum procel- la repens exorta est. Chanæ (gens est, de qua supra aliquid audistis, cõtumax, vilisque mor- tis, & Christianis viris et sacris maxime infe- sta) cum Christianos aliquot cepissent in quo- dam itinere, auersum se Parauas (horum est primis annatibus nostris mentio nõnnulla) conecitarunt. hi acceptas iniurias egregie vl- ti sunt: neque Chanæ æquo animo tulerunt: ex improviso Parauas adorantur, agrosque vastant, tribus templis incensis. at Parauis iterũ Deo adspirante, mutatur ratio pugnae, et Chanæ fugantur. Hic ponam egregium sedandæ controuersie militaris exemplum, magis vt cognoscatur, quam quod ad rem nostram vi- deatur valde spectare. In expeditione aduer- sum Chanas Ethnici duo mutuas similtates

exerc-

exercebant, vt statuerent paribus inter sese armis concurrere: instantem concertationem Christiani hac ratione diremerunt. Narrarunt duos olim Lusitanos cum contenderent diu, vter alteri præstaret, ne conferent manus, oblato loco probandæ virtutis ( obsidebant nempe oppidum ) ita conuenisse, vt vter prior muros hostium conscenderet, honoratior esset. at inter Ethnicos constituta res est, vt vter alicui Chanarū prior necē afferret, alteri anteferretur. Hæc de Chanarū impetu anno secūdo. Anno sequēti ab iisdē res Christianorū magis afflicta, Cruces euulsæ, disturbatæ ædes sacrae, oppidani, relictis terris non adeo munitis, in Manaparis arcē cōpulsī. neque hic barbari furoris finis, oppugnata Manapar a viginti quattuor millibus: sed vt arx obsideretur, virorum animi non obsidebantur: egressi, protegente Deo, trecentos occiderunt, fuderunt ceteros, fugaruntque incruentæ prorsus victoria. Ceterum, mutata potius belli sedes, quā debellatus hostis. Punicalem rapitur exercitus, hic quoniam tempestiuitas margaritarum aderat, & dies piscationis terebātur prælijs, visum est rem posse ad concordiam adducī: in eas condiciones pax conuenit, vt vtra pars frāgeret fidem, duodecim aureorum millia alteri solueret, Rege disceptante, sed Chanæ non steterunt pactis. Igitur India Prætor ynume filijs in eos mittit cum delecto exerci-



tu: is vt pari iniuria vlciscatur, impiæ gentis  
 vetustissimum delubrum euertit, spoliatque:  
 idolum, quod illis summo in honore erat ma-  
 gno artificio, comminuit: frangit minora alia  
 comburitue: tum augendæ contumeliæ cædi-  
 tur uacca, quæ nutriebatur in penetralibus,  
 eiusque sanguine omnes parietes inficiuntur:  
 qua re superstitioforum animis ea prauitate im-  
 butis nihil turpius, indignius, aut minus feren-  
 dû videtur. fuit & locus aliquis pugnæ, cum ad-  
 uersus excédentes nostros e nauibus magnû se  
 agmen opposuit: sed Lusitani nõ amplius sexa-  
 ginta coegerunt, vt pedem referrent. Verum  
 eodem prope vestigio temporis, cum Prætor  
 filium, quem exercitui præfecerat, ad aliam  
 proinciã magis necessariã reuocandum  
 putaret, creuit hostibus animus, & Christianis,  
 qui relinquebantur, metus, ergo illi ferociter  
 depopulati sunt omnia, & subruerunt templa.  
 Christiani Manarem concessere: quorum vsui  
 ac rebus subsidio fuere nostri non aliter ac si in  
 eorum fide & cliëtela fuissent. Interea Manari,  
 quæ insula est in extremo fere littore Pesca-  
 rio versus Orientem, ab Rege Tafanapataniæ  
 periculum fuit. Hic Rex tributû Regi Catho-  
 lico pendit: attamen raro respondet: vexat po-  
 tius, si qua se ferat occasio Christianos: &  
 (quod excussuri faciunt) iugum iamdiu de-  
 tractat. Ergo, vt duobus tribus ve annis (sic  
 enim compertum est postea) clamculum mili-  
 tem

tem instruxit diem bello circumspiciens, quo tempore piscatio maxime feruet, ac viri propterea omnes arcem prope solam mulieribus relinquunt, ipsemet cum nauibus septuaginta quinque, collectis viribus, et quasi victoria certa cum demolitoribus oppidorum machinisque, ad insulam appellit. Sequebatur deinde classis altera cum bellatoribus millibus decē. Serum iam diei erat: in Manaris arce vix custodes milites sexaginta: myoparo, vbi Lusitani septemdecim, littus legebatur. mittit Rex statim duas naues myoparonē capturas: nec difficile videbatur factus: igitur accipiūt in medio: at ipse defensare se, neque animis cadere: incipitur bellum, arma expediuntur: illi fidebant numero & missilibus: hi Dei præsidio, quod taciti inuocabant, ac robore gentis. diuinæ placuit bonitati, vt vtriusque nauis tela quæ iaciebantur, myoparone medio transmissis, in alteram diriguntur aduersam: vt muruis ictibus conuulnerarentur. in hoc conflictu desiderati Lusitani duo, vel tres: ceteris audacia promuro fuit. itaque iam agnoscentes diuinam præsentem opem, alienatis a memoria periculi animis impetum faciebant in hostes impotes consilij, & subsidium petentes fuga reliquæ classis. multiplicauit metum altera nauis nostra auxilium ferēs, & in littore strepitus tympani, quod septē octo ue adducebat Lusitanos non satis viribus firmos. itaque conternati  
hostes



hostes, & Rex ipse ingenti trepidatione refuge-  
re ad naues: e quibus multæ æstuante mari pro-  
pter vndarû recessum hærentes in sicco ægre  
expediebantur: et ex ijs aliqua relicta, at mili-  
tes per littus dispersi, fuga cognita, cum uere-  
tur quisque, ne primus sit in periculo, qui est in  
fugiendo postremus, confusis ordinibus men-  
tibusque vt sese festinando mutuo moraren-  
tur, conijciunt saltu corpora in naues, atque  
adeo in ipsum pontum; unde plurimi submersi:  
cæsi a Lusitanis non pauci. duo millia hominû  
perijisse eo die hostes ipsi affirmant. septemdecim  
naues amissæ; aliæ naufragio belli factio,  
respectantes identidem, vt nec uenti nec remi  
latis facerent, Oceano ferebantur: interro-  
gantibus se mutuo Lusitanis, quis auctor uictoriae?  
nostrisque sacerdotibus admonëtibus (iam enim scitis  
esse Manare Sedê) vt agerentur gratæ victori Deo:  
ab eo enim pugnata pugna, relataque victoria est:  
in qua vt in alijs multis eodem exemplo, nisi eum  
haberemus auctorem, historiae fides laboratura esset.

AT NOS tempus est, cum Deo volente,  
harum litterarum, immo vero huiusmodi scri-  
ptionis facere finem. quo ambiciosius uenia  
suprema, vt altius hæreret in animis, petenda  
esset. Equidem nõ sum nescius meæ tenuitatis,  
cui accessit in opere tam longo breuitas tem-  
poris, quæ attulit festinationem scribendi.  
Sed non purgo. Excusat enim, qui placendi stu-  
dio

dio scribendum putavit: a quo ego, tamquam  
 subiturus fuerim non ingenij iudiciū sed obse-  
 quij, longissime absūm. Defuit nūc quoque, vt  
 alias, prudentia in susceptione operis: sed ego,  
 Patres religiosissimi, secutus sum vestram au-  
 ctoritatem imperandi pro ratione præcipien-  
 di. Quod si tanto turpius fuit tam sæpe ad eū-  
 dem, nec vobis satisfeci opera, quæ nemini ve-  
 strum erat ignota, agnoscere vos æquum est  
 vestrum arbitrium, et, vt aliquid fidentius di-  
 cant, in mea culpa vobis ignoscere. Illud tamē  
 obsecro atque obtestor, vt quoniam nunc for-  
 tasse extremum cunctos alloquor, singulari  
 pro vestra pietate et communis vinculo con-  
 iunctionis, aliquam mei memoriā in vestris  
 apud Deum precationibus residere patiami-  
 ni. Quo magis enim sum mihi cōsciū multo-  
 rum & grauium delictorū, eo precatores plu-  
 res et maioris auctoritatis parare debeo.  
 Valet. E Collegio Romano Calendis Fe-  
 bruarijs. M D X C I V.

*Omniū in Christo seruus.*

Franciscus Bencius.





		Errata	corrigena
pag.	vers.		
33	23	moribundus	moribundura
47	21	Hectoram	Hectora
68	25	alentur	aluntur
105	3	desitum	desitum
108	3	incendus	incensus
117	2	dede	de
165	15	impunitate	impuritate
206	17	excitus	exitus
209	25	Xitriensis	Nitriensis
305	14	cacodæmonum	cacodæmonia
318	12	monstrorum	nostrorum
330	5	sollemni	dele
	20	tempo	dele
337	11	dirigat	dirigit
343	16	mentem	dele
480	11	miserandas	miserandus
487	11	placentulam	placentulam
502	2	assentum	assensum
533	15	accepti	accepi
536	6	desolucendis	dissolucendis
609	5	posteriore	posteriore
	6	redo	credo
	8	De sto	Deo
620	14	cruentas	cruentos
638	14	erat	erant
676	9	qua	quam
681	16	comparuit	comparauit
690	27	noquam	nouam
712	16	ieiuno	ieiunio
714	19	nostris	nostris
733	27	sustentionem	sustentionem
784	28	frequen. es	frequenti
		multitudines	multitudine
849	8	vniuerso	vniuerso
	30	hic	huc

*Non sum nescius esse adhuc plura, propter interpuncta maxime vocum & confusum ordinem litterarum: sed hec tamen inser cetera eminebant.*



h  
p  
c  
s  
b  
b  
e  
r  
x  
o  
i  
i  
i  
s  
r  
r  
y  
d  
o

xiv

1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800









